6
43 MD
30

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu
14. C

5-E-25

5.3.25.
5
E
25

COMMENTARIA QVAEDAM IN CANTICA CANTICORVM,

nunc denuò ex Doctorum dictis congeſta, per Fratrem Alphonſum ab Orozco Auguſtinianum.

Acceſſere quadraginta quatuor annotationes in eadem Cantica, Deiparæ Mariæ Virginis feſtiuitatibus accommodatæ.



CVM LICENTIA.

BVRGIS.

Apud Philippum Iuntam.

1581.

AD LECTOREM.

EXcellẽs regius ſenatus tradidit mihi ad examinanda quædam Commentaria in Cantica Cãticorũ, quibus acceſſere aliquæ Annotationes in eadem Cantica Deiparæ Mariæ Virginis, feſtiuitatibus accom modatę, Authore Reuerendo ac doctiſsimo Fratre Alfonſo ab Orozco. Perlegi præſens opus, in quo ſacrarum literarum myſteria perueſtigare autor inuigilauit, & poſteriorum cogitationũ ſuarum primitias ędere ſumma ope curauit, quod ſanè operis pulchritudo indicat. Quam ob rem Lector celeberrime à te iterum atq; iterum contendo, vt munuſculum hoc omni eruditione refertiſsimum, quod tibi vir egregiæ, doctrinę addicit ſemper, prę manibus habeas, à quo non paruam vtilitatẽ haurire poteris. Vale, Madriti, die. 13. Aprilis, anni Dominici. 1574.

Frater Ioanes de Gamarra.

Licencia.

DON Philipe, por la gracia de Dios, Rey de Caſtilla, de Leon, de Aragon, de las dos Sicilias, de Hieruſalem, de Nauarra, de Granada, de Toledo, de Valencia, de Galicia, de Mallorcas, de Seuilla, de Cerdeña, de Cordoua, de Corcega, de Murcia, de Iaen, de los Algarues, de Algecira, de Gibraltar, Conde de Flandes, y de Tirol, &c. Por quanto por parte de vos, Fray Alonſo de Orozco, dela orden de Sant Aguſtin, nos fue fecha relacion, que vos auiades compueſto vn libro intitulado *Commentaria in Cantica Canticorum* El qual era mu y vtil y prouechoſo, y de ſancta doctrina: atento lo qual, y el trabajo que enello auiades paſſado, nos ſuplicaſtes os mandaſſemos dar licencia para lo poder imprimir y vender, con priuilegio por ocho años; o como la nueſtra merced fueſſe. Lo qual viſto por los del nueſtro conſejo, por quanto en el dicho libro, ſe hizo la diligencia, que la pragmatica por nos agora nueuamente fecha diſpone, fue acordado que deuiamos mãdar dar eſta nueſtra carta para vos enla dicha razon. Por la qual, os damos licencia y facultad, para que por eſta vez, vos o la perſona q̃ vueſtro poder para ello tuuiere, podays hazer imprimir e imprimays: el dicho libro que de ſuſo ſe haze mencion: ſin por ello incurrir en pena alguna. Con tãto que la dicha impreſsion, ſe haga conforme al original que preſentaſtes en nueſtro Cõſejo, que eſtá rubricadas todas las hojas, y firmado al fin del de Ioan Fernãdez de Herrera, nueſtro eſcriuano de camara, delos que reſiden enel nueſtro Conſejo: y con que deſpues de impreſſo, no ſe pueda vender ni venda, ſin que primero ſe trayga al nueſtro Conſejo, para que ſe vea ſi la dicha impreſsion eſta conforme al original, y ſe os taſſe el precio a que ſe ha de vender cada volumen. So pena de caer e incurrir en las penas contenidas enla dicha pragmatica, y mas de la nueſtra merced, y de diez mil marauedis para la nueſtra camara. Dada en Madrid, a veynte y tres dias del mes de Abril, de mil y quinientos y ſetenta y quatro años.

D. Epiſcopus Segouienſis. *El Licen iado Pedro Gaſco.* *El Doctor Franciſco de Villafanes.*

El Licenciado Rodrigo Vazquez Arze. *El Doctor Luys de Molina.* *El Doctor dõ Iñigo de Cardenas çapata.* *El Doctor Aguilera.*

Yo Ioan Fernandez de Herrera, Secretario de camara de ſu Mageſtad, la fize eſcreuir por ſu mandado, con acuerdo delos de ſu Conſejo.

PROLOGVS AVTORIS AD PIVM LECTOREM.

SAPIENS *Salomon ſummi numinis ſpiritu afflatus, candide Lector, hæc Cãtica canticorũ nimirum ſcripſit. In quibus, ni fallor, filiæ Pharaonis vxori ſuæ nullatenus ille loquitur, quũ plurimæ deformitates in hoc libro inueniantur, quippe quæ venuſtati & decori mulieris haud cõueniant. Quæ nam præcor mulier collum inſtar turris Dauid habuit? aut quæ puella naſum ſimilem turri vnquam geſſit? ſub hæc, ſi quæ mulier alterũ oculum pulchriorem poſſideret, nónne apprimè deformis foret? vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa, vulneraſti cor meum, in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui. Hæc ſponſus ſponſæ ſuæ loquitur. Denique Ægyptus neutiquam mulieres habet nigras, ſed Ethiopia. Atqui ſponſa ſe nigram profitetur dicens: Nigra ſum, ſed formoſa filiæ Hieruſalem. Vndè liquidò comprehenditur, ſponſum cœleſtem Chriſtũ* IESVM *ſponſæ ſuæ Eccleſiæ Romanæ loqui, quippe quam ſic vnicè dilexit: ſic ſummopere amauit: vt ſemetipſum traderet pro ea: ſicq; exhiberet illam ſponſam glorioſam, non habentem maculam neque rugam, ceu pulchrè aſſerit Apoſtolus Paulus.*

Cantic. 4.

Canti. 1.

Ephe. 5.

Poſſunt & hæc omnia, quæ in hoc carmine nuptiali ſcribuntur, cuilibet animæ ſanctæ adaptari: eo quod iam tota ſe Deo dicauit: ita vt, ſummi Dei gratia, mũdo, & his quæ mũdi ſunt, prorſus renũciarit. Itaque rebus notis alle

gorię conficiuntur, & in ſententias vertũtur diuinas, quē admodum exactè ſanctus Gregorius teſtatur: Quatenus dum ſenſu exteriora cognoſcimus, ad interiora & abdita myſteria deuenire valeamus. Enimuerò, epithalamium amoris nobis deſcribitur, quo ex aſſuetis ſermonibus anima noſtra diſcuſſa incaleſcat, & ad Chriſti IESV *nobiliſſimi ſponſi amorẽ plus inardeſcat. Illud verò ſolerter obſeruandum, quã mirabiliter, atque miſericorditer Deus optimus nobiſcũ, quamuis immeritis operetur. Quique vt nos vermiculos humi reptantes, ad ſacri amoris amplexus accendat, ad dilectionis corporalis verba vſque ſe inclinat.* Sed vndè loquẽdo ſic ſe humiliat, inde nos intellectu exaltat. *Ratio, quia ex ſermonibus huiuſcemodi diſcimus, qua virtute in diuinitatis amore ferueamus. Oportet ergo, vt cùm exteriora audimus, neutiquã ad exteriora ſentiẽda remaneamus: ne forſitã machina quæ ponitur vt leuet, ipſa magis opprimat, grauetque: alioqui ad nuptias ſponſi cæleſtis cum veſte nuptiali deuenire nequiuimus. Quid plura? in Cãticis his potiſſimè Eccleſia Saluatorem obnixè prętolatur; quapropter toto pectore clamãs inquit: Oſculetur me oſculo oris ſui, quia meliora ſunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis. Nec non & vna quęque anima ſpiritu Dei afflata, hoc ipſum pro virili ſua expoſtulat: magnopere cupiens ingreſſum Dei in cor ſuum, quatenus dulcedinem ſponſi ſentiat: & illum perindè atque in thalamo ſedentem intra ſe aſpiciat. Cęterùm illud annotatu dignum eſt: quòd non abs re Cantica canticorum Salomonis vocantur: quandoquidem Salomon, pacificus interpretatur. Quo intelligamus ſigno pacis*

S.Grego. — Collatio. — Cant.1.

librum

librum hunc inſignitum fore: eā ob cauſam, ab oſculo quod pacis ſymbolum eſt, ſuum auſpicatur initium. Verùm, mentes pacificas hoc nuptiale carmen accerſet, quæ quidem, ſe ſe à vitiorum perturbationibus vendicantes, curarum tumultus penitus abdicarunt. Sed de ijs in explicatione tituli huius libri fuſiùs tractabimus. Supereſt, prudēs Lector, vt qui beneuolentia nō vulgari, & charitate ſolita Declamationes noſtras Aduentus Domini, Quadrageſimæ, & omnium ſanctorū feſtiuitatum hactenus accepiſti, commentaria hæc in Cantica canticorum eadem dilectione ſuſcipias. Neque fas erit annotationes quadraginta quatuor, quæ ſubinde ſequuntur, in laudem Deiparæ Virginis Mariæ ſpernere. Quin potiùs eas obſecro legito. Quas ſanè ſi pio affectu videre, tibi placuerit, fieri nō poteſt, quin aliquid frugis, Domino opitulante, exhaurias. Et quam optimè in Chriſto IESV. *vale.* Nota.

Omnia ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ cenſuræ, lubēs ſubmitto.

F. ALPH. MENDOZA

Sacrę Theologię Auguſtinianiq; inſtituti profeſſoris Lectori Hexaſtichon.

QVo ingenuos animo gignas, pie Lector, amores,
Et caſto foueas pectore iam genitos:
Scilicet egregium pangit tibi carmen Orozco,
Quo rapit ad thalamos cor animumque pios:
Dùm reſerat viuos Chriſti, atque Eccleſiæ amores,
Quos viuo expreſſit carmine Rex Salomon.

EIVSDEM
Carmen inuitatorium vice Epithalamij.

QVotquot virgineo rubetis oſtro,
Et ſanctæ geritis pudore vultus
Perfuſos, agite: ad ſacras Camænas:
Ad gratum celeres venite xyſtum,
Ridentes vbi floſculi colore
Vernant multiplici, comiſq; turgent
Panſis lilia candida, & rubeſcit
Pæſtanis roſa gratior roſetis.
Hîc florẽs Amaranth⁹, et Hyacinth⁹,
Narciſſus quoq; purpuratus offert
Flores ſymbola vera amoris almi.
Hîc iugis viror hortuli feracis,
Deſertum nemus, auiiq; montes,
Proceræ ſimul arbores ſuſurro
Tactæ leniter inſtrepentis auræ.
Hîc torrens placidè fluentis amnis,
Ditans munere prata diſcolori:
Hîc fragrans odor, hîc olens anethū,
Hîc & fiſtula Cinnami, atq; Nardus,
Et Panchæia thura odore præſtant,
Hîc pro paſſeribus die atq; nocte
Blandas lenè ſonantibus querelas,
Vox Sponſæ ſonat oſculum petentis,
Audaci prece blandientis aures
Sponſi, cuius amore ſauciata
Hàc illacq; vagatur, ora largo
Perfundens ſua fonte lachrymarum.
Queis Sponſus liquefactus, ô colūba
Humentes Soror alma terge ocellos:
Oſtende ô faciem, meaſq; mulcea
Aures voce tua, veni ad iugales,
Quos ſtraui, thalamos: veni peroſa
Nymphas Hermonides, veni ad pudicos
Amplexus, quibus implicemur arctè,
Ceu cùm nexibus arbores adultas
Hac illacq; hedera implicat retortis.
Sic ſe colloquiis ſimul laceſſunt,
Alternoſq; ſibi canunt amores,
Inuitantq; ad amœna rura, & hortos.
Non hic cærula Nais, aut Oreas,
Quo lætos agitent choros, vocantur.
Adſunt agmina Cælitum beata:
Virtutum chorus intereſt ſacrarum,
Certatim quæ hilares agant choræas.
Pergit prima Agape, ſecunda Piſtis,
Mox Elpis, parili ſequuntur inde
Poſt illas pede cæteræ Sorores,
Incorrupta Dice, Phroneſis acris,
Inuincibilis Andria, atq; victrix
Carnis Sophroſynæ rebellis alma.
Ad ſacros igitur venite xyſtos,
Quotquot virgineo rubetis oſtro:
En vobis aditus Orozco pandit,
Dum iam Bucolicos refert amores,
Quos per prata virētia, et per hortos,
Et celſi iuga montis ambulantes,
Imbelles ouium greges ſequuti,
Inter ſe ſe iniicere Chriſtus, atq;
Sponſa Eccleſia, quos breui libello,
Dilectus Lamuel Deo exarauit.

IN CANTICA CANTICORVM, COMMENTARIA

quædam per Fratrem Alſonſum ab Orozco Auguſtinianum, nuper edita.

De titulo huius libri.

NEMO, quamlibet rudis, ignorat, quo titulo liber hic ſit inſignitus: equidem, Cãtica canticorum Salomonis: Hebraicè verò ſic habetur: Canticum canticorum quod Salomoni. Itaque nõ ſe iam regẽ Iſraël appellat, vti in principio Prouerbiorum, *Prouer.1.* neque regem Hieruſalem ſe vocitat, quemadmodum in initio Eccleſiaſtes ſe nominarat, quæ nomina regalem dignitatem præ ſe ferunt, ſed proprio nomine vſus Salomonẽ ſe nuncupauit: nã Salomõ, id eſt, dilectus Dei interpretatur. Ratio, quia non de inſtituenda hominum vita, ſicut in Prouerbiorũ libro, aut de contemnẽdis rebus perituris, veluti in Eccleſiaſte, ſed de contemplatiua vita in hoc libro Canticorũ apprimè diſſeritur: & de mirabili amore ſponſi Chriſti IESV, & ſanctæ Eccleſiæ exactè tractatur. Sanè Cãtico-

Cantica canticorum, cur dicantur. rum cantica iurè dicuntur ob mirabilem excellentiam quam habent. Non autem ſimpliciter cantica, ſicut cætera quæ Moſes, Delbora, & Anna decantarunt, nuncupanda ſunt, Quimpotius in ſacris literis quædam dicta ſunt ſabbatha, quædam verò ſabbatha ſabbathorum. Et rurſus in templo alia dicebantur ſancta, alia verò ſancta ſanctorum. Sic, Origene teſte, nunc Salomonis Cantica canticorum dicta ſunt. Beatus is qui ingreditur ſancta, ſed lõgè beatior, qui dignè ſancta ſanctorum intrat. Cœterum, fœlix qui ſabbatha ſabbathizat, fœlicior autem ille, qui ſabatha ſabbathorum ritè obſeruat. Ad eandem imaginem, beatus iure appellatur, qui voce canora cantica ſacra decantat, ſatis denique beatior, qui corde candido, & pectore mundo hæc cantica canticorum eo ſpiritu cõcinit, quo ipſa cõſcripta ſunt. Enimuerò, niſi quis Prouerbia Salomonis opere impleuerit, vitam habens probè inſtitutam: necnon & Eccleſiaſtem peruolauerit, temporalia cuncta abhorrẽs, ſonora voce epithalamium hoc nuptiale perſonare nequibit. Animalis homo non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus, vt optimè clamat Apoſtolus. Imò omnia munda mundis, immundis autem nihil eſt mundum. Vndè te candide Lector vehementer hortor, moneo, atque obteſtor, vt cantica hæc, quæ tot myſteriis affluunt, non lectites, niſi te mundo mortuum agnoueris, & cum Paulo aſſerere valeas: Viuo iam non ego, viuit verò in me Chriſtus. Pallea tegit triticũ, vti graphicè ſcripſit diuus Gregorius, & ſic litera operit ſpiritum. Eam ob rem haud paleis victitemur, iumentorum in morem, ſed paleis ſpretis frumenta latentia capiamus. Scientes, quoniam litera occidit, ſpiritus autem viuificat. Iis prælibatis, ſponſam auſcultemus oportet, quauis Philomena dulcius canentem.

Exod. 15. *Iudi. 5.* *1. Regu. 2.* *Origenes.* *Nota.* *Titi. 1.* *Gala. 2.* *S. Grego.* *2. Cor. 3.*

CAPVT

CAPVT PRIMVM CANTICORVM.

O*SCVLETVR me oſculo oris ſui, quia meliora ſunt vbera tua vino fragrantia vnguẽtis optimis.* Hebraicè. *Oſculetur me ab oſculis oris ſui.* Idque Græcè habetur.

VIRO flagrans amore ſponſi, nunc ſpõſa oſcula expoſtulat, aduentum Saluatoris magnopere cupiens: nõ ignara quot calamitates vniuerſo orbi ſatanas per peccatum inuexit, dicẽte regali Propheta: Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt: non eſt qui faciat bonum, nõ eſt vſque ad vnũ. *Pſal. 13.* Cui ſententiæ adſtipulatur Apoſtolus dicens: Omnes in Adam peccauerunt, & egent gloria Dei. *Roma. 3.* En quanta ſtrages diaboli aſtucia in mundo oborta eſt. Sciens ergo, & verè ſciens ſancta Eccleſia, quòd ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & per Chriſtum Ieſum omnes viuificabũtur: ſuſpiria iactans, gemibunda clamitat: *Oſculetur me oſculo oris ſui.* Perinde dicat: ſpõſus meus, filius Dei, me inuiſere dignetur: ipſe magnum dilectionis mihi ſignum oſtendat, ipſe trabeam mortalitatis amore mei tactus, in virginis Mariæ aluo induat: ita vt homo factus, ore ſuo ſacroſancto me erudiat: eruditamq; omnium chariſmatum donis decoratam efficiat: adeò vt nec rugam, neque maculam poſt hac ipſa habeam. Notandum, vt per bellè Origenes inquit, quòd moris Hebræorum eſt, quem ſacra *Orig. in ca.*

 ſcri-

ſcriptura ſectatur, imperatiuum modũ, pro optatiuo ponere, vt ibi: Pater noſter, qui es in cęlis, ſanctificetur nomẽ tuum, hoc eſt, vtinam ſanctificetur nomen tuum in nobis. Sic in pręſenti: Vtinam me oſculetur filius Dei, eas ob res patrem cæleſtem obnixè præcor, vt quamprimũ eum mittat, quemadmodum per ora prophetarum ſua dignatione ipſe ſpopondit. Vſquequo ſponſus meus per Moſen, & Aaron alioſque vates, & ſi inſignes, mihi oſcula mittit: iam ipſius amoris ſymbola, & ora contingere cu pio. Ipſe veniat ipſe deſcendat, cui me totam deuoui, dicaui, ac ſacraui. Quem toto diligo affectu: quem deniq; ſuper omnia vnicè amo. Alluſio eſt ad illud Eſaiæ clamantis: Emitte agnum Domine dominatorem terræ de
Eſai.16. petra deſerti, ad montem filiæ Sion. Et iterum: Vtinam diſrumperes cælos, & venires. Et in Pſalmo: Emitte ma-
Pſal 143. num tuam de alto, eripe me de aquis multis, & de manu filiorum alienorum. Manus patris omnipotentis vnigeni
Ioan.1. tus filius eius eſt. Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. Sanè vbi legem dedit in monte Sina, digito ſuo Deus eam ſcripſit: quãdo verò Euangelium ſanctum in orbe apparuit, manus patris (id eſt) filius vnigetus datus eſt nobis. Quique eò venit, vt legem amoris daret, eam & opere prior ipſe adimpleret, eo cõteſtante: Nõ
Matthæ.5. veni ſoluere legem, aut Prophetas, ſed adimplere. Siquidem benè meritò ſponſa ſic orat, ſic totis niſibus Patrem
Exo.4. precatur, ſciẽs; quia Moſes impeditioris linguę erat, vt ipſe
Eſai.6. de ſe fatetur: Eſaias immunda labia ſe habere aſſerit: Hie-
Hiere.1. remias puerũ ſe nominat, dicẽs: A.a.a. neſcio loqui, quia puer ego ſum: at filius Dei Dominus IESVS: ſpe-
Pſalm.44. cioſus forma præ filiis hominum, diffuſam habet gratiam in labiis ſuis. Ideò ore ſuo, & non alieno, fluenta
Ioan.4. doctrinæ mihi largiri dignetur, & ſubinde fiet in me

fons

fons aquæ viuæ, ſalientis in vitam æternam.

Summa, oſculum, quod ſponſa tantopere cupiebat, incarnatio verbi eſt, nec non & ſermo eius viuus & efficax, oſculum omnimoda ſuauitate refertũ dici poteſt. Quo ibimus, ait beatus Petrus, verba vitæ ęternę habes? Non planè oſculum hoc eſt coniuctio labiorum, quæ interdũ pacem mentitur animorum, vti de Iuda, & Ioab memoriæ proditum eſt: ſed infuſio gaudiorum, reuelatio ſecretorum, ac ſpiritalis vnio animæ cum Deo. Qui adhæret Deo, vnus ſpiritus eſt. Sed iam obſecro fratres altius mecum verba ſponſę expendite. Quæ nam eſt iſta, quæ tam audaci confidentia loquitur, ita vt oris filij Dei oſculum petat? Non ſat ei erat, cum diua Magdalena ad pedes tanti regis ſedere, & eos oſculari? Agite fratres, & virtutem amoris ſancti nunc agnoſcite, equidem perfecta charitas foras mittit timorẽ. Mirabile dictu, dilectio ſancta audax eſt, maieſtatem ignorat, omnia æquat, omnia audet, & omnia ſibi licere exiſtimat. Alioqui Maria Magdalena lachrymabunda in horto magiſtro ſuo non diceret: Si tu ſuſtuliſti eum dicito mihi, & ego eum tollam. Ecce mulier fragilis amore IESV ſuccenſa, opus magnum promittit, quod ſuapte natura exequi non valebat. Quid quod Paulus charitate nimia fretus dixit: Omnia poſſum in eo, qui me confortat? O mirabilem amoris vim, ô ſtupendam, & admirandam charitatis energiam. Diligamus Deum, obſecro chariſsimi, quoniã ipſe prior dilexit nos. Non honores mundi, fumi inſtar euaneſcentes, non diuitias falaces, aut carnis delitias affectemus vnquam: ſed cum ſponſa orantes clamemus. *Oſculetur me* IÆSVS meus *oſculo oris ſui.* Nõ ſeruum cum baculo mittat, quia vitam præſtare non poteſt: veniat, qui eſt via, veritas & vita. Alioqui non reſurgo, non reſpiro, aut de puluere excutiar,

S.Ber. ſer. 2 in canti.

1.Corin. 6.

Luce. 7.

Ioan. 20.

Phili. 4.

4.Reg. 4.

tiar, niſi propheta magnus veniat, & ori meo oſcula figat, vt olim tempore Eliſei in figura contigit. Cæterum
4. Reg 4. quàm efficax fuerit oratio ſpōſæ, ſequētia indicāt verba: *Quia meliora ſunt vbera tua vino, fragrantia vnguētis optimis.*

Verùm quia ſcriptum eſt, oratio humiliantis ſe, nubes penetrat, humili ſua precatione ſancta Eccleſia necdum nubes, ſed omnes cælos penetrauit. Adeò vt filius Dei
S. Grego. in canti. Chriſtus IESVS (vt optimè ſanctus Gregorius teſtatur) anxietatem ſponſæ ſuæ vnicè dilectæ ſentiens, votum exaudiens, oſculum dulcis inſpirationis porrigit: & ne deſiderio ingenti laceſcat, guſtu ſuauitatis lenit. Et dum ſuam præſentiam exhibet, eam ad maius dilectionis oſculum accendit. Mira res, ſatiſque miranda, quem præſentem habet, mox gaudens, mutata voce alloquitur, & clamat: *Quia meliora ſunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis.*
Eſai. 65. En chariſsimi quàm ſit verum illud Prophetæ: Adhuc te loquente dicam: ecce adſum. Itaque ſponſa orare deſiſtēs, ad ſponſum quominus conuertitur, & vbera illius miris encomiis collaudat. Verum Saluatoris vbera dilectio Dei, & proximi ſunt. Hiſce vberibus ſpōſam ſuā dilectam lacte pietatis nutrit, & in tentationum calamita
Oſee. 2. tibus fouet: & ut perſiſtat reficit, iuxta illud Oſee: Ducā eam in ſolitudinem, & ibi loquar ad cor eius, & lactabo eam. Sunt etiam vbera ſponſi vtrunque teſtamentū, quorum candida doctrina omni lacte dulciori, Eccleſia Romana ſuos filios quotidie alit, nutrit, ac roborat. Enimuerò extra ſanctam hanc eccleſiam, non lac, ſed lethale venenum inuenitur. Talis planè eſt hæreticorum doctrina, & peſtilentiſſima commenta. Rurſus vbera ſponſi liberalitas, & miſericordia eius erga nos ſunt, dicente Za-
Luce. 1. charia: Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitauit nos, oriēs ex alto. Quemadmodum in vberibus ma

ternis

ternis infantes omne habent nutrimentum , atque ſola-
tium,neq; alia extra ea quærunt,deſiderantvè : ita ſancta
Eccleſia,vel quælibet anima pia,in vberibus diuinæ miſe
ricordiæ,&pietatis ſitū ſuum omne gaudiū,& pabulū in-
uenit,cum Dauide clamās: Renuit cōſolari anima mea, *Pſalm.76.*
& memor fui Dei,& delectatus ſum, & exercitatus ſum,
& defecit ſpiritus meus.O fœlix anima quæ omnia mū-
di oblectamenta poſthabens, ex vberibus Saluatoris lac
dulciſsimum quotidie , nec non & quauis hora ſuggit. *1.Pet.2.*
Quaſi modo infantes lac concupiſcite,vt in eo creſcatis,
ait beatus Petrus.Nónne erga nos quaſi maternum amo
rem Deus optimus habet? Ad Eccleſiam Iſraëliticam lo- *Eſai.49.*
quens,ſic inquit:Nunquid poteſt mulier obliuiſci infan
tem ſuum?ſi illa oblita fuerit, ego tamen tui non obliuiſ-
car:ratio,quia in manibus meis ſcripſi te.Etenim tunc cla
uis ferreis Chriſti IESV manus nō erant vulneratæ,quia
humanitatem noſtram non aſſumpſerat. Nunc verò in *Nota.*
manibus ſuis omnes fideles conſcripti ſumus : ita vt ob
oculos nos ſemper habeat, nec poſſit noſtri vnquā obli-
uiſci.Vtinam viciſſitudinem amoris ei reddētes,diu no-
ctuque illius recordemur,gratias agentes: neque eius vel
per momentum obliuiſcamur.Quod verò ſuper vinum
ſponſa meliora teſtatur fore ſponſi vbera:perinde eſt, ac
ſi dicat:Super omnes delitias,& ſuper omnia mundi gau
dia tua vbera diligo.Peculiare eſt vino lætificare cor , vt
in Pſalmo legimus:Vinum lætificat cor hominis. Vnde *Pſal.103.*
per vinum omnimodam lætitiam mundi intelligimus.
Quid quod vinum intellectū excæcat: Sicut quondā de
Noë ſcriptum eſt, quippe qui mero immodico inebria-
tus eſt?At contrà,vbera hæc intellectū acuūt,& illumināt *Gene.9.*
vehementer.Illud apoſtatare facit etiā ſapientes: hæc ho.
mines quamlibet idiotas ſapientiſsimos efficiunt.

Quid plura? non modo hæc ſponſi cæleſtis vbera cuiuſuis vini delectamentum & ſaporem exuperant, ſed vnguentis optimis fragrant. Hebraicè habetur: Odor vnguẽtorum tuorum ſuper omnia aromata. Poſt oſculum viſitationis, ſtatim vnguentorum odoré ſenſit. Ideò memoriam abundantiæ ſponſi eructat: neque tacere valet quod deguſtauit, vt nos alliciat, & prorſus allectet, ad ſpernendas mundi, carnisvè delicias. O verè fœlix mens, quæ lacte ſapientiæ reficitur, vino deffecato inflãmatur, ac inebriatur: nam ſcriptum eſt: Calix meus inebrians, quàm præclarus eſt! Et iterum: Inebriabũtur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos Domine. Beata inquam anima, quæ odore excitatur, vt magis ac magis ſponſum diligat: & tandem vnctione ſacratur. Quæ omnia ex diuinitatis oſculo, tanquam è fonte puriſsimo dimanant. Hinc non oſculum tantùm, ſed crebra oſcula frequentes viſitationes petamus oportet. Sic ex Hebræo paulò ante notauimus: *Oſculetur me ab oſculis oris ſui.* Nõ vtique ſponſus noſter ex alto venit ad nos, niſi vnguento mirabili delibutus: nec aliter poterat ad ſponſam ſuã venire, nec decebat patrem aliter filium ſuum ad nuptias deſtinare: ſicut exactè Origenes notat. Ipſe quidé caput noſtrum eſt, noſque membra eius. Eam ob rem, ſicut vnguentum in capite quod deſcendit in barbam Aaron, & ex barba defluit ad oram vſque clamidis: ſic de plenitudine eius, omnes accepimus gratiam pro gratia. O ter quaterq; beatus, qui iam cum Apoſtolo exclamare poteſt: Bonus odor Chriſti ſumus in omni loco. Siquidem virtus quæque miro odore fragrat, adeò vt Angelos ipſos lætificent fides noſtra, charitas, ſpes, caſtitas, patientia, & alia id genus. Sed ô infœlicem orthodoxum, qui hoc audit, & in limo ſceleris volutatur: quique illud Pſalmi nõ

Pſal.144. *Pſal.22.* *Origenes.* *Ioan.1.* *1.Cor.2.*

pœ-

pœnitendo dicit:Putruerunt, & corruptæ ſunt cicatri- Pſal.37.
ces meæ,à facie inſipientiæ meæ.Etenim execrāda inſci-
tia eſt,non ſurgere à peccato,ſtultitia mera, non currere
ad pœnitentiam,& coram confeſſore delicta ſua,quan- Confeſſio.
tumlibet deformia detegere,& ſalutarem abſolutionem
accipere. Vultis peccatoris fœtorem agnoſcere?peſſimū Figura.
Antiochum Regem inſpicite,qui ob iniquam ſuam bla-
ſphemiam,alto Dei iudicio,vermibus ſcatebat,cuius fœ 2. Machab 9.
tor talis erat,vt milites ſufferre illum non potuiſſent: quā Et Acto.12.
ob rem extra caſtra illum proiecerunt. At contrà anima
ſancta ſic virtutibus ornata ſponſo diuino placet, vt gau-
dio ingenti affectus ipſe tacere nequeat, quominus cla-
met:Odor veſtimentorum tuorum, ſuper omnia aroma Canti.4.
ta.Cæterùm,quomodo alia ſit vnctio deuotionis,alia cō
tritionis,& pietatis fuſius expēdit ſanctus Bernardus ſer. S.Ber.
10.in Cantica.Rurſus, de vberibus ſponſi Chriſti,qui ex-
pectat delinquentem,& non ſtatim eum plectit, & dimit
tit peccata pœnitenti,latiùs hic ſanctus explicat ſer. 9. in
Cātica.Gemina dulcedo ſuauitatis exuberat in pectore
Dñi IESV,longanimitas in expectando, & in donando
facilitas.Non enim,qui eſt vera & æterna vita, vult mor-
tem peccatoris:ſed magis vt conuertatur & viuat. Deni- Eze.18.
que,quia horum vnguentorum odor longè plus mentes
deuotas reficit,& oblectat quàm corporalē ſenſum quę-
cunque delectare poſſunt,optimi odoris oblectamenta:
eas ob res ſponſa ait.

OLeum effuſum nomen tuum,ideò adole-ſcentulæ dilexerunt te.

OBSERVANDVM, quòd ſicut ſodales ſiue
ſocios ſecum habet ſponſus,qui Angeli ſunt, vel

miniſtri Eccleſiæ : ita ſponſa adoleſcentulas vel pediſſequas habet. Eſt quidem regina, de qua in Pſalmo legimus: Aſtitit regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circũdata varietate. Et ſequitur de adoleſcentulis eius: Adducentur regi, id eſt, Chriſto virgines poſt eam: & proximæ eius afferentur tibi, in lætitia, & exultatione. De iis adoleſcentulis, quæ non adeò perfectionis metam attigerunt, ſponſa in præſentiarum loquitur. Ait ergo: *Oleum effuſum nomen tuum, ideò adoleſcentulæ dilexerunt te.* Senſus eſt. Cũ veneris ad me oſculandam, meam induens humanitatem, *nomen tuum*, quod hactenus in mũdo eſt, ſicut oleũ optimum, quanquam clauſum, & obſignatum, & non mittens odorem niſi populo meo Iſraëlitico, tunc poſt aduentum tuum, non amplius ita erit, ſed (ni fallor) veluti oleum de vaſe in vas effuſum, longè lateque dabit odorem: *Ideo adoleſcentulæ dilexerunt te*, hoc eſt, ob hanc cauſam gentes, quæ mecum ſunt in domo tua, & adhuc te ſponſum non agnoſcunt, diligent te, vanis ſuis idolis ſpretis, ſubinde exhalantis vnguenti virtute affectæ, tibi ſoli adhæreſcent: teque vnicè tantùm corde toto diligent: *Oleum effuſum nomen tuum*: Vbi Origenes propheticum ſacramentum, tantummodo nomen IESV venit, & vnguentum prædicatur effuſum. In Euangelio mulier accipiens alabaſtrum vnguenti nardi piſtici pretioſi, pedes & caput IESV perfudit. Obſeruate diligenter fratres, impleta eſt domus Simonis Leproſi odore vnguenti, id eſt, totus mũdus ſuaui fragrantia Chriſti IESV plenus fuit. Leproſus diabolus eſt, quem principem mũdi hujus Saluator appellauit. Mirabile dictu: notus erat in Iudæa Deus, & in Iſraël magnum nomen eius. Atqui, vbi filius factus eſt homo, & ex virginis Mariæ aluo prodiit, cõfeſtim cùm paſtores, tùm etiam Magi ab Oriente venerunt, Saluatorem

Pſalm. 44. | Nota. | Orig. in Cant. | Matth. 26. | Lucæ. 7. | Ioan. 12. | Pſalm. 75.

rem mundi adorare.Immò poſtquam ſuo roſeo ſangui ne nos redemit in Cruce, pro nobis immeritis obuiens, hac & illac nominis ſui ſacri fama diuagatur: & per Apo ſtolos,& concionatores verbi Dei,vbique terrarum prędicatur:dicente regali Propheta: In omnem terram exiuit ſonus eorũ,& in fines orbis terræ verba eorũ. Quod ſanè Paulus de prædicatione Euãgelij ſancti,probè expo nit:Nunquid non audierũt? & quidẽ in omnẽ terrã exiuit ſonus eorũ. Nõ æquè nomẽ Moyſi, aut Heliæ alteriuſq; prophetæ per omnia terrarũ climata perſonuit, ſed ſolũ nomẽ ſanctũ & terribile Chriſti IESV. Sed quia in declamatione Circũciſionis,plura de hoc benedicto nomine adduximus,quæ quidem declamatio in libro Aduentus Dñi extat,nunc pauca dicemus.Sat ſit adnotare,quòd iu re optimo,nomẽ infuſionis infertur:eo quod, Apoſtolo teſte,charitas Dei diffuſa fuit in corda noſtra, per ſpiritũ ſanctũ,qui datus eſt nobis.Hac charitate fideles affluunt, & ea molliũtur,vt flãmas exemplorũ emittant:& eadem charitate cooperãte,magis in amorem Dei,& proximi in dies accreſcunt,amplius & quotidie Chriſto adhærẽt.O nomẽ mellitiſsimum, quo velut vnguẽto nos vtimur, vt in ieiunio,& pœnitentia nemo laudet nos inaniter, ſed pater cæleſtis mercedem commeritam nobis præbeat, quique in abſcondito videt.Eodem oleo vngimur cum fortiſſima vidua Iudith,vt Holophernem ſuperbum, id eſt,dæmonem vincamus.Tandem hoc ſacro vnguento vulnera noſtra linire contendimus,quo tam mirabili bal ſamo, vlcera delictorum noſtrorum ſanitatẽ accipiant. Veh igitur peccatori,de quo ſcriptũ eſt: Vulnus, & liuor, & plaga tumens non eſt circumligata,nec curata medicamine,nec fota oleo.Profectò fratres, laſsis,& defatigatis in hac calamitoſa vita,ob virtutis ſtudium,quod labo rem

Pſalm.18.

Nomen Ieſu oleum eſt.

Matth.6.

Iudith.9.

Eſai.1.

Sapientiæ.9. rem habet ex parte corruptæ carnis, quæ mirum in modum aggrauat animam, diuinis operibus vacare cupiẽtem, nil poteſt adhiberi tam efficax ad innouandas vires, ad mandatorum Dei percurrendam viam, ad prælianda prælia Dei, quàm oleum iſtud nominis Domini *Acto.4.* IESV Chriſti. Nec aliud nobis datũ eſt ſub cælo, in quo oporteat nos ſaluos fieri. Deniq; rectè nomẽ Chriſti oleo effuſo cõparatur: quia lucet, paſcit, & vngit. Quin & lux, cibus, & medicina ſalubris eſt. S. Bernar. ſer. 15. in Cãtica.

S. Bern. *Ideò adoleſcentulæ dilexerunt te.* Sancta Eccleſia addidit nimis. Adhuc ſponſa amatoria loquitur, & ad laudes ſpõſi pergit, ac ſi patenter dicat. Nõ fruſtra nomen tuum exinanitum eſt, ô amantiſsime ſponſe, eam ob cauſam adoleſcentulæ, quæ mecum ſunt vehementer dilexerunt te, *Nota.* ideſt, illę tanquam teneræ, & delicatę nimis ob oleum cõſolationis tuæ te amant. Effuſum eſt oleũ, & ignis nouus exarſit: egebat ſanè tali cibo. At in me in qua antiquus ignis incenſus eſt, & dilectio tua radicata, non æquè oleo ſolatij indigeo, imò ſuperabũdo gaudio in tribulationibus meis, vt verbis Paulinis vtar: Quin & omne gaudiũ exiſtimo, quãdo in varias tentationes incido. Itaque ſi pediſſequæ meæ ob nimiam teneritudinẽ oleo gaudij tui aduenienté diligunt te: ego verò inter labores, inter cruces, & medias mortes noui te adamare, tua mirabili virtute freta. Adeò vt cum regali Propheta canam: Si ambu- *Pſal.22.* lauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Diligãt adoleſcentulæ tua dona, tuas delitias: ego dumtaxat te toto pectore diligo: non tam quærens tua dona, ſed te ſolum. Quid mihi eſt in cælo? *Pſal.72.* aut à te quid volui ſuper terram? Deus cordis mei, pars mea, Deus in æternum. Vidiſtis chariſſimi fortitudinem ſtupendam ſponſæ, quàm perfectè diligat ſponſum Chriſtum

ſtũ I E S V M, quauis calamitate aduentante, inter vincula, carceres ſquallẽtes, & ſartagines, perinde ac ſpõſi vocem audiens: Beati eritis, cùm maledixerint vobis homines, *Math.5.* & dixerint omne malum aduerſus vos: gaudete & exultate, in illa die, quia merces veſtra copioſa eſt in cælis. Sic planè Deipara virgo Maria exultabat in exilio Ægypti, He- *Nota.* rodis verſuti ſæuitia inundante: ſic virgines ſanctæ Catharina, Agnes, Barbara, & aliæ quamplures iuuenculæ ob Chriſti amorem exquiſita obeuntes tormenta. Quarum veſtigia nos obſecro ſectari contendamus, & pro nõſtra virili imitemur oportet. Quam perfectionem ſi hactenus non attigimus, vel ſaltem adoleſcentularum exẽpla ſequamur, propter fragrantiam olei, ſponſum candido pectore amantes. Signãter autem animæ fideles, quæ perfectæ non ſunt, adoleſcentulæ vocantur: eo quòd diligentes Deum ſincerè, & ſi ætate prouecti ſint, & ſenes, in baptiſmo iuueneſcunt, iuxta illud: Renouabitur vt aqui- *Pſal.102.* læ iuuentus tua, & alibi: Introibo ad altare Dei, ad Deum *Pſal.42.* qui lætificat iuuentutem meam. Rurſus in hoc nomine adoleſcentulæ, incorruptio, & puritas animarum ſanctarum inſinuatur, quippeque alienis non adherent amoribus. Vnde Apoſtolus clamat: Deſpondi enim vos vni vi- *2.Cor.11.* ro virginem caſtam exhibere Chriſto. Ni fallor fratres, quotidie in Eccleſia ſancta hoc impleri videmus, & vidẽtes grates inexhauſtas Deo præbemus, dum puellæ nobiles, quæ mundi ſunt oblectamenta, gratanter ſpernunt, ad monaſteria cõuolantes. Idq; iuuenes in tenera *Religi. ſt.* ætate actitant, diuitias, honores, & cuncta ſeculi bona cõtemnentes, cœnobiaque intrantes, quò ſecurius atque liberius Chriſto I E S V inſeruiant, vitamque monachalẽ inibi perpetim obſeruent. Vnde hæc prodigia, & miracula ſcaturiunt? nempe quia fragrãtia, & dulcedine amo

ris

ris Dei allecti, eorum quæ retro ſunt obliuiſcentes, ad ea quæ anteriora, & æterna ſunt, ſe extendunt. Sed quia ſpō ſa adhuc orationi vacat, & ſponſum precari, ei ſemper placet, rurſus clamat.

TRahe me poſt te, & curremus in odorem vnguentorum tuorum. Hebraicè. *Trahe me, poſt te curremus.*

QVOD ferè in eundem ſenſum redit, in Hebræo ſignatur accentus *Tarhah*, qui vim habet ſuſpendēdi parumper: poſtea ſequitur: *Poſt te curremus.* Sēſus eſt. *Trahe me*, ad te amandū, non ſolū per odorē oleorū tuorū optimorū, veluti hucuſq; ſed iā per oſcula, & ſpiritales inſpirationes quę longè meliores ſunt, *Poſt te curremus.* Hoc eſt. *Trahe me:* per aduentum tuū ad me redimendū, vti pollicitus es patribus meis: & non amplius per prophetas oſcula mittas: tenebroſa vtique aqua eſt in nubibus aëris. Quòd ſi præſtiteris, non tantum ego, ſed & comites meæ Gentes, *Poſt te curremus*, Vel ſic. *Trahe me* ex hac Ægyptiaca ſeruitute, & iam libertati reſtituta, *poſt te*, in obſeruatione mandatorum tuorum ouāter *curremus* ego, & adoleſcentulæ meæ. Et ſic ſpōſa prophetat de Catholica Eccleſia Gentium. Quæ vnà cum vera Iſraëlitica gente, erat poſt IESVM curſura.

Nota.

Pſal. 17.

Nota.

Sed lubet fratres, paulò altiùs verba ſponſæ mirifica conſiderare. Orat obnixè, ſe trahi à ſponſo cæleſti, certo certius ſciens, quòd nemo currit poſt Chriſtum, niſi quē gratia diuina trahit. Alioquin corruptionis ſuæ pondere prægrauatur. Hinc ſacra clamat ſcriptura: Corpus quod corrumpitur aggrauat animā. Eodem attinet, quod ingemiſcens aiebat Paulus: Infœlix homo, quis me liberabit, de morte corporis huius? ſtatimque: ſubiungit gratia Dei

S. Grego. in Canti.

Sapi. 9.

Rom. 7.

per

per IESVM Chriſtum. Iure ergo Eccleſia veſtigia Chri ſti, & virtutes heroicas eius ſequi magnopere cupiens, fer uido affectu vociferatur, amantiſsime ac dulciſsime ſpō ſe, hoc votis omnibus concupiſco, obſecro quàm primũ *Trahe me poſt te.* Scio namque, & optimè ſcio, meapte na tura infirmam fore, velle ſanè adiacet mihi, perficere ve rò non video: propterea à te trahi cupio, qui omnipotēs es. Exultaſti quidem, vt gigas ad currendam viam hanc ſenticoſam, & valdè laborioſam: ego vt pote fragilis, te niſi ſuffragio tuo fulta, ſequi, nullatenus valeo. Nónne ea vox tua eſt? Sine me nihil poteſtis facere. Rurſus, ore tuo ſacro dixiſti: Nemo venit ad me, niſi Pater meus traxerit eum. Quandoquidem quos pater trahit, tu trahis, & ſpi ritus ſanctus: quia opera Trinitatis ad extra indiuiſa ſunt. Veruntamen familiariùs à te trahi, expoſtulo, quia tu ſo lus homo factus es, quem pater cæleſtis miſit in mundũ: vt ſis mihi ſapientia, iuſtitia, ſanctificatio, & redemptio. Trahe quodammodo inuitam, vt facias voluntariam: tra he torpentem, vt reddas currentem. Satius mihi eſt, vt ſe cundùm vim qualencumque trahas, aut terrendo mi nis, aut exercendo flagellis, quàm parcens, in meo me tor pore malè ſecuram relinquas. Vidiſti Petrum & Andreã fratres in mari laborantes, inſpexiſti Ioannem & Iacobũ, & verbo mellito tuo traxiſti eos: ita vt relictis retibus & naui, nec non & patre Zebedeo, te ſecuti ſunt pedibus, & affectibus. Trahe me Domine mi poſt te. Rurſus tua mi rabili dignatione factum eſt, vt Matthæum in teloneo ſe dentem inſpiceres, & reſpiciendo, illius miſertus, ipſum ad te traheres: Apoſtolum & Euangeliſtam tuum extem plò efficeres: non me deſeras poſtulo vehementer. O vos fratres in quacunque aduerſitate laborantes, quauis ſata næ tentatione tacti, ne deficiamus: ſed toto niſu, totoque cona-

Roma. 7.

Ioan. 6.

Matth. 4.

Nota hoc dogma.

conatu cum ſponſa clamitare oportet: Ieſu bone, & noſtri amantiſsime, trahe nos poſt te. Magnes, cum lapis ſit, innata ſua virtute trahit ferrũ. O lapis angularis pretioſe valde, corda noſtra, etſi ferrea, aut adamãtina, ex tẽplò trahe ad te. Adimple Dñe quod lubens ſpopondiſti, di-
Ioan. 12. cens: Ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum. Sed heu iam libet cum diuo Bernardo exclama-
S. Bern. Ser. 21. in Canti. re: O Ieſu bone quàm pauci ſunt, qui poſt te ire volunt, cũ tamen ad te peruenire nemo ſit qui nolit: hoc ſcientibus cũctis, quia delectationes in dextera tua vſque in finem,
Nota. id eſt, ſine fine. Omnes te frui vehementer optant, at non ita imitari: conregnare cupiunt, ſed non compati. Quid
Nume. 23. plura, peſſimus ille Balam orabat: Moriatur anima mea morte iuſtorum, & fiant nouiſſima mea eorum ſimilia. O dementiam horrendam, extrema ſibi optabat iuſtorum, non principia. Cupiunt impij ſanctorum pretioſam mortem, horrent candidam eorum vitam. Nos chariſſimi Chriſtum ſequentes, ore & corde cum Petro dica-
Matth. 19. mus: Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te.

Trahe me poſt te, & curremus in odorem vnguentorum tuorum, Mira res, non ſe ſolam currere promittit poſt ſponſum, ſed cum ancillis ſuis ſimul ſequi ſponſum ſpon-
S. Ber. Ser. 21 det. Vbi ſanctus Bernardus: Trahimur, cùm tentationibus & tribulationibus exercemur: currimus, vbi internis conſolationibus, & inſpirationibus viſitati, tãquã in ſuauè olentibus vnguentis reſpiramus. Ergo quod auſterũ & durum videtur, retineo mihi, ait ſponſa: vt pote perfecta & fortis dicit: *Trahe me*: & quod dulce & ſuaue tanquam infirmis communicat adoleſcentulis ſuis. Noui, inquit, comites meas teneras & delicatas, & minus idoneas ad obeundas calamitates, propterea mecum volo vt currant in odorem beneficiorum ſponſi mei, ſed non

vt me

vt mecum trahantur. Volo ſocias habere conſolationis,non autem laboris.Infirmæ quidem ſunt,& vereor, ne deficiant. Me ô ſponſe dulciſſime corripe, me omnimodis erumnis exerce,me tenta, ac proba,quoniam ego in flagella parata ſum. Certatim curremus, ſed in odorem vnguentorum tuorum, non in noſtrorum fiducia meritorum. Tu Domine in tua virtute tanquam gigas magnificus, atque potẽs curris,in ipſa vnctione,nos, niſi vnguenta tua ſpirauerint,non curremus, Tu in plenitudine,nos in odore.Si quidem te Pater vnxit oleo lætitiæ præ conſortibus tuis. Vos fratres documentum hoc accipite,ſcientes, quoniam vnicuique mandauit Deus de proximo ſuo. Ne obſecro obliuiſcamur proximi noſtri:quem diligere nos oportet vt nos ipſos, ex Domini præcepto:Alter alterius onera portate,& ſic adimplebitis legem Chriſti, ait Apoſtolus. Exemplo nobis ſint cerui, qui iter agentes,vnuſquiſq; caput ſuũ ſuper alterius corpus reclinat. Quod exactè ſanctus Auguſtinus expendit, ſuper illud Pſalmi: Quemadmodũ ceruus deſiderat fontes aquarum,ita deſiderat anima mea ad te Deus.Qui ergo audit,dicat,veni:curramus omnes ſimul,& inſtar ſanctorum animalium currentes non reuertamur, labentia atque fugatia bona prorſus abdicantes : illud potiſsimè ob oculos ſemper habentes, quod Paulus hortatur: Omnes in ſtadio currunt,ſed vnus accipit brauium. Ecce vnitas fidei & charitatis ſola eſt,quæ palium vitæ æternæ arripit. Imò ij ſunt athletę violenti,qui regnum cælorũ, de mundo,& carne,& ſatana triumphantes, rapiunt. Atqui ſponſa nunc eructat nobis foras, quod affatim guſtauit intus. Vnde ait.

Nota.

Pſalm.44.

Dilectio proximi.

Galat.6.

Pſal.41.

S.Auguſt.

Eze.1.

1.Cor.9.

INtroduxit me rex in cellaria ſua. Exultabimus, & lætabimur in te, memores uberũ tuorum, ſuper vinum. In Hebræo ſic: *Introduxit me rex in cubicula ſua.*

Ioan. 3. Eſai. 45. Pſal. 50. Ioan. 15. Collo. 2.

INTROEVNTE ſponſo, forinſecus adoleſcentulę manent, propter amoris exordiũ. Iuxta illud: Amicus ſponſi ſtans, & audiẽs eũ gaudet, propter vocẽ ſponſi. Tale quidam adoleſcentulæ ſuſtinent: ſponſa verò ſpecioſa, & perfecta, ſine macula, ſine ruga, in ſponſi cubila, in regium penetrale ingreditur. Veruntamen ad iuuẽculas reuertitur, nunciãs eis, quę ſola cõſpexit. Dicitque, ingenti gaudio affecta: *Introduxit me rex in cubila ſua.* Nec ait: introduxit nos in celaria ſua, vel cubicula, ſed dumtaxat, de ſe hoc aſſerit. Vndè aduertẽdum eſt, quòd ſponſi cubicula, ſiue cellaria ſacrę ſcripturæ arcana ſunt: quæ rimari non licet, niſi ei, qui mundialia prorſus horruit, & carnis delectamenta ſuppeditauit, ſponſoque Chriſto toto adhęſit affectu. Huic profectò dictum eſt: Oſtendam tibi theſauros abſconditos, & arcana ſecretorum. Enimuerò incarnationis & redẽptionis, nec non & mũdi creationis myſteria velut theſauri ſunt in agro ſcripturæ ſanctæ abſcondita: quod non quiuis homo, ſed qui omnia ob Dei amorem contemnit, inuenire poteſt. Talis planè erat, qui dixit: Incerta & oculta ſapientiæ tuę manifeſtaſti mihi. Imò Saluator Apoſtolis dixit: Iam non dicã vos ſeruos, ſed amicos: quia quęcunq; audiui à Patre meo nota feci vobis. Quid quòd in cellariis iſtis regiis, illos cõmodè accipimus theſauros, ſapiẽtiæ & ſcientiæ, quos beatus Paulus in Chriſto aſſerit abſcõditos? Abſconditos dixit, propter eos, qui ſuperbia turgidos tullerũt clauẽ ſcientię. Quippe

Quippe qui nec ipſi intrauerunt, nec alios intrare permiſerunt. Quos iure optimo Saluator noſter redarguit. Potuiſſemus etiam dicere, cellaria hæc eſſe vbera ſponſi, vt nuperrimè tetigimus. Nam viſcera miſericordiæ Dei, in quibus nos viſitauit oriens ex alto, bonitas, benignitas, & beneficentia, velut cellaria Chriſti ſunt. Ex quibus nos peregrini haurire debemus quotidie ſolatiũ, ne fortè currẽtes poſt ſpõſum defficiamus. Alioqui cũ Paulo dicere nequibimus: Bonũ certamen certaui, curſum conſumaui. Obſeruatione autẽ dignũ eſt, quòd vbi ſpõſa ſeorſum cũ ſponſo eſt, tunc non regem, ſed dilectũ vocat, aut amicũ: at dũ aliis loquitur, tunc regẽ eum dicit, exhibens illi maximum honorẽ: quia nedũ rex, ſed rex regũ, & Dñs dominantium Christus eſt. Hinc diſcant coniugatæ ſuos viros honorare, eoſq; dominos appellare: vti Sara princeps magna virũ ſuum Abrahã vocitabat. Quod diuus Petrus iure adnotauit. Vir ſanè caput eſt mulieris, inquit Apoſtolus. Vndè ſponſa inferiùs iterũ regem ſpõſum vocat, ſuas iuuenculas alloquens: *Dum eſſet rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuũ.* Cæterum, cellaria hęc in quę ſpõſus ſuam ſponſam introducit, diuo Bernardo teſtante, triplicia ſunt: aliud vinum continet, quo lætificantur animæ ſanctæ, aliud verò vnguentum habet, cuius odore in laboribus quotidianis confortamur, ne laſſati ſuccũbamus: aliud denique cellarium aromata multa poſſidet, quibus conſcientiæ noſtræ vulnera ſanantur. Nónne vino charitatis ęſtuabat, qui ſeriò dicebat: Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non vror? hoc, niſi fallor, perfectionis inſignę eſt. O ſi nos introduceret ſponſus in cubiculum ſuum, vt cũ eo quiete, & pace contemplationis vbertim frueremur. Abſcõdes eos, ait Rex ſanctus, in abſcõdito faciei tuę, à conturbatione homi-

Nota. *Apoca. 5.* *1. Petri. 3.* *S. Ber. Serm. 23.* *2. Cor. 11.* *Pſalm. 30.*

hominum. Equidem in facie Dei abſcondi mirabile donũ eſt, nec conturbatio hominũ nos tãgere valeat: Tranquillus Deus trãquillat omnia, & eius aſpicere quies noſtra eſt. Viſio hęc non terret, ſed mulcet, in quietam curioſitatem non excitat, ſed pacat. Sed heu, inquit Bernardus, quia rara hora, & parua mora. Sed de iis infrà fuſiùs.

Nota.

Exultabimus, & lætabimur in te, memores vberum tuorum ſuper vinum.

Vox hęc, vt placet Origeni, & diuo Bernardo, nõ ſponſę, ſed adoleſcentularũ eſt. Dixerat illis ſpõſa, vehemẽter gauiſa, priuilegiũ ſingulare, quod ei pręſtiterit ſpõſus, introducens eã in cellaria ſua. Tũc illæ ouãtes reſpondent: Exultabimus, & lætabimur in te, non in nobis, ſed in te, quæ regina, & veluti mater noſtra es. Tu ſanè lacte doctrinæ, & exẽpli nos nutris quotidie, gaudemus de ingẽti tuo dono, quod ſpõſus tibi impẽdit: & magnopere lætamur, quòd vnicè te dilexerit: adeò, vt in cubicula ſua te introduxerit. Sic nos de bonis proximi gaudere decet, niſi inuidiæ liuor in corde noſtro fuerit. Charitas non eſt inuidioſa, nec quęrit quę ſua ſunt. Verũ tẽtatio hæc humana non eſt, ſed diabolica, dicente ſcriptura: Inuidia diaboli mors introiuit in orbẽ terrarũ. Quin & Iob puerorũ viciũ fore dixit: Paruulũ occidit inuidia. Quantũ verò abſint ab puerili delicto hoc pediſſequæ ſpõſę, palã faciũt, dicẽtes: *Lætabimur & exultabimus in te,* memores tẽpore tẽtationũ, dulcedinis, & ſolatij, quibus nos pauiſti. Sequitur.

1. Cor. 13.

Iob. 5.

RE*cti diligunt te.* Hebraicè ſic. *Cum rectitudinibus diligunt te.*

IDEST, Patres antiqui, in nullo deuiãtes, mãdata tua ſeruauerunt. Et ideò rectitudines operabantur, cum

Dauide

Dauide dicentes: Portio mea Domine dixi, cuſtodire *Pſal.118.*
legẽ tuã. Grecè ſic habetur, Rectitudo diligit te. Quidã
non adoleſcentulas loqui dicunt, ſed verba ſpõſę hęc eſ-
ſe fatentur: ita vt ſponſa dicat: Spõſe dilectiſsime, exulta- *Nota.*
bimus & lætabimur in te, non in iis caducis rebus, in qui-
bus mũdi amatores fruſtrà gaudere ſolent: quin & eorũ
ſtultitia eò deuenit, vt lætẽtur cum malefecerint, & exul-
tent in rebus peſsimis. Gaudiũ autem meum, & ancillarũ *Prouer.2.*
mearum in te ſolo erit, quique Angelorum gloria & læ-
titia perpetua es. Potiſsimè verò exultatio noſtra ex me-
moria vberum tuorum dimanabit. Verũ enim verò, pie-
tatis tuæ, & charitatis ſtupendæ nõ obliuiſcemur vnquã:
neq; innumera beneficia tua obliuioni dabimus. Quæ
planè iugis memoria dulcior eſt, quouis optimo, ac def-
fecato mero. Et quia res ſic habet, *recti diligunt te.* Nam &
ſi feruor in amore tuo maximi faciendus eſt, nec ſpernẽ-
da ſuauitas, qua ſæpiſsimè animas ſanctas afficis: mentis
rectitudo dubio procul feruori cordis pręferenda eſt. So
li nempè recti Chriſtũ diligunt: quia ſi quis per diſtorta *S.Gre.in Can*
vitiorum ex deſiderio currit, in rectitudinis lineã offen- *tica.*
dit. Quamobrem autorẽ juſtitiæ minimè amant. Si quis
diligit mundum inimicus Dei conſtituitur. Verùm qui
ſuam gloriolã, ſuaſque diuitias, atq; carnis ſuæ miſerę vo
luptates plus æquo diligit, tãtum abeſt, vt puriſsimũ ſpon
ſum IESVM diligat. Lętamini in Dño, inquit Cithare- *Pſal.71.*
dus regalis, & exultate iuſti, & gloriamini omnes recti cor
de. Vbi ſanctus Theodoritus, hęc particula, quã, non ſecũ
dum cõparationem poſuit, vbi dixit: Quàm bonus Iſraël
Deus, iis qui recto ſunt corde, ſed vt exceſſum bonitatis
Dei oſtẽderet. Dicit autẽ Deum Iſraëlis multã curam ge- *Vide. S.Ber.*
rere erga eos, qui rectò ſunt corde. Sed hoc non omnes *Ser.24.in Cã*
ſciunt, ſed qui rectis ac ſanis vtũtur cogitationibus. Verũ *tica.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

recti corde ſunt, qui terrena horrẽt, & quæ æterna ſunt bona, toto niſu appetunt, mandataque Dei penitus ſeruant.
Iob.1. Iob rectus vir, atque timens Deum, ore ſummi Dei
Pſal.7. laudatur. Summa, iuſtitiæ Dei rectæ ſunt lætificantes corda: eam ob cauſam, tãtum Deus eos ſaluat, qui recto ſunt corde. Atqui quanquam ſponſa magna de ſe nunciarit ſuis adoleſcẽtulis, virtutem humilitatis apud ſe detinuit. Ideò ad filias Hieruſalem ſe conuertens ait.

Nigra ſum, ſed formoſa filiæ Hieruſalem, ſicut tabernacula Cedar, ſicut pelles Salomonis. Hebraicè. *Sicut cortinæ Salomonis.*

ECCE rectitudo ſanctorũ, quamlibet ſe gratia Dei locupletes agnoſcant, ſeipſos peccatores profitẽtur.
Humilitas. Hinc Matthæus publicanũ fuiſſe dixit, Paulus, etſi ad tertiũ vſq; cælum raptus fuerit, perſequutorẽ Eccleſię, & blaſphemũ ſe nuncupare non horruit. Sanè hęc rectitudo, qua ſe quiſque peccatorẽ agnoſcit, omnium vel maximè
Pſal.112. placet Deo. Quippe qui, quãuis excelſus ſit, humilia reſpicit, & alta à longè cognoſcit. Vnde diuus Auguſtinus: Humilia reſpicit Deus optimus, vt exaltet: alta agnoſcit à lon
Lucæ.14. gè, vt deprimat. Sicut ſcriptũ eſt: Omnis qui ſe exaltat, humiliabitur, & omnis qui ſe humiliat, exaltabitur. Idq; tàm in cælo apud Angelos, quã in terra erga homines actũ, videre eſt. Itaq; prudentiſſima Eccleſia poſt obſecrationes ſuas, quò magis moueret, impelleretq; ſpõſum ad gratificãdum ſibi, ſe ſummoperè humilians, oſtẽdit ſe nõ fore dignã tantis donis, & muneribus, quæ Dñs ei præſtiterat,
Nota. & pręſtiturũ pollicitus erat. Eſt ergo ſenſus *Nigra ſum* in filiis primæ domus ſanctæ, qui abiecto ſponſo Chriſto, abeũtes poſt idolatriam, prophetas eius occiderũt. *Nigra ego*, cũ ſuo pondere dicit, *ego*. Quaſi dicat, & ego eadẽ nigra ſum

gra ſum in filijs ſecūdæ domus ſanctæ. Qui etſi per Baby lonicā captiuitatē ab idolatria ſeſe expiaturi ſunt, inſtaurata Hieruſalē, tamē ſanctum ſanctorum Chriſtū morte affecturi ſunt, ac proindè in perpetuā captiuitatem abituri. Quod totius mundi Saluator non tacuit, vbi flēs ſuper ciuitatem, excidium eius per Romanos prophetauit. *Luce.19.*
Formoſa etiā ſum in aliquibus filiorū meorum eiuſdē domus ſecundę, videlicet, in Apoſtolis, & alijs qui Chriſtum ſponſum meū vltrò recipient, & pro nomine eius ſpōtaneè, proprium ſanguinem fundent. Vel ſi malumus, ſic verba hęc explicare poſſumus. Nigram ſe dicit propter ſinagogā, formoſam verò propter Catholicā Eccleſiam ex Gentibus congregatam. Quæ Chriſtum IESVM vnà ſecū erat totis affectibus ſequutura. *Secunda expoſitio.* Alij ex Hebræis ſic dixerunt: *Nigra ſum* in colore, *formoſa* in moderata mēbrorum proportione, Vel *nigra* in operibus meis, *formoſa* in geſtis patrum meorum, Abraham, Iſaac, Iacob, Dauid, & aliorū Prophetarum. *Nigra* in hoc exilio, *formoſa* in patria cęleſti. *Nigra* in oculis meis, *formoſa* in conſpectu Creatoris, qui ſuperbis reſiſtit, humilib⁹ autē dat gratiā. *Iaco.4.* Sed hęc ad tropologicum ſenſum expectāt, prima verò expoſitio magis videtur literalis. Origenes autē, ſic ait: *Nigra* eſt ſpōſa, propter delicta ante acta, *formoſa* propter pœnitentiā. *Nigra* per naturā, quia omnes in Adā peccauerūt, & egēt gloria Dei: imò omnes eramus filij irę: *formoſa* per gratiā, nā gratificauit nos Pater in filio ſuo Dño noſtro Chriſtò. *Roma.3.* Nonne Moſes duxit Æthiopiſſam, Aarō & Maria ſorore eius murmurantibus? *Nume.12.* *Figura.* Sic Chriſtus ducit animā, & in ſpōſam accipit, quātumlibet peccatis denigratā: modò peccata pręterita plangat, & veram pœnitētiam agat. Quod in Magdalena, Petro, & Publicano, & pleriſq; alijs cōpertū eſt. *Luce.7.* Murmuret ſacerdotiū legis, ingemiſcat Synagoga,

Dominus ſua dignatione cōmotus, peccatores recipit, & manducat cum illis. Enimuerò, Æthiopia præuenit manus eius. Ideò regina Auſtri in iudicio ſurget, & condēnabit Iudęos.

Sicut tabernacula Cedar, ſicut pelles, vel cortinæ *Salomonis.*

Gene. 25. Ex Geneſeos hiſtoria ſcimus Cedar filiū fuiſſe Iſmaëlis. A quo poſteri in deſertis habitabāt ſub tabernaculis, vel cauſa paſcendi pecora, vel ratione prędandi. Ideò tabernacula tùm ob ſolis ardorem, tū propter pluuias magna nigredine opplebantur. Volens ſponſa oſtendere vehementer eſſe nigram, comparat ſe tabernaculis Cedar. Cedar tenebræ interpretatur. Veruntamen intus formoſam ſe dicit, vt pelles vel cortinæ lectuli regis potēriſſimi Salomonis. Erant vtriq; perpulchrę, & deauratæ pelles illę. Eſt itaque Eccleſia nigra ex parte, quia multi orthodoxi

Matth. 7. legē Dei obſeruare nollunt. Multi ambulant in via lata, quæ ad perditionē ducit: pauci verò in via arcta virtutū verſantur. Et in iis, qui probè viuunt, pulchra eſt ſancta Ec-

Lucæ 10. cleſia. Quod autem filias Hieruſalem vocat iuuenculas ſuas, ratio eſt: quia nomina earum ſcripta ſunt in cælis. Et

Phili. 3. Apoſtolus ait: Conuerſatio noſtra in cælis eſt.

N*Olite me conſiderare, quòd fuſca ſim, quoniam decolorauit me Sol.* Hebraicè *quia denigrauit me Sol.*

CAVSAM ſuæ nigredinis ſpōſa palàm facit, nā ſolis radiis expoſita, cuſtodiēdo vineas, fuſca, ſiue nigra facta eſt. Hinc ſanctus Gregorius: Sol Chriſtus eſt, qui

S. Grego. ait: Ego ſum lux mundi. Sol ergo ſponſam decolorauit: quia quālibet animā ſancta fulgeat, in cōparatione Chriſti fulgorē amittit. Nōnè pręcurſor Dñi (& ſi ſanctificatus

antequã natus, repletuſq; Spiritu ſancto, iuxta Gabrielis oraculum) videns coram ſe Chriſtum Ieſum clamauit: *Matthæ.3.*
Domine, ego debeo baptizari à te, & tu venis ad me? O verba annotatu digna, omnimodaque humilitate referta. Mundus erat Diuus Ioannes, & candore gratiæ dealbatus, veruntamen Saluator candor eſt lucis æternæ, *Sapi.7.*
ſpeculum ſine macula, & imago bonitatis illius: in quo ſpeculo ſeſe intuens, tanquam immundum ſe reputabat. Sanè decolorauit eum Sol, vel ſic: Ne ſcandalum patiamini de mea nigredine filiæ. Nam ſi nigra ſum, nigredo hæc non eſt mihi naturalis, aut perpetua in me remanebit, ſed quaſi ex accidenti venit, & extrinſeca: neque niſi ad tempus in me conſpicietur, ſuo tẽpore auferetur, quã *Matth.25.*
do ſponſus meus venerit in nube cum poteſtate, & maieſtate, vniuerſum orbem iudicaturus. Tunc inquam ſeparabit oues ab hædis: tunc ſagena ad litus detracta, bonos piſces in vaſis ſuis Angeli reponent, mali verò eiicientur foras. Itaque ſolis æſtus, & ardor immodicus, quem donec in hoc mundo calamitoſo dego, prorſus effundere nequeo, hac nigredine me decolorauit. Sol iſte, vt quidã aiunt, ardor eſt concupiſcentiæ, & praui fomitis, qui vniuerſum genus humanum inuaſit, ſuoque calore quotidie, etiam ſpiritales homines infeſtat. Sic de ſole dictum eſt: Non eſt qui ſe abſcõdat à calore eius. Etenim Sol cõ- *Pſal.18.*
cupiſcentiæ ſponſam Eccleſiam multa perfudit nigredine. Ignis comedit ſpecioſa deſerti, ait ſcriptura. O quos *Ioëlis.1.*
iuuenes nobiles, quas puellas pulchras ignis concupiſcẽtiæ deuorauit. Profectò, omnis caro iam corruperat viã ſuam, & iumenta computruerunt in ſtercore ſuo. Faxit *Gene.6.*
Deus, vt non vltrà hic carniuorax ignis ſe extendat. Eſt autem ſol denigrãs Eccleſiam ſanctam, improbitas hæ- *Hæretici.*
reticorum, quæ, heu, maximè noſtra tẽpeſtate graſſatur.

Ita vt quàm multi literis candidati, & candore vitæ illu-
ſtrati miſerabiliter ceciderint in hanc ſcilam. Inſtant iam
iam tempora periculoſa, & ſunt homines ſeipſos aman-
tes, ſuperbi, elati, qui Romanæ Eccleſiæ obedire nolint.
Extra quam non eſt inuenire Chriſtum, ſed antichriſtū.
Non ergo me conſideretis, ô fideles animæ, non me de-
ſpiciatis, ſi tot peccata in Eccleſia videritis, inundare, fo-
Gēneſ. 8. mes peccati in cauſa eſt. Senſus & cogitatio humani cor
dis prona ſunt ad malum, ab adoleſcentia ſua. Vndè ſca
Roma.7. turit, quod in carne ſua Apoſtolus bonum non inuene-
rit. Sub hæc, ſol perſecutionis, quam in me hæreticorum
verſutia exercere nititur, nonnihil nigredinis mihi affert.
Oportet planè hęreſes eſſe, vt qui inter fideles probi ſunt,
2. Cor. 11. probentur, & pateſcant. Quin & hoc magnum miracu-
lū, & prodigium exiſtimare debetis filię Hieruſalē, quòd
ſpōſo meo Chriſto ſuffragāte, inter tot vitiorū examina,
& hęreticorū phalanges, fidei integritas, & charitatis ſin-
ceritas in me remāſerunt. Remanebuntq; ad finem vſq;
Matth. 16. mundi: vt pollicitatio ſponſi mei adimpleatur. Portæ in-
feri non præualebunt aduerſus Eccleſiam meam.

Cæterùm, vt diui Gregorij ſententiam ſequamur, qui
ſolem eſſe Chriſtum aſſeruit, quique, vti ſol, illuminat o-
Ioan. 1. mnem hominem veniētem in hunc mundū, is ſponſam
ſuam decolorare non ceſſat, eo quod ob eius amorē fi-
Gala. 5. deles carnem ſuam crucifigunt cum vitiis & concupiſcē
tiis: nec non & membra ſua mortificant ſuper terram, iu-
giter in triſtitia, & pœnitētia perſeuerātes: dicētes, & ouā-
Pſal. 43. ter cantantes: Dn̄e propter te mortificamur tota die, æſti
mati ſumus quaſi oues occiſionis. Nemo ergo excan-
deſcat, videns ſanctam Eccleſiam ſic humiliatam, & in-
ter tot calamitates deffatigatam, aut in quotidiana pœni
tentia denigratam. Nemo inquam has ob cauſas ab illa
diſce-

diſcedat. Equidem nigredinem hanc ab ſponſo præſtan
tiſsimo habet: vt inde ſibi ampliſsimum fructum compa
ret fœlicitatis æternæ. Haud dubiè, Paulus verū dixit: Id
quod in præſenti eſt momentaneum, & leue tribulatio-
nis noſtræ, ſuprà modum in ſublimitate, æternum gloriæ 2. Cor. 4.
pondus operatur in nobis. Nigredo quę à maleficiis con
trahitur, confuſibilem facit: iſta quæ à ſole proficiſcitur,
formoſos & glorioſos reddit fideles: dicente Petro: Ne- 1. Pet. 4.
mo veſtrum patiatur vt fur. Ergo ſpōſa neutiquam eſt de-
ſpicienda, quia nigra appareat in hac vita. Eſt planè intus
per pulchra, & in oculis ſpōſi valdè ſpecioſa. Alioqui ſpó-
ſus non diceret: Quàm pulchra es amica mea, quàm pul Canti. 1.
chra es, oculi tui columbarum, abſque eo quod intrinſe-
cus latet. Profectò vocula illa bis repetita, quādā empha
ſim magnam habet, & admirationem ſubindicat. Vbi
Bernardus: Sol iuſtitiæ decolorauit me, cuius amore lan-
gueo. Languor iſte coloris, quædam exterminatio eſt, & S. Ber. ſerm.
deffectio in deſiderio animæ. Quod autem nigredinem 28. in Canti.
dixerit perſecutionē infeſtantiū, indicāt ſequentia verba.

FIlÿ matris meæ pugnauerunt contra me, poſuerunt me cuſtodem in vineis, & vineam meam non cuſtodiui.

SENSVS eſt. Fratres mei idolatræ reges Iudæ: & Iſ-
raël, in prima domo ſancta, extruſerunt me ad ſolē: Nota literalē
poſueruntque me, vt cuſtodirem vineas, ideſt, vt colerē ſenſum.
deos alienos, quippe qui verè dæmonia ſunt, & ſic præua-
ricarer à Deo. At ibi in cuſtodiendis vineis, hoc eſt, in cul
tibus idolorū, ſol denigrauit me: & ſic facta ſum nigra &
proindē ſine proprio ſpōſo, & derelicta. Rurſus cùm per
idolatriam eſſem punita in Babylone, tandem inſtaurata

Hieruſalem, ad priſtinum ſtatum fui reſtituta. Veruntamen vineam meam non cuſtodiui. Hoc eſt, Et ſi in ſecũda domo ſancta procul ab idolatria ſteterim, vineaſque aliorum deorum non cuſtodierim: vineam tamen meã, ideſt, legem, & cultum Dei mei non cuſtodiui. Quin potius, in magis horrẽdum delictum prolapſa, mortẽ acerbiſſimam Chriſto ſponſo meo intuli: quique ſua mirabili charitate, eò venerat, vt ſanaret omnes meos lãguoress, & ad extergendam meam nigredinem. Itaque filij matris meæ cauſa fuerunt nigredinis meæ, quorum alij, in prima domo idolatrę, & prophetarum homicidæ fuere, alij in ſecunda domo (quod ſuprà omne ſcelus fuit) & ſancti ſanctorum Chriſti Meſsiæ homicidæ ſteterunt.

Chriſti mors

Origenes. Hæc videntur ad literam dicta, ſed Origenes alia via graditur. Conſiderandum ait, quando aduerſus ſpõſam fratrum pugna ſurrexit. Vide Paulum Eccleſiam perſecutorẽ, & intelliges quomodo filius matris eius pugnarit contra eam. Mira res, perſecutores Eccleſiæ tandem pœnitentiam egerunt, & ad ſororis ſigna & miracula cõuerſi, fidem ſanctam prædicauerunt, quã paulò ante deſtruere nitebãtur. Hoc prophetico ſpiritu ſponſa nũc cãtans ait: *Filij matris meæ pugnauerunt contra me, poſuerũt me cuſtodem in vineis, & vineam meam non cuſtodiui.* Ego Eccleſia, ego ſponſa ſine macula, plurimarum cuſtos ſum poſita vinearum à filiis matris meæ, qui contra me aliquando pugnarunt. Qua ſolicitudine, & cura aſtricta, dũ plures cuſtodio vineas, dum omnium Eccleſiarum curã gerò, vineam meã non ſeruaui. Hoc de Paulo & quouis paſtore Eccleſiæ intelligendum eſt, qui pro omnium ſalute ſit ſolicitus. Nam vt alios lucrifaciant, ſua non quærunt. Imò Apoſtolus liber erat, & ad fratres ſuos lucrandos, omnium ſeruum ſe fecit, vt fuſiùs ipſe teſtatur. Verum

2. Cor. 11.

runtamen Diuus Gregorius filios matris vocat hęreticos omnes, Arrium, Sabellium, Fotinum, & alios perſecutores Romanę Eccleſię. Ij ſacro baptiſmate abluti, aliiſque Sacramentis enutriti, diaboli ſuggeſtu, matrem ſuam per ſequuntur, & inſtar viperæ filiorum, enecare cupiunt matrem ſuam, & viſcera eius diſrumpere, pro ſua virili conātur. Væ eis, niſi reſipiſcant, & pœnitentiam veram agant. Ecce conuerſio gentium & ſinagogę excecatio iis verbis ſponſæ ſignantur. Nec non hæreticos omnes fratres ſuos Eccleſia ſancta vocat, quæ filia ſinagogę fuit. Nam ſalus ex Iudęis eſt. Hinc Ioannes de hæreticis ait: A nobis exierunt, ſed non erant ex nobis. Nec obſtat, quòd cùm vna ſit Eccleſia, vnicaque columba, peculiares Eccleſiæ dicātur nationes variæ, quæ in Chriſtum crediderūt. Sic Apoſtolus pleriſque in locis eas appellàt. Vnde in Eſaia vinea Domini ſabbaoth Iudęa vocatur. Sanctus Bernardus filios matris eos dixit, qui Chriſtum crucifigentes vehemēter Apoſtolos inſectati ſunt. Deinde ipſos Apoſtolos filios matris, ſcilicet, ſinagogæ vocat, qui ſua mira doctrina, & portentis ſalubriter expugnarunt Iudęos, in fidem Chriſti IESV eos conuertendo. Iis armis & ſagittis illos expugnarunt. De quibus iaculis Dauid ait: Sagittæ potentis accutæ, populi ſub te cadent. Item: Sagittæ tuæ infixæ ſunt mihi: ideo ſequitur, non eſt ſanitas in carne mea. Carnis infirmitas robur ſpiritui auget. Alioqui non diceret Apoſtolus: Quando infirmor tunc fortior ſum. Nónne ſermo Dei viuus eſt, & efficax, ac penetrabilior omni gladio ancipiti? Hæc ſagitta cor virginis Mariæ vulnerauit, atque animam eius pertranſiuit: vti Simeonis ore prophetia ſonuit.

Nota. *Ioan. 4.* *1. Ioan. 2.* *Eſaie. 5.* *S. Ber. Ser. 29 in cantica.* *Pſal 1. 9.* *Pſal. 36.* *Hebræ. 4.*

Conqueritur hodie ſancta Eccleſia Romana, de iis qui iniquè viuunt, & ſi fideles ſint, & ingemiſcens clamat: *Moraliter.*

Filij

Filij matris meæ pugnauerunt contra me. Ecce inteſtinũ bellum quod patitur. Superbi, auari, & luxuriæ dediti, militant contra Eccleſiam, in moré pecudum viuentes. Mirabile dictu, verbis Chriſtum IESVM profitentur, factis

Tit. I. autem negant. Quid multa? De iis Paulus ſcribit: Rurſus

Nota. in ſemetipſis Chriſtum crucifigentes. Nónne dolẽdum eſt hoc, & extremis gemitibus deplorandũ? O rem maximè mirandã, quaſi nõ ſatis fuerit, quòd Turcæ, hæretici, atq; Barbari contra Eccleſiam furore rabido dimicent, niſi orthodoxi ipſi, ſuis delictis quotidie belligerantes, Eccleſiam oppugnare contendant? Cæterũ ſponſa Chriſti amore dilecti ſui tacta, magis in dilectione illius exardeſcet. Ideò ait.

I*Ndica mihi, vbi paſcas, vbi cubes in meridie: ne vagari incipiam poſt greges ſodaliũ tuorum.* Hebraicè. *Vbi paſces, vbi cubare facies in meridie.*

POSTQVAM apoſtrophans ad filias Hieruſalem locuta eſt, & peccata filiorum matris ſuæ indicauit: nunc rurſus ſpõſum alloquitur, miſericordiã eius obnixè implorans. *Indica mihi, quem diligit anima mea.* Ideſt, ô quẽ in veritate diligo, & ad quem toto conuerſa ſum affectu: *Indica mihi, vbi paſces* me, ouem tuam, inter iſtos lupos idolatras reges Iudæ: *vbi cubare facies* me ouẽ tuam *in meridie.* hoc eſt, in futura duriſsima ſeruitute Babylonica, quæ erit mihi tribulatio maxima, qualis æſtus ſolet eſſe ouibus meridies, niſi prudẽtiſſimus paſtor proſpexerit eis de aliquo opaco loco, in quo cubare eas faciat. Etſi tu ſponſe mi ac dilecte votorum meorum, in ea maxima tribu-

latio-

latione non proſpexeris,& aliquod ſolatium non dederis,actum eſt de me oue tua.In eaſdem voces cum amariſſimo fletu prorumpit Romana Eccleſia hodie: *Indica mihi* amantiſsimè ſponſe I E S V, *indica* obſecro, *quem diligit anima mea:ubi paſces* me ouem tuam , inter recentiſſimos Lutheranos hæreticos,qui me vehementer infeſtãt, *ubi paſces* me *in meridie*? In maxima calamitate vndique conflictata viuo:eo quod non ſolùm à Turcis,hæreticis, & infidelibus vim patior,ſed,quod plus dolẽdum eſt, diſſidentibus Catholicis Principibus, & orthodoxis perperam agentibus,ingens mihi imminet tribulatio. Quam obrem,niſi tu optime ſponſe tua ſolita miſericordia,peccatis meis parcens,mihi opem feras,iam iam ſuccũbam, quam proprio,atque pretioſo ſanguine redimere dignatus es.Vbi Origenes ſic inquit:Annuncia mihi,quem diligo,vbi paſcis,vbi cubas,in meridie. Non quæro alia tẽpora,quando veſpere,quando diluculo, quando in ſolis paſcis occubitu. Illud tẽpus inquiro, quando in feruente die,quando plena luce, in maieſtatis tuæ ſplendore verſaris. Diligenter obſeruate fratres,vbi meridiem legeritis: Apud Ioſeph meridie fratres celebrant prandium : Angeli meridie Abrahæ ſuſcipiuntur hoſpicio: meridie Saluator ſupra fontem ſedet, & ſitit, atque peccatricem Samaritanam conuertit : meridie tandem aſcendit in Crucem,& inibi pendẽs latronem homicidã cæli ciuem effecit.Hora erat quaſi ſexta (ait Ioãnes) quãdo Crucifixus eſt I E S V S.Cætera id genus inuenimus in ſacra pagina , non ſanè fruſtrà . At ſanctus Gregorius ait: In meridie Chriſtus ſub vmbra paſcit, quia in refrigeratione Spiritus ſancti ſibi quaſi quietem , & paſtum parat. Per meridiem quippe, ardor vitiorum exprimitur : per vmbram verò ſpiritalis gratiæ flatus deſi-

Eccleſia Romana.

Heretici.

Orige. in Cantica.

Nota.

Ioan. 4.

Ioan. 19.

S. Grego.

Vmbra quid ſit.

deſignatur. Meridie ergo feruente, in vmbra Chriſtus requieſcit, quia dum in reprobis ęſtus viciorum flagrat, ipſe ſponſæ ſuæ ſpiritum refrigerij tribuit, & in ea delectabilis ſibi locum quietis efficit. Oſtẽde (inquam) te mihi, quia ſi tu non indicaueris, te inuenire nullatenus ipſa potero.
Quouſque peregrinabor à te Domine? vſquequo abſen-
Iob.13. tiam tuam feram? cur faciem tuam abſcondis, & arbitrá riſ me inimicam? Ancilla tua ſum, vultum tuũ indeſinenter requiram. Si inueni gratiam in oculis tuis, oſtẽde mi-
Exo.33. hi faciem tuam, & ſufficit mihi. Miranda res, quæ antea oſculum quærebat, nunc maiora depoſcit, beatificam vitam in carne mortali exoptat videre.

S. Ber. Ser. 31 in canti. Sanctus Bernardus vmbram hãc, in qua ſponſus Chriſtus cubare ſolet, fidem ſanctam eſſe dicit. Quæquidem lucem non extinguit, ſed cuſtodit, fide purificans corda. Acto.15. Quod ſanè Angelus videt, hoc mihi vmbra fidei ſeruat, fideli ſinu impoſitum, ſuo tempore reuelandum. *Indica mihi vbi paſcas, vbi cubes in meridie.* Bonus paſtor, qui animam ſuam dat pro ouibus ſuis: animam pro illis, carnem illis: illam in pretium, iſtam in cibum. Res mira, ipſe
Ioan.10. paſtor, ipſe paſcua, ipſe redemptio eſt. Quoniam ſubeſt cauſa, vt hoc donum ſponſa depoſcat, iam declarat ipſa.

Text. *NE vagari incipiã poſt greges ſodaliũ tuorum.* Grecè, *Ne quando fiã ſicut circumamicta in gregibus ſociorum tuorum.*

POST factam petitionem, quaſi deſperata ſponſa, in lachrimas prorumpens, hoc dicit. Quare ero ſicut inuoluta, hoc eſt, ſicut triſti, & lugubri pallio cooperta, lugens oues meas, ſicut mulieres ſolent plangere viros ſuos mortuos? Ac ſi apertè dicat, de iis tẽporibus prophe-
Nota. tans: ô mi ſponſe, honor tuus non eſt, vt ego ſponſa tua, quam

quam primum in monte Sinai tibi per donationem legis,& tot ſigna deſpondiſti,& quam proprio cruore redẽpturus es, vt nũc vti vidua facta,inuoluar nigrò pallio,iaceamq́ue confuſa & deſſolata,apud greges eorum,qui ſe ſocios tuos dicunt,tamen non ſunt,ſed ſeductores mentium,& impoſitores. Quiq́ue fabulationes narrant mihi, *Pſal.1[illegible].* non autem vt lex tua ſancta. Imò hinc inde inſidias,& laqueos parant,dicẽtes: Ecce hîc eſt Chriſtus,ecce illic eſt. Sic multos ſeducunt,& abducunt à grege tuo ſancto,ſpõſe præſtantiſſime. Eadem precatione nos opus habemus, ne ab hæreticis ſeducamur: aut ne vagari nobis contingat in hac vita, per volaticos honores, per fallaces diuitias; aut per carnis fœtidas & horrendas delitias. Quin & *S. Bern. ſer. 33.* cum diuo Bernardo paſci in meridie poſtulemus. Nam meridies in cælo tota dies eſt,neſciens veſperam. De qua in Pſalmo: Melior eſt dies vna in atriis tuis ſuper millia. *Pſal.83.* Manè fuit,quando ortus eſt ſol iuſtitiæ in Bethlehem. De quo Dauid: Auditã fac mihi manè miſericordiam tuã, *Pſal.142.* quia in te ſperaui. Eritq́ue meridies, quando videbimus Deum ſicuti eſt. Nunc,quid ſponſus reſpondeat ſponſę ſuæ precanti,audiamus oportet fratres.

SI ignoras te,ô pulchra inter mulieres, egredere,& abi poſt veſtigia gregum tuorum, & paſce hædos tuos, iuxta tabernacula paſtorum. Hebraicè. *Si non ſcis tibi,pulcherrima inter mulieres,egredere tibi in veſtigia ouium.*

SI non ſcis tibi, vbi páſcere debeas, egredere tibi, & abi in veſtigia ouium; id eſt, antiquorum patrum tuorum, veſtigia ſancta ſequens. Illi quidem [illegible] &

 cere-

cæremonias optimè ſeruauerunt. Inibíque paſces etiam paruulos tuos filios, vt indies creſcant, & robuſtiores fiãt, Iuxta illud, Interroga patrem tuum, & annunciabit tibi, maiores tuos, & dicẽt tibi. Vtinam Germani, & Anglici, omneſque hęretici tam ſalubre conſilium amplexarentur. Enimuerò veſtigia parentum ſuorum, ac maiorum non ſequuntur, ſed diaboli præcipitia per abrupta viciorum, & errorum gradiuntur, ſuo magno malo. Et qui à mille quadraginta annis, vel circa vocati ſunt à Romanis Pontificibus, in fidem Chriſti regenerati, & ad oues Domini aggregati, perperam agentes, vnitatem Eccleſię contempſerunt.

Deut.32.

Origenes verò de humilitate, quã vel maximus Deus ipſe in ſponſa amat, hóc exponit. Comminatur quidem ſponſus ſponſæ ſuę, dicens: Aut cognoſce te ipſam, quoniam regis ſponſa es, & à me facta formoſa: nam ego exhibui te glorioſam non habentem maculam, neque rugam: aut ſcito, quia ſi te non cognoueris, & tuam ſcieris dignitatem; patieris hæc, quæ ſequuntur. Egredere, & abi in veſtigiis gregum, & paſce, non greges ouium, nõ agnorum, ſed hædos tuos. Statuet quippe oues iudex æquiſſimus à dextris, hædos verò à ſiniſtris, vt ex Euangelio patet. In veſtigiis paſtorum nouiſsima fies, non inter oues eris, nec poteris ſic mecum eſſe, qui paſtor bonus ſum. Diuus Gregorius ſic: Si ſponſa non agnoſcat ſe in bello fore, & tentationes ſufferat, & vincat, à familiaritate Chriſti recedit; quia cùm militia ſit vita hominis ſuper terram, pugnare cum Domino recuſat. Non enim coronabitur, niſi qui legitimè certauerit. Hoc qui ignorat, in bello, quaſi pacem ſe habere cogitat, & falſo exultat; & eo frequentius vulneratur, quò ſecurior eſt, quia neſcit videre quem caueat. Ideò reprobos ſequitur.

Origе. in Cantica. Homi. 1.

Nota.

Matth.25.

Iob.7.

tur,

tur, quos ſtultitia brutis animalibus ſimiles fecit. Hæ-
di autem cogitatus immundi ſunt, & hos piger paſcit, &
in corde ſuo nutrit. Homo cùm in honore eſſet, non Pſal. 48.
intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſi-
milis factus eſt illis. Iudas in ſua canonica muta animan
tia eos appellat, qui voluptatibus carnis ſe dedunt. Rur-
ſus, cognitio, quam ſponſus cupit in ſponſa, humilitas
eſt, de qua in Pſalmo: Bonum mihi, quia humiliaſti me, Pſal. 118.
vt diſcam iuſtificationes tuas. Vbi Bernardus ſermone, S. Bern. ſer.
34. in Cantica: Vides, quia humilitas iuſtificat nos? Hu- 34.
militas dixi, & non humiliatio. Multi humiliantur, ta-
men humiles non ſunt. Qui autem toto corde ait: Bo-
num mihi Domine quia humiliaſti me: is profectò ve-
rè humilis eſt. Neque poteſt hoc dicere, qui inuitus tri-
bulationem tolerat, longè minùs qui murmurat. Eſt
autem humilis, qui humiliationem in humilitatem con
uertit. Quare Apoſtolus aiebat: Libenter gloriabor in 2. Cor. 9.
infirmitatibus, vt inhabitet in me virtus Chriſti: Omnis
qui ſe humiliat, id eſt, qui ſeſpontè ſubmittit, & deſpi- Matth. 23.
cit, exaltabitur. Qui talis fuerit, non vtique audiet à ſpon
ſo: *Egredere & abi, poſt veſtigia gregum tuorum.* Sed ille
ingredietur, & egredietur, & paſcua mellitiſſima inue-
niet: quemadmodum ſponſus ore ſuo benedicto polli-
citus eſt. Itaque verbis his ſponſus ſponſam propriæ digni
tatis admonuit, & humilitatis virtutem inſignem ei oſten
dit: qua ornata ad viſionem ſponſi, quem tantoperè vi-
dere cupit, deuenire queat: necnon & exemplar, ac
ſpeculum in quo ſe intueri debeat nunc oſtendit.

Equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilaui te, amica mea. Pulchræ ſunt genæ tuæ ſicut turturis. Hebraicè. *Equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilaui te, ſociam meam.*

SENSVS eſt: Ego ſponſus, quantum te diligam, oſtendi, quādo meo illo equitatu, & exercitu, ac multitudine equorum irruēs, & impetū faciens in currus Pharaonis te ſequētis in mari, aſſimilaui te, id eſt, planè ipſum Pharaonē ſubmergendo, & omnem exercitum eius, oſtēdi te eſſe ſociam, & ſponſam meam. Et dixit, ſe equitatu ſuo ſubmerſiſſe Pharaonem, alludens ad illud Abachuc:
Abac. 3. Viam feciſti equis tuis, in luto aquarum multarum. Ori-
Origenes. genes verò, explicans hunc locum ait: Si vis, intelligere ô ſponſa, quomodo ſcire te debeas, agnoſce cui te comparaui: & tunc videbis talem te eſſe, quę turpari nō debeas, cum tuam ſpeciē cognoueris. Vndè pulchrè ſcriptum
Abac. 3. eſt: Quadrigę eius ſaluatio. Alia tranſlatio: Equitatio eius ſalus. *Equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilaui te.* Hoc
Nota. eſt, quantum differt equitatus meus; qui ſum Dominus omnipotens, & demergo in fluctibus maris regem Pharaonem, & aſcenſores eius currus, & equos eius: quantū, inquam, differt equitatus meus à Pharaonis equis, tanto meliores omnibus filiabus, quæ non ſunt eccleſiaſticæ. Aduertendum tamen; quòd quamuis Domino opitulante. Iſraeliticus populus de Pharaone, & exercitu illius triumphauit, nō autem ſubinde terram promiſſam ma-
Nume. 9. nantem lacte & melle poſſedit. Quimpotius quam plurimos reges debellauit, & quadraginta annis in deſerto multas calamitates, variaſque tentationes ſuſtinuit. Ad

eandem imaginem ſancta Eccleſia,& quæuis anima fide- *Nota.*
lis,poſt ſacri baptiſmatis vndam ſuſceptã, quanuis ini-
bi ſatanas,omniaque delicta ſubmerſa pereant, quandiu
in hoc mundo viuit,imminentia vitia,quaſi greges alie-
nos,proſternat oportet.Omnes,qui piè viuere volunt in *2.Timo.3.*
Chriſto IESV, perſecutiones patientur, clamat Paulus.
Et Saluatoris vox in aures noſtras aſsiduè tonat: Si me *Ioan.15.*
perſequuti ſunt,& vos perſequentur. Sic ſic forti animo
pugnando, cæleſte regnum, tanquam brauium laboris
noſtri,nobis Saluator impertiet. Atqui non vidiſtis ſan-
ctam Eccleſiam Romanam adfabrè depictam in tranſi-
tu maris Rubri,quando Pharao,& cunei eius penitus pe
rierunt?Alioqui Apoſtolus non diceret: Omnes ſub nu- *1.Cor.10.*
be fuerunt,& omnes in Moyſe baptizati ſunt in nube, &
in mari.Ecce ſigna amoris ingentis,quem ſponſus Chri-
ſtus oſtendit ſponſæ ſuæ. Equidem liberauit eam à iugo
ferreo Pharaonis,qui ſatanas verſutus eſt.Ne paueas,ego
dux & rex tuus ſum: viriliter ergo age,& confortetur cor
tuum.Sponſa mea es,& ego auxiliator tuus ero. Surgant
Turcæ,hæretici oblatrent,dæmones omnes vlulent, &
leonum inſtar,te deuorare nitantur,quoniam nihil ma-
li tibi inferent,modò in mandatis meis ambules,& me to-
to diligas corde,vt par eſt.Idque totum de quauis anima
ſancta iure exponitur.De qua,teſte Bernardo,infrà dictũ
eſt:Terribilis,vt caſtrorum acies ordinata.Et iterũ:Quid *Canti.6.*
videbis in Sunamite,niſi choros caſtrorum?Nam quãuis *Canti.7.*
anima ſancta vna ſit, habet plures virtutes,tùm Theolo-
gales,tùm etiam morales: habet inſuper Angelos in cir- *S.Ber.ſer.39.*
cuitu,quas ob res,acies ordinata appellari rectè poteſt,& *in Cantica.*
equitatui Dei comparari. Hãc ob cauſam Iacob demi-
ratus exclamauit: Caſtra Dei ſunt hæc. Nec deſſunt,qui *Gene.32.*
aſſerant, de equitatu Salomonis regis in præſentiarum

 tractari.

tractari.In tertio Regum legimus ſic: Egrediebatur autẽ quadriga ex Ægypto,ſexcentis ſiclis argenti, & equus cẽtum quinquaginta.Habebatque mille quadragentos currus Salomon. Itaque ſicut Salomoni aducebantur currus,ſic Chriſto datæ ſunt animæ ex variis gentibus,potiſſimè ex Ægypto. Ægyptus tenebra interpretatur.Ideò in Eſaia ſcriptum eſt: Ambulantibus in tenebris,& in vmbra mortis,lux orta eſt eis. Quod vaticinium Matthæus exponit de Chriſto IESV.capite.4. Et Apoſtolus: Eratis aliquando tenebræ,nunc autem lux in Domino. Quod autem fideles portare debeant Saluatorem in vtroq; homine,oſtẽdit Paulus,vbi ait:Empti enim eſtis pretio magno,glorificate, & portate Deum in corpore veſtro.Glorificare Deum per fidem, & charitatem, animæ noſtræ peculiare eſt.In corpore ipſum,quaſi in vehiculo,defferre, per pœnitentiam & mortificationem etiam oportet. Scientes quoniam, ſicut corpus ſine anima mortuũ eſt; ita fides ſine operibus mortua eſt. Quis verò horum genuinus & literalis ſenſus ſit,prudens Lector videat.

3.Reg.10. Eſai.9. 1.Cor.6. Iaco.4.

P*Vlchræ ſunt genæ tuæ ſicut turturis.* Hebraicè:*Pulchræ factæ ſunt genæ tuæ in ordinibus.*

DICTIO Hebraica æquiuoca eſt ad turturem, & ordines.Erit igitur ſenſus: Genę tuę pulchrę factæ ſunt in ornamẽtis pendentiũ inauriũ, & aureorũ frontaliũ.Quibus concinè ordinatis,ac pendẽtibus ſupra faciẽ exornabantur mulieres.Vel ſi lubet: Pulchra eſt ſpõſa ſicut turturis.Quia turtur,poſtquam parẽ ſuum perdit ſemel,nunquam alteri ſe iungit: vti ſanctus Gregorius notat: ſed ſemper ſolitariè habitans in gemitu, perſeuerat, quia quẽ diligebat nõ inueniens,quærit.Ad eundem modum

S.Grego.

dum ſancta anima, dum à ſponſo ſuo abſens eſt, ab eius amore non recedit, in eius amore ſemper anhelat, & gemit. Eas ob res ab omni alieno amore fugit. Vndè quaſi in genarum verecundia caſtitatem cordis, ipſo habitu, & actu exteriori oſtendit, non ignorans illud Salomonis: Fallax gratia, & vana eſt pulchritudo: mulier timens Deũ, ipſa laudabitur. Origenes quidem, ad verecundiam, quæ mulieris pulchritudo magna eſt, hoc refert: in qua pulchritudo & venuſtas animæ deliniatur. Cæterùm, genæ animæ ſunt, res & cauſa: quid intendas, & propter quid. Ex iis decor, vel deformitas animæ ſcaturit. Quæ ſi recta ſint, anima genas pulchras habet. Et ideò de illa dicitur: *Pulchræ ſunt genæ tuæ, ſicut turturis.* Denique, pulchræ ſpõſæ pulchritudo genis turturis comparatur. Vt ſolitudinẽ amare diſcamus, cum Apoſtolo decantantes: Conuerſatio noſtra in cælis eſt. Et regalis Propheta: Factus ſum, ſicut paſſer ſolitarius in tecto. O nimium fœlix, qui vt turtur auicula, ſolitarius ſedet, & tacet, eleuans ſe ſuprà ſe. Omnino ſupra te eſt, Angelorũ Domino deſponſari: annon ſupra te adherere Deo, vt vnus ſpiritus ſis cum eo? Equidem ſpõſus ſolus in oratione, fugiens turbas, pernoctabat. Tu verò cùm oraueris, intra cubiculum tuum, & clauſo oſtio, ora Patrem tuũ. Vide ſanctum Bernardum ſer. 40. in Cantica. Sunt etiam duæ genæ Eccleſiæ vel animæ ſanctæ intellectus & voluntas. Quæ quidem pulcherrimæ ſunt Chriſto, quando non modo per contemplationem, ſed per amorem adhærent ſponſo ſuo

Prouer. 31. *Orig. Homi. 1. in Cant.* *Moraliter.* *Philip. 3.* *Pſal. 101.* *Tre. 3.* *Matth. 6.*

Collum tuum ſicut monilia. Hebraicè. *Collum tuum in monilibus.*

AC ſi dicat: Collũ tuũ, adeò pulchrũ factũ eſt, vt nullatenus monilib' argẽti, aurivè indigeat. Hęc ſanè bona

ornamenta data ſunt tibi, ex præda maris, ſubmerſo per me iniquo Pharaone. Hinc Origines: Vt ornamentum, quod ſolet collo pendere, ita ſine hoc decore, & tuum ipſum collum eſt ornamētum. Ad hæc (vt ſancti Bernardi ſententia vtar) ſponſæ collum purus & ſimplex intellectus eſt, cùm nuda & aperta veritas ſatis per ſe ipſum retineat, non indiget ornamento, ſed ipſum magis tanquam pretioſum monille animam decenter exornat, ac perinde ſimile monilibus ipſis deſcribitur. Equidē vt per collum vitalia alimēta, ſic per intellectum in viſcera animæ ſpiritalis cibus doctrinæ infunditur. Verum philoſophorum, & hæreticorum intellectus non habet in ſe puritatis, veritatiſque fidei nitorem. Eam ob cauſam magnopere laborant, ipſum fucare verborum phaleris, & ſyllogiſmorum verſutiis, ne, ſi nudus appareat, falſi etiam videatur turpitudo. Atqui per collum non incongruè prædicatores deſignantur, & prælati Eccleſiæ. Ij ſunt, vt monilia, quæ ex auro fiunt, & in eis gemmæ ponuntur. Si ſapiētia miniſtri Eccleſiæ pollent, & exterius in ſanctis operibus ſe exercent, verè ſicut monilia ſunt, quibus ſancta Eccleſia Chriſti ſponſa ornatur. Sunt Hebræi quidam, qui per collum templum intelligant, quod in monte Siō erat ſitum, tam miro artificio fabrefactum, vt de illo ſcriptū ſit: Non eſt tale opus factum, in vniuerſis regnis. Quid? quod monilia non modo virtutes tam theologales, quā morales dicuntur (vti ex diuo Bernardo Paulò antè meminimus) ſed mandata Dei, & conſilia ſunt: quibus ſponſæ collum mirabiliter decoratur. Dilexi mandata tua (ait Propheta) ſuper aurum & topazion. Dum ergo ſpōſa captiuat intellectum, & affectum in obſequium Chriſti, & ſponte collū ſubponit iugo ſuauieius, tunc in oculis ſpōſi ſpecioſa valde apparet.

S. Ber. Ser. 41 in Cantica.

Heretici caeci.

Prælati.

3. Reg. 7.

Pſalm. 118.

Matth. 11.

Muræ-

M*Vrænulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.* Hebraicè. *Ordines auri faciemus tibi cum punctis argenti.* Gręcè ſic: *Similitudines auri faciemus tibi cum punctis argenti.*

TOTIVS Trinitatis vox hæc eſt. Nam ſi Deus indiuiſibilis ſubſtantiæ ſit (iuxta illud: Audi Iſraël, Deus Deus tuus) Deus vnus eſt: veruntamen perſonaliter nominibus tribus diſtinguitur. Vnde beatus Ioannes ait: Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cęlo, Pater, & Verbũ, & Spiritus ſanctus, & ij tres vnum ſunt. Et quemadmodũ in creatione hominis Deus optimus dixit: Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram: & extẽplò Moſes ſubnectit: fecit Deus hominem, ita nunc ſponſus perſonarum Trinitatem indicans, inquit: *Murænulas aureas faciemus tibi.* Senſus eſt: Non tantùm in exitu de Ægypto precioſis veſtimentis & monilibus, quæ tibi accomodabunt mulieres Hebręæ, eris locupletata ſponſa, ſed ſubmerſo Pharaone & comitatu eius, ſpoliis quàm multis ditata euades. Quod autem de futuro loquatur, nihil officit, quãdo dona pattrum antiquorum à Deo largita ſymbola erãt, eorumque Eccleſia in ſacro baptiſmo accipit, ſicuti ſuper verbum illud *Equitatui meo aſſimilaui te amica mea* tetigimus. Itaque ſicut Hebræi, Pharaone demerſo in mari, valde ditati ſunt, ita fideles, per aquam baptiſmatis aduerſario ſatana deſtructo, per Spiritum paraclitum omnium chariſmatum donis locupletãtur. Idquod Ezechielis vaticinium palàm fecit: Laui te aqua, & mundaui te à ſanguine tuo: veſtiui diſcoloribus: vnxi te oleo: calciaui te iacinto: cinxi tę biſſo: ornaui te ornamẽto: de-

Deute.6. 1.Ioan.5. Gene.1. Nota. Ezech.16.

to: dedi armillas in manibus tuis, & torquem circà collũ tuum, & coronam decoris in capite tuo: dedi inaurem ſuper os tuum. Sanè ornamẽta hæc myſteriis ſcatent: nõ autem vacat cuncta proſequi. Aduertenda tamen Origenis expoſitio eſt. Spõſi ſodales, ideſt, Angeli, ſponſam defatigatã, & ſponſi præſentiam cõcupiſcentẽ verbis iis ſolãtur, dicẽtes: Nos tibi aurea ornamẽta facere nõ poſſumus: non tã diuites ſumus, vt ſpõſus tuus, qui aureũ tibi monile largitur: tamẽ ſimilitudines auri faciemus, & in hoc lætandũ eſt, ſi ſtigmata faciamus argẽti: *Similitudines auri cũ ſtigmatibus argenti faciemus*, verũ non omni tempore, ſed donec ſponſus tuus ſurgat à cubitu ſuo: tũ verè diues eris in eo. Perindè dicãt: Quid anxiè ſponſi faciẽ videre nũc affectas? ipſe habitat lucẽ inacceſſibilẽ, tu verò peregrina exulas in hoc mundo. Auditũ primò ornare contende: Audi filia & vide, & inclina aurem tuã, obliuiſcere populum tuum, & domum patris tui, & concupiſcet rex decorẽ tuum. Sat ſit tibi murænulas habere: fides ex auditu cõſurgit, auditus autẽ per verbũ Dei. Accepiſti legem in mõte Sinai, & digito Dei tabulas ſcriptas. Veniet tẽpus in quo facta voti tui cõpos, in meridie facie ad faciẽ videas ſponſum, ſicuti eſt. O fratres quàm egemus iis murænulis, verùm maximè opus habemus ſimilitudinibus eorũ, quæ æterna ſunt: vt per hæc viſibilia agnoſcamus, quę inuiſibilia ſunt. Dicente diuo Dionyſio: Impoſſibilẽ eſt, diuinum radium nobis elucere, niſi ſacrorum velaminum tegmine circũuelatum. Equidem, autore Ariſtotele, omnis cognitio noſtra pendet à ſenſu. Scripturæ ſanctæ (vt pulchrè inquit Gregorius) murænulæ ſunt, quibus ornare debemus aures noſtras, vltrẽ audientes, frequenter verbum Dei. Et mementote chariſſimi, quòd defficientibus inaureis in populo Dei, ſtatim vitulũ adorauerunt,

Orige. Hom. 1. in Canti.

Pſalm. 44.

S. Diony. lib. de Diui. no.

Nota.

rauerunt, mutantes gloriam Dei, in gloriam vituli comedentis fœnum. Tropologicè autem loquendo: murænulæ aureæ, fides & charitas ſunt, puncti argenti eas decorãtes, opera ſancta. Vel dilectio proximi argẽtum eſt, amor Dei aurum pretioſum. Ideò Dominus ait: Diliges Dominum tuum ex toto corde tuo: & ſubindè intulit: & proximum, ſicut teipſum. Ecce murænula aurea vermiculata argento. Sub hæc, vita cõtemplatiua, & actiua, veluti murænula aurea eſt argento decorata. Ecce ornatus, quem ſponſus pollicetur ſuæ ſponſæ, tùm per Angelos, tùm etiã per prædicatores, quos vti coadiutores Saluator habet, etiam hodie præbere non ceſſat. Nec non ſanctus Bernardus has murænulas fatetur eſſe ſapientiam cum eloquentia, quæ vel maximè attinent ad opus prædicationis. Vtinam ſic audientes verbum Dei fideles, magis ac magis in amore Dei creſcant, vt de illis Dominus non dicat: Dedi eis aurum & argentum meum, ipſi autem de argento & auro meo operati ſunt Baal. Tandem murænulæ aureæ argento vermiculatæ vtrunque teſtamentum eſt, in quibus diuinitas, & humanitas Chriſti IESV pateſcit. Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis. En murænula aurea argento vermiculata. Verùm quanto gaudio exhilarata fuerit ſponſa, pollicitationem hanc exaudiens, ſequentia indicant verba.

Roma. 1. S. Ber. ſerm. 41. in Cantic. Oſee. 2. Ioan. 1.

DVm eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuum.

SI Hebræorũ expoſitioni fidẽ damus, accubitus regis ſeſſio eius ad mẽſam eſt. Sic erat moris Hebræorũ vt ſupra latus ſiniſtrũ ad mẽſam ſederent accũbentes. Sic, teſte diuo Marco: Recumbẽtibus vndecim, apparuit illis

Marc. vlt.

IESVS

Lucæ.7. I E S V S. Et Lucas ait: Sciens Magdalena, quòd I E S V S accubuit in domo Simonis. Rurſus odor hìc pro fœtore accipitur. Vult ergò (vt Doctores Hebræi dicunt) ſponſa dicere: Quæ hactenus dixiſti, ſponſe amantiſsime, veriſſima ſunt, bona cuncta gratis mihi tribuiſti. At ego non grata fui, quinpotius reddidi mala pro bonis. Quia cú adhuc rex eſſet in accubitu ſuo, hoc eſt, in diſcubitu ſuo in monte Sinai, in nuptiis meæ deſponſationis, loquens cũ Moſe, nardus mea, quę bonum odorem dare debuit, dedit malum ſuum odorem, ideſt, fœtuit. Nã vitulum exe-

Exod.32. crandum erexi, & illum adoraui, & ſic impudentiſsima

Nota. fornicata ſum. Sed Catholici Doctores ſecùs hoc intelligunt, pro nardo, quæ herba humilis eſt, ac benè olens, charitatem accipientes, quæ nimirum odorem ſuum dedit, quando Moyſi populus Dei reſpondit: Omnia, quæcunque præcepit nobis Deus, faciemus. Verùm Orige-

Origenes. nes de benedicta Magdalena hoc explicat. Nam, recumbente Domino in domo, quædam, alabaſtrum vnguenti pretioſi fregit, & ſuper caput illius fudit, & repleta eſt domus odore vnguenti. Sunt profectò opera noſtra bona, veluti nardus, odore miro fragrantia. Qua propter cum

2.Cor.2. Apoſtolo acclamare poſſumus: Bonus odor ſumus in Chriſto. Et notandum, quòd vnguentum, quod ex ſpica nardi conficitur, pretioſior eſt eo, quod ex folijs eius fit. Quare in Euangelio vnguentum Mariæ laudatur, quoniam nardi ſpicati erat. Ad eandem imaginem opera noſtra ex humilitate oborta, optimum odorem emittũt coram Domino. Hinc de ſacrificio Noe typicè legimus: O-

Geneſ.8. doratus eſt Dominus odorem ſuauitatis. Mirabile dictu: tam humilis fuit precatio Patrum antiquorum, vt filium ſuum Pater mitteret in terras. Nempè odor humiliantis cælos ipſos penetrat. Quid? quòd non Chriſtus I E S V S

 in ac-

in accubitu menſæ cæleſtis, de qua menſa ille dixit:Recumbent cum Abraham,Iſaac, & Iacob, non obliuiſcitur ſponſæ ſuæ. Imò quotidie humiles eius precationes audit,&dona plurima largitur.Obſeruādum verò,quòd humilitas duplex in nobis inuenitur,alia eſt intellectus,& hāc veritas parit,nec habet calorem: quis adeò ſtupidus & rudis,qui ſe eſſe cinerem & puluerem neſciat? eſt autē humilitas in affectu,& hæc inflamat, nā ipſam informat charitas. Non ergo ſat eſt, vt humilitatem habeamus in intellectu, niſi in voluntate nardus hæc radices habeat. Diſcite à me,quia mitis ſum,& humilis corde. Ecce vera humilitas,quam ſectari debemus, vt nardus noſtra odorem ſuauem dare queat. Humilitas non modo maioribus,ſed paribus,& minoribus ſubdita eſt. Sine modo(ait Dominus ad præcurſorem ſuum) ſic decet nos adimplere omnem iuſtitiam. En humilitatem iuſtitiam perfectā appellauit.Eſt rurſus odor nardi deuotio feruens in oratione,quippe qui vehementer placet Deo optimo. Hoc ſanè modo Apoſtoli cum ſacroſancta virgine Maria in monte Sion orabant regem regū Chriſtum,& ipſe odorem nardi ſentiens, Spiritum ſanctum miſit, quo repleti, per vniuerſa terrarum climata, Euangelium prædicarēt. Ait tunc Eccleſia inibi congregata: *Dum eſſet rex in accubitu ſuo,nardus mea dedit odorem ſuum.*

Lucæ.12. S.Ber.Ser.42 in canti. Matth.11. Matthæ.3. Acto.2.

F*Aſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur.* Hebraicè: *Faſciculus myrrhæ amor meus mihi.*

EST enim myrrha res quę ſtillat, colligitur in reſina, & combuſta liqueſcit thuris inſtar. Hinc rectè dicitur infrà:Manus meæ ſtillauerunt myrrham.Proſequitur

Nota.

ergo

ergo ſponſa ſua amatoria verba, & in hoc epithalamio nuptiali frequenter inſinuat, quanto amore ſponſum ſuũ proſequatur. Eſt igitur ſenſus. Amor meus Chriſtus eſt mihi, ceu faciſculus myrrhæ. Vel amor meus in Chriſtũ IESVM eſt mihi ſicut myrrha panniculo inuoluta. Cuſtodiam dilectum, non niſi inter vbera mea, nam ibidem cor aſtat, in quo veluti in regali throno ipſe ſedere, & regnare cupit. *Origenes.* Origenes ſic ait: Faſciculus ſtactes, ideſt, guttæ, ſiue ſitulæ fratruelis meus mihi, perinde dicat: Si videris Saluatorem meum ad terrena, ad humilia deſcendẽtem, quomodo virtute magna & maieſtate diuina ad nos modica quædam ſtilla defluxerit, intellige gratuita ſua dignatione id factum. En lapis paruus preſciſus de monte, qui ſtatuam mundi huius euertit, & creuit in mõtem magnum. *Danie. 2.* Nec poterat humana fragilitas mõtis magnitudinem capere. Ideò venit pauper & humilis ad nos, & vt ſtilla guttæ ſiue myrrhę apparuit. Paruulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis. *Eſai. 9.* Itaque pro noſtra ſalute exinaniuit ſemetipſum, formam ſerui accipiẽs. Fratruelẽ eum vocat ſponſa, quia filius eſt ſororis ſuæ ſynagogę, & vir Eccleſiæ, & ſponſus amantiſsimus. Beatus qui ſermonem ſponſi inter vbera ſua habet. Nempè peccatoris vbera confracta ſunt in Ægypto: vti Dominus per Ezechielem conqueritur: *Ezech. 23.* Caſtarum mulierum, vbera non frangũtur, ſed meretricum vbera laxis pellibus irrogantur. At qui, quàm grata ſit ſponſa vbi ex donis & beneficiis ſibi collatis, nec non ex laboribus, & ignominiis Chriſti faſciculum colligit, & mente quotidie reuoluit, hiſce verbis ipſa inſinuat, quo eius exemplo admoniti hoc ipſum faciamus. *Nota.* Inter vbera mea cum tenebo, & quaſi brachiis meis conſtringam, ſinceræ dilectionis tenuiculũ, neutiquam dimittam: Vbera ſponſæ (vti iam diximus)

amoris affectiones ſunt. Et benè ait *commorabitur*, quia ipſe ait: Ego diligentes me diligo. Et in Euãgelio: Si quis diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manſionem apud eum faciemus. Ecce quantopere diligat ſuam ſponſam Chriſtus. Hinc pollicitus eſt: Vobiſcũ enim ſum, vſque ad conſumationem ſeculi. Sanctus Gregorius, adnotat, quòd ſicut myrrha corpora mortuorũ condiuntur, ne putreſcant, ſic ſponſa Eccleſia ſponſi ſui vitam contemplatur, ne fortè in peccati corruptionem incidat. Inter vbera ſua reponit eum, quia Saluator in dilectione Dei & proximi valde delectatur. Obſeruatione dignum eſt, quòd non faſcẽ, ſed faſciculum eum appellauit, quoniam iugum Domini ſuaue eſt & onus leue. Vndè diuus Auguſtinus ait: Nihil difficile amanti: imò omnia difficilia & immania facilia, & propè nulla facit amor Dei. Huc pertinet quod ſanctus Bernardus inquit: Myrrha amara, dura, & aſpera tribulationũ ſignificat ea ſibi dilecti cauſa imminere proſpiciens, gratulabunda id loquitur, confidens ſe omnia viriliter ſubituram. Ibant Apoſtoli gaudentes à cõſpectu concilij; quoniam digni habiti ſunt, pro nomine IESV contumeliam pati. Benè faſciculus Chriſtus eſt, quia non ſunt dignæ paſſiones huius temporis, ad futuram gloriam, quę reuelabitur in nobis. Hęc & multa id genus ſcribit hic ſanctus, ſer. 43. in Cãti. Non fratres renuamus myrrham, nam vita noſtra amaritudo eſt. Exilium in quo viuimus, peccatũ, periculum, quod vbiq; imminet, infirmitas, & diuinę viſionis priuatio, quid niſi amaritudo magna eſt? Sed heu in pace amaritudo mea amariſsima. Væ illis, qui ponunt amarum dulce, & dulce amarum, exilium pro patria reputantes.

Ioan. 14.
Matth. 28.
Matt. 11.
S. Auguſt.
S. Bern. ſer. 43. in Canti.
Acto. 5.
Roma. 8.
Eſai. 5.

BOtrus cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi. Hebraicè. *Racemus camphoræ amor meus mihi.*

NOTANDVM quòd ciprus non inſula, ſed ſpecies arboris eſt, non cuiuſuis, ſed arboris aromaticę, in ſimilitudinem vitis producens racemos. Engaddi in terra promiſſionis eſt, Ioſue 15. Quandoquidem racemus ille magnus, quem duo homines portabant, Saluator mundi eſt, in quem vterq; populus credidit. Quippequi, ad torcular crucis preſſus, emiſit fragrantiſſimum muſtum, per quod totius mundi ſcęlera deleta ſunt. Origenes verò ita inquit: Botrus cypri fratruelis meus mihi, cypri, ideſt, floritionis in verbo. Nō omnibus eſt botrus cypri, ſed his qui eius flore digni ſunt. Aliis vua varia eſt, huic ſoli ſponſæ, quæ nigra eſt & formoſa, in floris decore ſe præbet. Vnde ſignanter ait, *mihi*, docens nō omnibus eū eſſe botrum cypri. *In vineis Engaddi.* Quod interpretatur oculus tētationis. Talis eſt hæc vita: de qua Iob: Militia eſt vita hominis ſuper terram. Alia editio habet: Tētatio eſt vita hominis. Itaque in tentatione moramur quandiù viuimus, & in vineis Engaddi verſamur. Si autem meruerimus poſteà trāſplantari, à noſtro agricola transferemur. Nec dubitemus de Engaddi vineis ad cæleſtem gloriam transferri, ſi mandata Dei ſeruamus. Sunt quidam, qui per cyprum inſulam intelligant, in qua optimum generatur vinum, quod maximè laudat Plinius lib. 14. Sed profectò verior expoſitio prima eſt: & ob id mordicus tenenda. Aduertendum autem, quòd ſponſa, cui dilectus fuerat faſciculus myrrhæ, iam botrus ſuauiſſimus eſt. Et quę abſinthio tribulationis erat ebria, nūc vino ſuaui, & deffecato ſatiatur. Mira res, quo maior fuerit ama-

Orige. Hom. 2. in canti.

Iob. 7.

rit amaritudo, eo maior erit & conſolatio. Secundum multitudinem dolorum in corde meo, cõſolationes tuæ lætificauerunt animam meam. Cui ſententiæ adſtipulatur Apoſtolus: Sicut abundãt paſsiones Chriſti in nobis, ſic per Chriſtum abundat conſolatio. In cuius typo Saluator noſter in nuptiis tantum vini dedit, quãtum in ſex hidriis prius fuerat aquæ. Ecce in quibus verſabitur ſponſa, nempè in amaritudine myrrhæ, & botri dulcedine, donec aſpiret dies, & inclinentur vmbræ. Quanti ergo ſponſus faciat ſponſam ſuam, quæ ſic per omnia voluntati dilecti ſui ſe accommodat, ſequentia patefaciunt. Pſal. 39. Ioan. 2. Canti. 2.

Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es, oculi tui columbarũ. Hebraicè. *Ecce tu pulchra ſocia mea, ecce tu pulchra.*

AVDIENS ſponſus encomia, quibus ſponſa eum laudauit, eum faſciculo myrrhæ, & botro cypri comparando, nec ſe cohibuit quin venuſtatem ſponſæ patefaciat. Bis eam pulchram dicit, & veluti admiratione raptus, loquitur, quo ſpecioſam valdè illam prædicet. Adhæc oculos columbinos eam habere aſſerit: nam vbi columba ſacrificanda erat, potiſsimè oculos eius ſacerdotes conſiderabant, quippe qui ſi pulchri erãt exiſtimabatur tota pulchra, & ſacrificio apta. Vel ideò dicit, *Oculi tui columbarum*, quia columba ob nimiam caſtitatem, nunquam adheret niſi proprio marito. Sic & ſponſa, inquit ſponſus, per fidem magnam mihi adhęſiſti. Nam ſi in deſerto vitulum adoraſti, ô ſynagoga, non tamen defuerunt leuitæ, qui tanquam columbæ, non præuaricati ſunt. Hoc tamen longè meliùs de Eccleſia Romana dictum eſt, quæ planè pulchra: pulchra eſt intus & foris, & oculos columbarum habet: quoniam Nota.

D post

poſt idolatriam nunquam abiit. Equidem columbarum oculos poſsidet iuxta illud: Eſtote prudẽtes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut colũbę. Simplicitas ſancta omnium maximè ad intelligentiã ſcripturarũ prodeſt. Hinc Spiritus ſanctus in ſpecie colũbę ſuper Saluatorẽ apparuit. Vnde Origenes: Qui habet oculos colũbæ, videt recta, & miſericordiã promeretur. Si intelligis legẽ ſpiritualiter, ſi legis Euangeliũ ſincero corde, colũbę oculos habes. O infœlicẽ hominem, qui oculos vulpinos, aut vulturinos habet: is profectò, alienã proximi vxorẽ, & quæ aliena ſunt, concupiſcit, & cõcupiſcendo interit. Vtinã Eua mater noſtra colũbę oculos habuiſſet, enimuerò de ligno vetito non ederet, nec curioſè pulchritudinẽ pomi aſpiceret. Si oculus tuus ſimplex fuerit (ait Dominus) totum corpus tuum lucidum erit. Itaque fratres non inuidiæ oculũ habeamus, nam charitas non eſt inuidioſa. Alioqui iudex equiſſimus Chriſtus dicet: Nunquid oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum? Ni fallor, hoc malũ puerorum eſt, dicente Iob: Paruulum occidit inuidia. Bis pulchra eſt anima, quia ad imaginẽ Dei creata, & rurſus pulchra per dona gratuita, quæ in baptiſmo accepit. Vel ſi placet, bis ſpecioſa eſt Eccleſia, ob duplicem amorẽ quo decoratur, Dei videlicet & proximi. Oculi autem eius tũ prædicatores, tùm etiam prælati ſunt: qui doctrinam ſanctam, quã prædicant, ſeruant, & viſibilia contemnẽtes ad ęterna cũ magnis gemitibus anhelant. Diuus Bernardus, hanc duplicem pulchritudinẽ ad humilitatẽ & ſanctitatem ſponſę refert, & quidem pulchrè. Ser. 45. in Cantica. Denique, quid ſponſa loquatur audiamus.

Matth. 10. Origenes. Matth. 6. Matth. 20. S. Gregor. in Cantica.

E*Cce tu pulcher es, dilecte mi, & decorus.* Hebraicè. *Etiam dulcis.*

NON

NON ſe continere valet à laudibus ſponſi, à quo vehemẽter laudata fuerat ſpõſa: ſed ſtatim vicẽ repẽdit, & pulchrũ eum vocat: Ac ſi patẽter dicat: Quid me bis pulchrã prædicas ſponſe, omnẽ decorem à te accepi; vbi peccatis meis pepercisti, & tua gratia decoraſti. Tu ſolus pulcher es tua ptẽ natura: quiq; ſpecioſus præ filiis hominũ, cælos ſtellis, & prata vernantibus liliis, nec non auiculas variis coloribus decoraſti. Tu inquã candor es lucis æternæ, ſpeculum ſine macula, imago bonitatis illius. Pulcher es tu, & dulcis, atque valde decorus. Pulcher in diuinitate, decorus in humanitate. Imò pulcher in præſepio, pulcher in flagellis, pulcher & valde decorus in cruce pẽdens. Quid multis immoror vſq; adeò decorus es, vt Angeli deſiderent in te proſpicere. *Nota.* *Pſal. 44.* *Sapie. 7.*

LEctulus noſter floridus; tigna domorum noſtrarum cedrina, laquearia cypreßina. Hebraicè. *Trabes domorum noſtrarũ cedri.*

ECCLESIA ipſa floret in virginibus quotidie, (teſte diuo Cipriano) fructificat in coniugatis, & multis affluit filiis. In hoc lecto quieſcit ſponſus, & vſq; ad cõſumationẽ ſeculi in eo manebit: quemadmodũ ore ſuo pollicitus eſt. Allegoricè tamẽ tigna, ſiue trabes domorũ ſunt doctores & prælati Eccleſiæ: qui tanquam trabes domum Dei ſuſtentãt. Ij ex cedro ſint incorruptibiles, peccati noxã minimè habentes, & ſicut ex cedro oleũ fluit, ſic miſericordię operibus vacẽt, oportet. Cedrus arbor eſt alta, & prælatus, ſiue concionator verbi Dei in populo altior ſit perfectione. Nõ cedrus oneroſa eſt parietibus, atque iucundũ odorẽ mittit. Hinc Paulus ne grauaret fideles, manibus ſuis laborabat. Ad hæc odor bonæ famæ, maximè miniſtris Eccleſiæ conuenit. Cypreſſus *S. Ciprianus.* *Prelati.* *1. Cor. 4.*

Collatio. etiam arbor procera eſt,& ad eandem imaginem, qui di gnitate pollent in Eccleſia, vulgus rude exuperent fas eſt. Aliqui per tigna, & laquearia varias virtutes intelligunt; quippeque miro odore fragrant & cariem corruptibilitatis neſciunt. Notandum, quòd non dixit, lectulus tuus, non meus, ſed noſter, ideſt, in quo pariter
Eſai.4. requieſcamus. Sicut in Pſalmo legimus: In pace in idipſum dormiam, & requieſcam. Cæterum laquearia à tignis pendentia paſsiones poſſumus intelligere, quibus moderandis virtutes deſeruiunt, cuiuſmodi ſunt, timor, gaudium, ſpes, dolor, triſtitia, & cætera id genus. Quæ aptè cypreſsinæ appellantur, ob optimum odorem, & fortitudinem, quam habent innatam. Ecce qualis lectus, ac domus, qualiſque debet eſſe conſcientia, quam habitare vult Chriſtus IESVS. Væ, qui lectum habent lutulentum, ſpurciciis refertum, ſpinoſum, & ſceleribus aſperſum, in quo ſponſus delicatus non quieſcit, ſed ſerpens verſutus, qui Euam decepit. Atqui, breui hoc verſiculo
S. Bern. ſer. 46. in Canti. pulchræ ſanctæ Eccleſiæ ſtatum ſponſa comprehendit, autoritas Prælatorum, clericorum decus, populi diſciplina, monachorum quies, in hoc lectulo, domibus, tignis & laquearibus deliniantur.

Summa. Sit obſecro chariſsimi cor noſtrum floridũ, cæleſtibus deſideriis aſperſum: ſit domus conſcientiæ cypreſsina, & quibuſuis referta virtutibus, vt ſponſus Chri-
Pſal.131. ſtus eam inhabitare dignetur, dicens: Hæc domus mea in ſeculum ſeculi, hîc habitabo, quoniam elegi eam.

CAPVT

CAPVT SECVNDVM CANTICORVM.

EGO flos campi, & lilium conuallium. Hebraicè. *Ego roſa campi, & viola conuallium.*

SPONSVS ſeipſum perpulchrè depingens à flore metaphoram aſſumpſit. Vndè Origenes: Propter me, qui in valle erã, deſcendit filius Dei in vallem, & fit liliũ totius mundi. Pro ligno vitæ, quod plantatum eſt in paradiſo Dei, totius mundi flos factus eſt. Quid enim poteſt eſſe flos mundi, contra nomen Chriſti? Vnguentum effuſum nomen eius eſt. Sanè, fratres, flos hic multis retrò ſeculis contemplabatur, Eſaias dicens: Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet, Et requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini. Ecce flos mirabilis nunquam marceſcens, cuius pulchritudo nunquam defficit, æquè ſemper candidus & rubicundus, ęque odoriferus, plenus gratiæ, & veritatis. Mira res, flos hic non horti ſed campi vocatur, in Iudæa natus, tamen velut in campo omnibus patet, cunctis expoſitus eſt: vt qui vult, eum colligat, & in ſinu ſuo reponat. Flos campi eſt totum decorans mundum, omneſque homines ſuo ſanguine redimens. Lumen ad reuelationem Gẽtium, & gloria plebis Iſraël à Simeone iuſto vocatur. *Ego flos campi.* cuius aſpectu lætãtur Angeli: cuius pulchritudine paſcuntur beati: cuius odore reuiuiſcunt mortui. Rurſus, cãpus benedicta virgo Maria eſt. Verùm in agro non agricolę opera flos naſcitur, ſed ex terræ fœcunditate, &

Orig. Homil. 2. in Cant.

Eſai. 11.

Ioan. 1.

Luce. 2.

te,& rore cæleſti oritur. Ad eundem modum virgo ſan-
cta ſola, Spiritus ſancti virtute, Chriſtum genuit, Angelo
Lucæ.1. Gabriele dicente: Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & vir
Pſalm.84. tus Altiſsimi obumbrabit tibi. Etenim Dominus dedit be
nignitatem, quando Pater cæleſtis miſit filium ſuum, &
terra noſtra, id eſt, alma virgo Maria dedit fructum ſuũ.
Lucæ.1. De quo Heliſabeth prophetans dixit: Benedictus fructus
ventris tui. O florem pulcherrimum, ſpinas omnium pec
catorum exterminantem. Quid obſecro pulchrius ad vi
dẽdum? aut quid ſuauius ad odorandum? aut quid deni
Nota. que leuius ad portãdum? Agite fratres, Chriſtũ IESVM
Nazarenum floridum quàm primum glorificate, & por-
tate etiam in corpore veſtro, vt benè Paulus admonet.
Matthæ.11. Flos eſt, nihil grauedinis habens: nam iugum eius ſuaue,
& onus ſatis leue ſe amantibus eſt. Etiam lilium conual-
lium iurè dicitur: nam fugit montes, ſuperbos horret, hu
miles vehementer diligit. Montes Gelboë nec ros nec
pluuia deſcendat ſuper vos, vbi ceciderunt fortes Iſraël.
In iis mõtibus Lucifer, nec non Adamus perierũt. Si quis
eſt paruulus, & humilis in agro cordis ſui, me inueniet,
ſum quidẽ liliũ conualliũ: ſuperbis reſiſto, humilibus au
1.Pet.5. tẽ meam do gratiam. Mirabile dictu, ſpõſa vocat ad lectu
lũ ſponſum, quia floridus eſt: at ſponſus eam prouocat ad
campum, & ad certamen, nam flos martyrũ Chriſtus eſt.
S. Bern. ſer. Quin in mõte Caluario pẽdens inter latrones, martyrum
47. in Canti. coronam, & eorum formam ſe prębuit.

SIcut lilium inter ſpinas, ſic amica mea in-
ter filias. Hebraicè. *Sicut viola inter ſpi-
nas, ſic ſocia mea inter filias.*

NVNC demum ſponſus poſtquã ſe flori, & lilio
aſsimilauit, ſponſæ cõmendat, tùm decorẽ, tùm

etiam

etiam periculum, quod ei imminet. Etenim aptiſsima cõ paratio hæc eſt: nam ſicut ſpinę nil habẽt candoris, nihilque odoris præſeferunt, imò ad nihilum valent, niſi ad in cendiũ, vbi mirũ in modum crepitant: ita in fideles & hę retici, omneſq; peccatores, inter quos ſancta Eccleſia verſatur, ceu ſpinę ſunt, ſuis dogmatibus & impoſturis ſuis, etiam prauis moribus animas, quas decipiunt, vulnerantes, non planè decorem habẽt, aut boni exempli odorẽ. Quibus ſiquid aduerſum accidat, crepantes blaſphemãt, quod perpetim facient, vt in ſua Apocalypſi ait Ioannes, prædolore linguas ſuas manducantes, quando in faſciculos redacti, in gehennæ proiicientur incendium. Iuxta illud. Ite maledicti in ignem æternum. Itaque, auſpicio Dei freta ſancta Eccleſia perſeuerat inter tot tribulos, & ſpinas, hoc eſt, tot inimicis circundata. Pungunt eam, & impugnant aduerſarij pro ſua virili, attamen non expugnant, neque vincunt, eo quod Saluator Chriſtus dęffenſor omnipotens eſt. Qui quidem ſacro ſuo ore dixit: Nõ præualebunt portæ inferi aduerſus eam. Fruſtra diabolus technas ſuas parat, in caſum retia ſua tendit nauicula Petri, quanquam tot vndis caciatur, nullatenus demergi po teſt. Sanè lilium, & ſi à ſpinis punctum, odorem aut deco rem ſuum non amittit: ſic nec ſacroſancta Eccleſia, quãuis ab emulis ſuis afflicta, ſemper in ſuo virore, ſuoq́ue cã dore perſiſtit. Nónne, teſte Philoſopho, oppoſita iuxta ſe poſita magis eluceſcunt? Ad eundem modum Eccleſia, quę candens liliũ ęſt, inter ſpinas plus nitet, magis ac magis tollerantia & beneuolentia fragrat. Hoc tamen non ſua, ſed ſponſi virtute poteſt, de qua Paulus: Omnia poſſum in eo, qui me confortat. Et iterum: Gratia Dei ſum id quod ſum. Huc attinet, quod beatus Gregorius dixit: Benè Eccleſia ſicut liliũ inter ſpinas fore perhibetur, quia

Collatio pulchra. *Heretici.* *Apoca. 16.* *Matth. 25.* *Matth. 16.* *Nota.* *Simile.* *Phili. 4.* *S Greg in Cãtica.*

cum multi ſint, qui ſolis verbis Chriſtum confitentur, operibus verò nihil niſi humanas ſolicitudines ſectãtur: ſola illa anima in lilij dignitatem computatur, quæ ad cęleſtem pulchritudinem aſſurgit, & munditiæ candorem corde, & opere ſibi cuſtodit: O cãdens flos, ô anima ſancta, exclamat Bernardus, ſubuerſores ſunt tecũ, vide quomodo cautè ambules delicate flos. Mũdus ſpinis plenus eſt: in terra, in aëre, in carne tua vepres ſunt. Verſari in iis, & minimè lędi, non tuæ, ſed diuinæ potentiæ eſt. Sed vocem omni melita dulcedine ſuauiorem audi: Confidite, quia ego vici mũdum. Quid iam de miſero filiarum Babylonis choro dicam? Sanè vepres ſunt, & variis curis pũguntur, ſolicitudinibus variis quotidiè diſcerpuntur, nec non diu noctuque execrandis libidinibus dilacerantur. At ſponſa Chriſti, vt lilium inter tot ſentes eſt, & ob id vehementer à ſponſo ſuo dilecta.

S.Ber.ſer.48

Ioan.16.

Sicut malus inter ligna ſiluarum, ſic dilectus meus inter filios. Sic in vtraq; tranſlatione.

COMPARATA ſpõſa lilio, quod eſt inter ſpinas, nunc alternatim ſponſa, quàm elegantiſſimè comparat ſponſum, non floribus aut herbis, quæ res tenues ſunt, & humiles, ſed eum malo arborem pomiferam, altam, atq; ſublimen dicit, quæ inter ſteriles ſiluæ arbores, præſtantiſſima eſt. Notãdum, quòd malum non modò, vt vnguentum odore ſuo ſpiritum demulcet, ſed dulcore nectareo fauces oblectat: hęc ſuapte natura malum habet. Eam obrem volens ſponſa non tantum Chriſti ſermones laudare, ſed etiam dulcorem mirabilem illius indicare, clamat: *Sicut malus inter ligna ſiluarum, ſic dilectus*

Nota.

meus

meus inter filios. Omnes arbores, ad comparationem ſermonis Dei ſiluæ inferaces reputantur. Sine me nihil poteſtis facere, ait ſponſus Chriſtus IESVS: nequis niſi in Domino glorietur. Cæterum, Apoſtolus admonet, non quòd poſſimus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis, omnis ſufficientia noſtra à Deo eſt. Quandoquidem Saluator noſter baiulans ſibi crucem filias Hieruſalem plorantibus alloquutus eſt, dicens: Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? En ſe arborem fructiferam ſe vocauit: & perbellè: quoniam ipſe eſt lignum vitæ in medio Eccleſiæ plantatum, cuius mirifico fructu, quicquid pomo noxiali corruptum eſt, in ampliorem reducatur ſanitatem. O arborem fructiferam, cuius fructus nimius, cuius folia ad ſanitatem gentium conducunt, cuius pomũ valdè ſuaue, & cuius vmbra itinerantibus & peregrinis filiis Adæ magnopere eſt ſalubris. De qua nunc ſponſa inquit.

Ioan.15. *1.Cor.3.* *Danie.4.* *Figura.*

SVb *vmbra illius quem deſiderabam ſedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.* Sic in vtraq; tranſlatione, Græca, ſcilicet, & Latina. Hebraicè verò ita habetur: *In vmbra eius deſideraui, & ſedi, & fructus eius dulcis palato meo.*

PRVDENTER admodum ſponſa, nec ſine magno delectu ſiluarum ligna faſtidiens, & filios adoptionis poſthabuit, & vnicum patris cæleſtis filium ſuper omnia dilexit, arborem frugiferam appelans eum. Benè meritò inquam, ſedere ſub illius vmbra maximopere cupit. Nouit plenè extra hanc vmbram omnia periculis plena: ſciuit nuſquam ſecuram & tutam fore quietem, niſi

in vmbra ſponſi ſui. Nempè vmbra in ſacris literis, protectionē, ſiue auxiliū ſignificat. Vndè in Pſalmo legimus: *Pſal.16.* Sub vmbra alarum tuarum protege, à facie eorū qui me affixerunt. Dei noſtri alæ potentia & miſericordia ſunt, quibus ſuos protegere, ac tutari ſolet. Vndè inexhauſtas gratias idem Propheta Deo agens, alibi clamat, pro liberatione ab æſtu afflictionis: *Pſal.139.* Domine, Domine, virtus ſalutis meæ, obūbraſti caput meum in die belli, ideſt, in die tentationis validæ. Ecce vbi habet ſancta Eccleſia ſolatium, & veram quietem, nempè in Chriſto IESV, in vmbra ſponſi ſui. Quis vnquam refrigerium inuenire valet, niſi in meditatione & dilectione IESV? *2.Corin.7.* Foris pugnę, intus timores, ait athleta fortiſsimus: ſed qui conſolatur humiles, conſolatus eſt nos. Aduertendum maximè, quòd nō obiter nos oportet tranſire per vmbram Chriſti, ſed cum ſponſa ſedeamus oportet, Eligamus inibi ſeſsionem, cū *Matth.17.* Petro acclamantes: Domine bonum eſt nos hîc eſſe. Bonum inquā eſt nos eſſe ſub huius arboris vmbra, ne auaritiæ cupiditas, aut ſuperbiæ flamma, neque concupiſcentiæ æſtus nos exurat. Quid immoror fratres? ſine hac vmbra nemo viuere valet. Iuſtus ex fide viuit: fides verò vmbra eſt Chriſti IESV, dicente Hieremia: *Treno.4.* Spiritus oris noſtri Chriſtus, in vmbra eius viuemus inter gentes. Vbi ſanctus Bernardus: *S.Ber.Ser.48 in canti.* In vmbra inter gentes, in luce cū Angelis. In vmbra ſumus, quandiu per fidē ambulamus, non per ſpeciē. Prius eſt venire ad vmbrā, & ſubindè tranſire ad id, cuius vmbra eſt: quoniā niſi credideritis, non intelligetis. Agite chariſsimi, videamus nunc per ſpeculū in *Eſai.7.* ænigmate, & ſat ſit: poſteà aduentante luce gloriæ, videbimus faciē ad faciē, vti Apoſtolus teſtatur: vitam noſtrā in fide & in charitate agamus, quo poſt exhalatā animā *Nota* videamus ſponſum in decore ſuo, ſicuti eſt. Notandum quod

quod Propheta dixit:In vmbra Chriſti regis noſtri viuemus:ſponſa plus dicit: *In vmbra illius ſedi.* Plus eſt ſedere, quàm viuere in hac vmbra.O fœlix, qui non modò viuit in fide Chriſti,ſed quieſcit,& mirabili pace fruitur.Proh dolor,quòd non in vmbra hac quidam quieſcunt,ſed in vmbra mortis ambulant,& variis ſceleribus ſe dedunt,& in caligine delictorũ indeffesè morantur.Neſcierũt, nec intellexerunt,in tenebris ambulant,ait regalis Propheta, tanquam infœlices eos deplorans.Trãſeamus ab vmbra ad vmbrã(ait Origenes)ab vmbra mortis,ad vmbram vitæ.Ambulantibus in tenebris,& in vmbra mortis, lux orta eſt eis.Hoc de Gentibus vaticinatus eſt Eſaias. Deſideremus ſedere in vmbra Chriſti,& ipſe adimplebit deſideriũ noſtrum,quia Pater miſericordiarũ eſt. Qui replet in bonis deſideriũ tuum,clamat Dauid.Mirabile dictu, ſuper omnes ſanctos Deipara Maria hãc vmbram experta fuit,quãdo virtus Altiſſimi eã inuiſit,eiq; obũbrauit, iuxta Gabrielis oraculũ. Hinc Eliſabeth à Spiritu ſancto afflata ſeſe cohibere nõ valuit,quominus voce magna clamarit:Beata quę credidiſti,quoniã perficientur in te,quę dicta ſunt tibi à Dño.Enimuerò,qui in hac vmbra ſedet, & in fide Chriſti I E S V perſiſtit,non circũfertur omni vẽto doctrinæ,ſed fidei ſacræ dogmata in corde ſeruat , & fidei opera non horret.Vndè rectè adidit ſponſa.

Pſal.81. *Pſal.102.* *Fides Mariæ.* *Luce.1.* *Ephe.4.*

Et fructus eius dulcis gutturi meo, vel, *palato meo,* vt in Hebræo habetur.

Non tantum in vmbra ſedens refrigeriũ inuenit,& cõtra æſtus concupiſcẽtiæ medicamẽ ſalutare:ſed quia ſub arbore pomifera ſedebat ſpõſa,de fructibus eius comedit, qui vſq; adeò ſuaues & odoriferi erãt,perindè dicat:Poſtquam mei voti compos facta ſum,& veluti deſiderabã in vmbra ſponſi mei ſedi,atque quieui,fructu eiùs ſaturata,

ſic

ſic aio: *Fructus eius dulcis gutturi meo.* Fructum hunc valdè ſuauem, Origenes dicit, cōtemplationem fore, cuius dulcedinem nemo delibare valet, niſi humiliter in vmbra fidei ſedendo, quieſcat. Arbor vtiq; pomifera Chriſtus eſt, in corde noſtro per fidem & charitatem plantata. Quam
S. Grego. ſi mens, vt par eſt, inſtāter excolat, fructus nimirum inte-
Nota. rius pulchros, & ſuaues gignit. Quos ſanè dū mēs capit, auidè comedit, & voluptate ingenti affecta, omneis mūdi delitias præ eorū dulcedine abhorret. Dulce enim eſt valdè ſibi, cæleſtia cogitare: ita vt aliquando in fletibus etiā mens accenſa conpungatur: & inter lachrimas eleuata Angelorum cibo paſcatur. O fructum nimis ſuauem, ô gratiam Dei, qua vegetamur & viuimus. Hanc planè
Ioan. 1. ex plenitudine Chriſti IESV omnes accipimus. Illa eſt fructus, quem nobis arbor hæc produxit. Pulchrè autem dictum eſt, in gutture dulcis fuit, quia interius mentem oblectat: non vt corporalis cibus fauces tangit. Vel aliter verba Chriſti & opera mirifica, quę in hoc mundo operatus eſt, fructus huius arboris ſunt, quibus ad finem vſq; mundi, mirificè mentes ſanctæ oblectantur, reficiunturque. Vndè in Pſalmo ſcriptum eſt: Memoriam abundan-
Pſalm 144. tiæ ſuauitatis tuæ eructabunt: & iuſtitia tua exultabunt. Id eſt, nō ſua, ſed tua iuſtitia agnita gaudebūt. Audite quos fructus emittat Dauid: Quàm dulcia faucibus meis elo-
Pſal. 118. quia tua ſuper mel ori meo! Et alibi inquit: Dulciora ſu-
Pſal. 18. per mel & fauum. O nimium infœlices, qui, hac arbore ſpreta, ad ſilueſtres arbores, & infructuoſas confugiunt: acerboſque fructus earum carpunt. Imò poma amariſſima colligentes, mortem ſibi aſciſcunt. O vehemēter deploranda peccatorum cæcitas, qui dum ſatiare mentem ſuam contendunt, famen & eſuriē perpetuam inueniūt. Talis erat diues ille, vt pote ſtultus, qui tot diuitiis in hac

vita

vita affluens, guttam aquæ in inferno poſtulabat, quippequam nullatenus accipere haud meruit. Quin filij prodigi inſtar, de ſiliquis porcorum ventrem ſatiare cupiẽtes, nemo eis dat. Poſſemus & verba ſponſę referre ad ſacroſanctam Euchariſtiam, nam cibus ſuauitate plenus eſt, & panis viuus, qui de cælo deſcendit, & vitam dat mundo. Sanè panis cæleſtis hic longè melior quàm manna eſt, quod typum tanti Sacramenti gerebat, omne delectamẽtum in ſe habet, & omnis ſaporis ſuauitatem. Sed de iis fuſiùs in feſto corporis Chriſti diſeruimus. Satis ſit nunc ſcire, quòd fidelis ad altare accedens, priùs in vmbra ſedeat, fide & charitate polleat: alioqui reus erit mortis, ſi (quod Deus auertat) indignè, vt alter Iudas, Angelorum panem ederit. Lucæ.16. Ioan.6. Sapien.16.

INtroduxit me Rex in cellam vinariã, & ordinauit in me charitatem. Hebraicè ſic. *Introduxit me in domum vini, & vexillum eius ſuper me, charitas.*

QVÆ diu ſub arboris fructiferę ſederat, & pomis ſua quibus victitarat, ius erat vt vino optimo & deffecato inebriaretur. Cella vinaria lex ſancta eſt: vbi ſponſa multum bibens, ſitim ſuam extinxit. Qui biberit ex hac aqua, non ſitiet in æternum. Aqua diuinæ gratiæ etiam vinum eſt: quo non modo ſitis noſtra extinguitur, ſed animã mirabiliter in Dei amorem inflamat. Huc attinet illud Prophetę: Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardeſcet ignis. Et duo diſcipuli in Emaus pergentes, Domino loquente, aiebant: Nónne cor noſtrũ ardens erat in nobis, dum loqueretur nobiſcum? Cæterum Ori- Nota. Pſalm.38. Lucæ.24.

genis ſententiam non taceam, ait enim: Introducite me in domum vini. Quaſi ſponſus foris ſit, & ſpōſam rogat, vt eũ introducat. Ego ſto ad oſtium, & pulſo: ſi quis ape-

Apoc. 3. ruerit mihi, intrabo ad eum, & cœnabo cum eo, & ipſe mecum. Domus vini cor noſtrum eſt, in quo velut in fonte dilectio manet. Iuxta illud: Fili prębe mihi cor tuũ, hoc eſt, amorem tuum, non mũdo, nō carni fœtidæ, ſed mihi illum offer: ſpōtè mihi eum exhibe, cui totũ, quod habes, ego dedi. Ordinate in me charitatem: ideſt, me ſuper omnia diligite. Nam qui amat patrem aut matrem

Nota. plus quàm me, non eſt me dignus. Eleganter loquitur ſpōſus, hoc poſtulans. Nos verò vulgatam ędítionem ſequamur, quam omnes ęditiones ſequi debent: potiſsimè iis tēporibus, quãdo, heu, diabolo ſuggerēte, tot ſchiſmata, & hæreſes inſurgũt. Cella quippè vinaria ſacra ſcriptura eſt,

S. Gregor. in Cantica. per quam in ipſa ſponſa charitas ordinatur: quoniam in ea palàm dicitur, qualiter Deus & proximus ordinatè di-

Matt. 22. ligantur, Saluatore noſtro acclamante: Diliges Dominũ tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & omnibus viribus tuis, & proximum ſicut te ipſum. Ecce ordo charitatis mirabilis, quem magiſter optimus præcipit ſeruare, & eo maximè homines indigebant. Alij ſic exponunt: *Ordinauit in me*, ideſt, direxit in me dilectionē ſuam. Perindè dicat: Tot beneficijs me affecit, vt inſigniter amare me oſtenderit, non vulgari amore. Fauet huic aſſertioni, quod Hebraicè habetur. *Vexillũ eius ſuper me charitas.* Hoc eſt ſponſus meus Chriſtus tantoperè me dilexit, vt quaſi vexillum amoris ſuper me leuauerit.

S. Bern. ſer. 49. in Canti. Rurſus diuus Bernardus, cellam vinariam, vbi ſponſa mero dilectionis inebriatur, Eccleſiam vocat: in qua Spiritus ſanctus, in die ſacro Penthecoſtes deſcendit. Quandoquidem quos Spiritus ſanctus gratia ſua repleuerat,

rat,ebrios vulgus imperitum vocabat. Tunc Petrus Ioë- lis vaticinium narrans, oſtendit veritatem. Nónne vnuſquiſque eorum dicere poterat: *Introduxit me Rex in cellam vinariam, & ordinauit in me charitatem?* Denique, qui in cō templationem rapitur, & deguſtato mero æternitatis gloriæ, quæ terrena & temporaria ſunt poſthabet, is intro ductus eſt à ſponſo, vt quaſi ebrius, & in lætitia ſpiritus abſortus, cũ Apoſtolo clamitet: Omnia arbitratus ſum, vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciam. Denique, charitatis ordo talis eſt, vt ſuper omnia Deum diligamus, poſt Deũ, nos ipſos, deindè proximum vti nos amemus. En regula, quam ad amuſsim ſeruare debent fideles. Qui ſecus agit, non in cellam vinariam intrauit. Fœlicem dixerim animam, quæ ad hanc cellam ſæpènumero meruit introduci: ad quam niſi manu principis Chriſti IESV nemo intrat. Quid autem, deguſtato vino charitatis, ſponſa ſen ſerit, iam auſcultemus oportet. Acto.2. Philip.3. S. Tho. 2. 2. q.26. art.1.

F*Ulcite me floribus*, *ait*, *& ſtipate malis, quia amore lãgueo.* Hebraicè. *Suſtentate me phialis, ſternite me malis, quia languens amore ego.*

QVIS obſecro, verba hæc explicare poterit, niſi à ſpō ſo intro ductus fuerit in cellam vinariam? Verùm rei magnitudo omnem intellectum quamlibet perſpicacē exuperat. Faxit Deus optimus, vt vel balbuciētis in morē, aliquid fari valeam. Etenim plus appeto dilectionis Dei muſtũ delibare, quàm Ciceroniano ſermone langorem ſponſę enarrare. Mos ægrotantiũ eſt, cũ maxima infirmitate laborãt, petere floſculos, & flores, & pomorum redo lētia genera: vt vidēdo ſaltē roſarũ gratos colores, & odo Nota.

rãdo has res, aliqua ex parte releuati, leuiùs vexationẽ lan gores ſui ferãt. Sic ſpõſa, ex diuino amore lãguida, poſtu-lat huiuſmodi res languentiũ, ad refocillandã, atq; oble-
Nota. ctandã. Hęc ſanè ebrietas diuini amoris, tametſi in vtraq; Eccleſia, veteri & noua fuerit, vehementior autem in no-ua Eccleſia inuenitur, quæ verè inebriata vino illo, ideſt, ſanguine Chriſti, vltrò ſe ſe in mortem tyrãnis offerebat, necnon hodie hæreticis improbis offert. Hinc Origenes: Quàm pulchrum, quàm decorum eſt, à charitate vulnus accipere. Alius iaculum carnei amoris accepit, alius terre no gladio cupidinis ſauciatus, tu verò nuda membra tua, & præbe te iaculo electo, ac formoſo charitatis. Siquidẽ ſagittarius eſt Deus. Sagittæ potentis acutæ, populi ſub te
Pſal.44. cadent. Et in alio pſalmo: Sagittæ tuæ infixæ ſunt mihi: Imò vt amplius admireris, audi ipſum iaculum, quid lo-
Eſaiæ.49. quatur: Poſuit me quaſi ſagittam electã, in pharetra ſua abſcondit me. Nónne ſagitta acuta Chriſtus, cuius ver-bum audiens Magdalena vulnerata mundum, reliquit, & ad fontem vitæ cucurrit, peccata ſua deplorans? Eadem ſagitta ſauciatus Matthæus Thelonium confeſtim dimi ſit, & Dominum ſequutus eſt. Sic nimirum Petrus, & An dreas, Ioannes, & Iacobus retia, nauim, necnõ & patrẽ, Chriſto vocante, omnia vltrò relinquẽtes, veſtigia Salua-
S. Auguſt. toris ſectati ſunt. Huc alludit, quod Sanctus Auguſtinus in confeſſionibus ſuis enarrat: Sagittaueras tu Domine cor meum charitate tua. Vtinam hoc ſuaui telo vulnera ti, quàm primum poſt Chriſtũ IESVM curreremus, cun ctis temporariis rebus abdicatis. O plaga ardẽtiſſimis vo-tis concupiſcenda, quæ ſignum vitæ eſt. Ego percutiam, ait Dominus, & ego ſanabo. Profectò niſi Dominus, qui ſuo amore mentem noſtram ſauciat, ei mederi poteſt.
Matth.9. Vnde non abs re, ſe ſe medicum ipſe vocauit. Mira res, lã-

gués ſpõſa flores, & mala depoſcit. Per flores beatus Gregorius incipientes intelligit, per mala verò fideles perfectos. Petit ergo ſe fulciri floribus, & ſtipari malis, quia dũ ſe æternitatis deſiderio afficit, dum qualiter illuc perueniat tota anxietate affectat, fatigata in ſuo deſiderio requieſcit: & in hoc dumtaxat gaudet, ſi circa ſe proficit, vel ſi aliquibus ipſa proficit: in quorum profectione ſolatium de langore ſuo perſpicere poſſit. Vos fratres diſcite, quanto amore ardet, quæ præ magnitudinis amore langueſcit. Quis precor tàm feruidus ſummi Dei amator, & præ dilectione deficit? Quis inquam, cùm Pſalmographo indeſinenter clamat: Defecit cor meũ, & caro mea, Deus cordis mei, pars mea Deus in æternum? Grandis, ac mirabilis eſt charitatis feruor, quando ſic cogitur exclamare: *Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore lãgueo.* Iam hîc ſermo taceat, affectus intelligat. Planè ſi omnia mundi gaudia, ſi omnes ſeculi delitias in vnum agglomeres, hoc charitatis incendium temperare non poteris. Quandoquidem ſi Amon Dauid filius languorem paſſus, ob immodicum amorem, quem erga Thamar ſororem Abſalonis habebat, quid ni amor ſpiritalis animam languere faciat? Fortior ac potẽtior eſt ſpiritalis dilectio quouis communi amore, quãto fortior eſt ſpiritus fragili carne. Nónne Apoſtolus quaſi deliquiũ patiebatur, vbi dicebat: Viuo iã nõ ego, viuit verò in me Chriſtus. Quin & in ſequentibus liquefacta ſponſa dicebat: Anima mea liquefacta eſt, vt dilectus loquutus eſt. Nec incõgruè quidam verba Chriſti IESV, quæ nobis in Euangelio, reliquit, flores appellant, quibus ſpõſa in hoc exilio maximè ſolatur. Facta autem Saluatoris & opera egregia poma ſunt, hac & illac fragrantiam emittentia. Sic ſponſa infirma, talibus floribus mellitis, & pomis ſuauitate plenis reficitur,

S. Gre. in cãt.

Pſalm. 72.

2. Reg. 13.

Galat. 2.

Canti. 5.

citur, ſtipatur, atque fulcitur: alioqui facilè díceret, niſi hiſce floribus, & pulcherrimis pomis recreata, donec ſpõſi ſuaui fruatur præſentia. Sed nũc lubet ſententiam diui
S.Ber.in Can Bernardi referre. Flos ipſa fides ſancta eſt, quæ veluti flos
tica ſer.51. fructum præcedit. Sine fide impoſsibile eſt placere Deo.
Hebræ.11. Imò omne, quod non eſt ex fide, peccatum eſt. Itaque, ſi-
Roma.14. cut flos ſine fructu inanis eſt, ita & fides ſine operibus
Iaco.2. mortua & infrugifera eſt. Quãdiu ergo in abſentia ſpõſi exulat ſponſa, pediſequas & adoleſcentulas alloquitur, amoris infirmitatẽ patiẽs, quibus ait: *Fulcite me floribus ſtipate me malis, quia amore langueo.* Sponſi autem pietatem nunc penitiùs contemplemur, qui confeſtim anxietatẽ ſponſæ ſuæ ſolari non renuit.

LÆua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.

SENSUS eſt: Audite adoleſcẽtulę: cùm ego ſponſa ſic grauiter amore ſpõſi mei Christi ęgrotarẽ, & languida iacerem, mox prę̃ſto fuit dilectus meus, qui vt vidit
Nota. me vehemẽter languere, more chariſsimorũ amicorum, qui ſponſis ſuis cõpatiũtur, lęuã̃ ſuã mihi lãguenti ſub capite poſuit, & dextera ſua me amplexatus eſt. Idque Christus continuè præſtitit ſuæ Eccleſiæ, in quauis tribulatione; ſed potiſsimũ cùm amore languet. Verùm non ſuſtinet ſpõſus dilectę ſuę moleſtiã, ideò adeſt, moras non faciens, tantis tamq; flammigeris deſideriis vocatus. Fœlix anima, quę in pectore Christi recũbit, & vt alter Ioannes Euãgeliſta in corde Saluatoris caput reclinat. O ineffabilẽ Christi IESV charitatẽ, & pietatẽ, vno brachio caput ſpõſę ſuſtentat, alterũ ad amplexandum parãs, vt ſinu ſuo
Prouer.3. foueat eã. Lõgitudo vitę in dextera eius, & in ſiniſtra illius diuitiæ & gloria. Videte quas diuitias ſecũ afferat ſpõſus

omnipo-

omnipotens. Læua eius ſob capite meo, vt me faciat requieſcere,& brachiũ ſponſi mei fiat ceruical meũ,& reclinetur animę ratio ſuper ſermonẽ Dei. Vbi Origenes: Nõ expedit tibi habere ceruicalia, quę lamentatio ſequatur. In Ezechiele ſcriptũ eſt: Vę his,qui conſuũt puluillos ſub omni cubitũ manus, & faciunt ceruicalia ſub capite vniuerſæ ętatis ad capiendas animas. Quod ſanè contra adulatores dictũ eſt. Noli tibi cõſuere ceruicalia, noli capiti tuo aliundè requiem quęrere, habe ſpõſi cęleſtis læuam ſub capite tuo,& tum gaudenter dices: *Læua eius ſub capite meo.* Abeant diuitiæ perituræ, faceſſant honores huius ſeculi, diſcedant cũcta carnis oblectamẽta, nam in Ieſu IESV ego pacem inueni,& ibi prorſus quieſco. Ezechie. 13.

Atqui, ſanctus Gregorius per læuam Chriſti vitam prę- S.Grego.
ſentẽ,in qua tot mala pro nobis pertulit intelligit, per dexteram vitam æternam. Caput ſponſæ mens ipſa eſt, quæ animæ principatur. Sed læua ſponſi ſub capite ſponſę eſſe dicitur,& dextera eius eã amplexatur: eo quod vitam tẽporalẽ, labores & mortẽ Saluatoris ſub mente ſua ponit, Paſſio Chriſti.
vita verò ęterna, modis omnibus circundari cõcupiſcit. Eam ob rem mala quæq; nunc patienter tollerat,& quęq; videt magnanimiter conculcat, officijs cæleſtibus vacãs. Et notandũ quòd non dixit, amplexatur me dextera ſua, ſed *amplexabitur me.* Hoc eſt: vera conſolatio qua me ſpõſus meus cõſolabitur, nõdum venit, ſed eã in futuro expectò, quãdo totam amplexabitur me in cælo. Agit gratias de dono ſuſcepto,& de mercede quã confidit aliquãdo ſuſcipere, ne minùs grata appareat. Ita & vos fratres pro Dogma.
ſingulis donis Deo grates date: colligite fragmẽta, quę ſuperauerũt, ne pereãt. Etiam de minimis muneribus à Deo datis (ſi ſic licet loqui) indeſinenter gloriã Deo exhibete, ne pereãt fragmẽta. Perit quod ingrato datur, nã ingrati-

tudo inimica eſt animæ, exinanitio meritorũ, virtutũ diſperſia, beneficiorũ perditio vetus vrẽs eſt, ſiccãs ſibi fontẽ pietatis, & fluenta gratiæ. Vel ſi malumus, læua ſponſi Chriſti I E S V humanitas eſt, & dũ in eius humilitate, paupertate, & patientia per contemplationem quieſcimus, quaſi læuã illius ſub capite habemus. De qua ſiniſtra aiebat Apoſtolus: Nõ arbitror me inter vos aliquid ſcire niſi Chriſtũ, & hunc crucifixum. Dextera autẽ ſponſi diuinitas eſt. Hac nos totos amplexabitur, quando poſt agones conſumatos dicet: Venite benedicti patris mei, percipite regnũ, quod paratum eſt vobis à patre meo ab origine mundi: & iterum: Quia in pauca fuiſti fidelis, intra in gaudium Dñi tui. Summa, ſponſus ni fallor dexteram & ſiniſtram habet: ſiniſtra manu iacẽtes in peccato eleuat, de qua in pſalmo: Dñs erigit eliſos: & rurſus, Iuſtus ſi ceciderit non collidetur, quia Dñs ſupponit manum ſuã: ſiniſtra Petrũ ſubleuauit, cũ reſpexit eũ in domo Cayphæ, & egreſſus foras fleuit amare: dextera conſeruat iuſtos ne labaſcant. Vnde Dauid: Quoniam à dextris es mihi, ne cõmouear, tene me his benedictis manib[9]. Hec expoſitio notanda eſt, & alias quas adduximus minimè inficior.

Ingratitudo. *1.Cor.2.* *Matth.25.* *Pſal.144.* *Pſal.36.* *Pſal.15.*

ADiuro vos filiæ Hieruſalẽ per capreas, ceruosq́; camporũ, ne ſuſcitetis dilectam, neque euigilare faciatis, donec ipſa velit. Hebraicè. *Adiuro vos filiæ Hieruſalem per capreas ceruosq́; cãporũ, ſi ſuſcitetis,* aut *(ſi excitetis) dilectam, quousq́; cõplacẽtiam habebit.*

NI FALLOR hic eſt locus, in quo ſpõſus vtriuſq; Hieruſalem, ideſt, Chriſtus I E S V S, apertiſſimè

ſubiicit.

ſubiicit totum populum Iſraëliticum, omneſque Eccleſias orbis terrarum, ſub vno Sacerdote, & vna matre Eccleſia vetere Hieruſalem, & noua Romana. Imprecatur filiabus vtriuſque veteris & nouæ Hieruſalem duriſſimã ferarum mortem, ſi rebellantes à matre Eccleſia, ſuſcitauerint, & excitauerint eam: hoc eſt, ſi ei aliquo modo calumnias parauerint. Vndè *filias Hieruſalem* omnia oppida & ciuitates vocat, quippeque erãt Hieruſalem vt filię. Sic in Euangelio mulieres, quæ ſequebantur eum à Galilęa miniſtrantes ei, appellauit filias Hieruſalem, dicens: Filiæ Hieruſalem, nolite flere ſuper me. Eſt ergo ſenſus (vt omnes Hebræorum doctores aiũt) imprecor vobis mortem ſæuiſsimam, quam capreæ, & ceruę campi à venatoribus patiuntur, à quibus circumuentæ, & captæ occidũtur, & dilaniantur, ſi ſuſcitaueritis dilectam, donec ipſa velit, vel complacentiam habebit in me, per aduentum meum. Hæc in figura dicta ſunt, & pro noua Hieruſalem, cuius filias, id eſt, omnes totius orbis terrarum Eccleſias, ſub eadẽ adiuratione, & imprecatione Dominus IESVS terribiliter adiurat, atque aſtringit, ne ſuam dilectam Romanam Eccleſiam ſuſcitent, hoc eſt, nullatenus eam perturbent, calumnienturvé. Cæterùm, quia filiæ Hieruſalẽ ſic terribiliter adiuratæ, non ſe continuerunt, quominùs tempore Roboam per nephandam idolatriam rebellarent, eam ob rem dictam terribilem adiurationẽ incurrentes, tanquam capreæ & ceruæ, datę ſunt in manus Regis Aſſyriorum in prædam, & mortem, & in captiuitatẽ ſempiternam. Verùm, quoniam omnia cõtingebant illis in figuram, vt teſtis eſt Paulus, Græci rebellantes ab ipſa noua Hieruſalem, quam vidit Ioannes de cælo deſcendere, tanquam ſponſam ornatam viro ſuo, Romanam Eccleſiam dico, in eandem imprecationem incidentes,

Vnitas Eccleſiæ.

Lucæ. 23.

Nota.

Apoc. 21.

dati ſunt in prædam, regi tyranno Turcarum. Et nunc, proh dolor, plerique Germani, & Angli, non timentes tam accerrimam Chriſti adiurationem, ſeſe in iudicium decem tribuum, & Græcorum præcipitarunt. Quid ad hæc dicemus: niſi quod Dominus in Euangelio dixit: Vę mundo à ſcandalis, neceſſe eſt, vt ſcandala veniant: verũtamen, vę illi per quem ſcandalum venit. Quid quod Origenes de charitate hoc exponit? Adiuro vos filiæ Hieruſalẽ in virtutibus & in viribus agri. Sed quid adiurat ſponſa filias Hieruſalem? Si leuaueritis, & ſuſcitaueritis charitatem, ait: Quandiu charitas dormit in vobis, ô filiæ Hieruſalem, ô adoleſcentulæ, quæ in me non dormit, quia vulnerata ſum charitate. In vobis autem quæ plures eſtis, & adoleſcentulæ, & filiæ Hieruſalem, dormit charitas ſponſi. Adiuraui ergo vos, ſi leuaueritis, & non ſolũ leuaueritis, ſed ſuſcitaueritis, quæ in vobis eſt charitatẽ. Creator vniuerſitatis cũ vos conderet, inſeruit in cordibus veſtris ſemina charitatis. Nunc autem ſicut alibi dicitur, Iuſtitia dormit in eá, ſic dilectio dormit in vobis. Iuxta quod alibi dicitur: Sponſus requieuit vt leo, & vt catulus leonis. Adhuc in infidelibus, & in his, qui corde ſunt dubio, dormitat ſermo diuinus, vigilat in ſanctis, dormitat in iis, qui tempeſtatibus fluctuant, ſuſcitatur verò eorum, vocibus, qui cupiunt vigilante ſponſo ſaluari. Statim fit eo vigilante tranquillitas, confeſtim vndarum moles conquieſcunt, ſpiritus contrarij fugiunt, fluctuum rabies ſilet. Illo dormiente ſubindè tempeſtas, mors, & deſperatio eſt. *Adiuro vos filiæ Hieruſalem* in virtutibus & viribus agri. Cuius agri? nempè illius agri pleni, cui benedixit Deus. Hæc Origenes, quem ex Græco tranſtulit beatus Hieronymus. At, nos ſanctorum explicationem ſequentes, non huic expoſitioni hæremus. Diuus Gre-

Matth.18.

Gene.49.

gorius per capreas animalia munda,& per ceruos, fidē, & ſpem, & charitatem intelligit. Quas in nobis dum mundas ſeruamus, per eaſdem altos montes contemplationis conſcendimus. Sanctā anima, ſopitis terrenis curis, in brachiis ſponſi requieſcit, gaudet, & hilareſcit. Sed hanc dormientem carnales, qui ſunt in Eccleſia, nonnunquam importunè excitant, negotiis mundi eam implicare deſiderant, quia eius vitam inutilem putant, dum ab eorum curis eam abſentem conſiderant. Ij benè filiæ nominantur, nam effœminatos mores nutriunt, amiſſa virili dignitate: & quales interiùs habeantur, exteriùs nomine fœmineo deſignantur. Ne autem à contemplatione dilectam euocent, admonentur. Et quia non ei omnis cura proximi interdicitur, quando ſuſcitari debeat, voluntati eius relinquitur. Ecce magno opus eſt delectu, quando fidelis anima orationi, & contemplationi, vacare debeat, & quando proximi vtilitati ſtudeat. Proculdubio Martha & Maria ſorores erant, & vtraque Chriſto ſponſo ſeruiebat. Et rurſus, animalia ſancta non ſemper volabant, ſed nunc per terram gradiebantur, ambulantes, nunc pennis extentis in altum volabant. Quo in volucro, vita contemplatiua, & actiua ad fabrè depictæ ſunt. Non ergo abs re Dominus iuſiurando vtitur, ne filiæ Hieruſalem Eccleſiam ſummè dilectam excitent, conturbentvé: ne vt Achan, qui ex Hiericho ſpolia accepit, lapidibus obrruatur. Non vtique Deus eſt diſſenſionis ſed pacis, vti Apoſtolus conteſtatur. Quin & Saluator noſter beatos vocat pacificos, qui pacis fœdera in Eccleſia omnium maximè obſeruant. Ergo infœlices ſunt, qui vt filij diaboli, pacis vincula rumpunt, & diſſidia quotidie excitant.

S.Greg.in Cantica.

Nota.

Ezech.1. Figura.

Ioſue.7.

Nota.

Vos fratres altiùs mecum expendite obſecro; quanti ſponſus faciat ſuā ſponſam, quantaque cura ei ſit, de quiete, & ſomno eius: vbi ipſe vigilat, quo ipſa ſine ſtrepitu obdormiat. O dormitionē mirabilem, quam extaſim ego dicam, vel mortē. De qua Paulus: Mortui eſtis, & vita veſtra abſcōdita eſt cum Chriſto in Deo. Vtinā (ait Bernardus) hac morte ego frequēter cadam, vt mortis laqueos euadā, vt non ſentiā vitę præſentis blādimenta, vt non ſtupeſcam ad ſenſum auaritię, ad iracundię, & impatientiæ ſtimulos, ad curarū multarū moleſtias. Moriatur anima mea morte iuſtorū. O bona mors, quæ vitam non aufert, ſed transfert in melius. Ad hæc, ſanctus is, per capreas ceruoſq; camporum ſanctos Angelos intellexit, qui ob miram ſuam velocitatem in Pſalmo pennæ ventorum dicuntur. Liberi enim ſunt, & ſequuntur agnum quocunq; ierit. De iis teſtatur Apoſtolus: Nónne omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus, miſſi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis? Per hos adiurat filias Hieruſalem, ne audeat ſponſam excitare. Mira res, matres infantes ſuos in cunis, & amici ſuos infirmos dormiētes cuſtodire ſolent: & ad eandem imaginē Dominus, qui materno affectu Eccleſiam diligit, & animam fidelē tantopere amat, ſe cuſtodē vocat, cū ſit Rex regum & Dñs dominantium. Sed ô mirabile dictu, qui ſuſcitare prohibet dilectam, ipſe voce ſua eam ſuſcitat: & vocis ſuæ ſono perculſa, ſic clamat.

Colo.3. *S.Ber.ſer.51. in Canti.* *Pſalm.17.* *Hebræ.1.*

V*Ox dilecti mei, ecce iſte venit ſaliēs in mōtibus, tranſiliēs colles.* Hebraicè. *Ecce iſte venit ſaliēs ſuprà mōtes, trāſiliēs ſuprà colles.*

HANC literam quidam explicant de captiuitate Ægypti. Nam vox ſponſi inſonuit per Moſem, & Aaron,

Aaron, dicente Domino: Vidi afflictionem populi mei, & deſcendi, vt liberem eum de manu Ægyptiorum. Et commoditatem itineris indicans, addidit: Iam hyems trãſiit, imber abiit & receſsit. Ideſt, tempus congruũ adeſt, ad exeundum de Ægypto. Nam hyems, & imber itinerãtibus ſolent fore moleſtiſſima. Origenes autem, ad incarnationem filij Dei verba hæc accommodat. Adhuc loquente ſponſa, venit ſponſus, quem digito demonſtrat, & dicit: *Ecce hic venit ſaliens in montibus, tranſiliens colles.* Hęc adhuc loquitur Eccleſia exhortans adoleſcentulas, vt ad ſponſi præparentur aduentum: ſi tamen venire voluerit, & ſuum illis præbere colloquium. Orate (ait doctor iſte) vt ego poſſim dicere: *Ecce hic venit ſaliens ſuprà montes, & tranſiliens ſuper colles.* Si enim potuero dicere ſermonem Dei, & differere illum, quodammodo dicã: *Ecce venit* ſponſus Chriſtus IESVS. Sed quò venit? nempè *ſaliens in montibus, & tranſiliens colles.* Profectò ſi fueris mons exaltatus à terra, ſaliet in te ſermo Dei: quòd ſi non valueris eſſe mons, ſed fueris collis ſecundus à monte, trãſiliet ſuper te. Hoc eſt, neminem ſpernit, qui vult omnes homines ſaluos fieri: ſed maiores & minores viſitabit, & cunctis ſua gratuita dona impertiet. Sub hæc, *Vox dilecti mei* pulſantis. Ac ſi diceret: vocem ſpõſi mei agnoſco, nã ouis boni paſtoris ſum, quique ait: Oues meæ vocem meam audient. Hanc ab ore eius ſemper audire cupio, quia hoc eſt ſignum dilectionis eius erga me. *Ecce iſte venit.* Vndè Gregorius: Ad amplexus ſponſæ ſuæ Chriſtus venire diſponens, humanitatem noſtram dignanter aſſumpſit. Ad quod myſterium peragendum, quaſi ſaliens in montibus venit: quia quædam opera egregia inter homines oſtendit, quæ valdè ſublimia ſunt: quamobrem homines admirari potuerunt, non autem comprehen-

Exo. 3.

Origenes.

Nota.

1. Timo. 2.

Ioan. 10.

S. Grego.

dere. Etenim de virgine Maria naſci, in cunabulis à paſtoribus, & Magis adorari, pendens in Cruce qua hora voluit mori, tertia die è tumulo ſurgere, & tandem
Incarnatio verbi. cælos aſcendere, & Spiritum ſanctum mittere, hæc faciens, quaſi in montibus ambulauit, & colles tranſiuit, eo quod ſanctos omnes tranſcendit. Tandem verba ſponſæ quanuis de aduentu in carne locum habeant, quia ſaliens in montibus filius Dei venit, omnes Angelorum choros tranſiliens, & formam ſerui accipiens, qua minoratus eſt ab Angelis: de aduentu quotidiano exponi poſſunt hæc, quandoquidem ſic vnicam Eccleſiam Romanam deamat, vt ſedens ad dexteram Patris, diu noctuque curam eius habeat. Et vt agnoſcas, quòd non compulſus, ſed ſponte olim & hodie venit, ideò ſalendo venit gaudens, & iubilans. Exultauit quidem
Pſal.18. vt gigas Sol iuſtitiæ Chriſtus, ad currendam viam. O ſi nos iubilantes, & gaudentes ad eum accederemus, quando orationi, ieiunio, & mandatis eius operam damus. Non ex triſtitia, aut ex neceſſitate (ait Paulus) hilarem datorem diligit Deus. Laboremus fratres, & toto niſu contendamus audire vocem ſponſi, qui quaſi furtiuè
Iob.4. loquitur, & ſuſurrat ad aures noſtras, & vox eius quaſi aura lenis auditur, teſte beato Iob. Agite obſecro, quia in ſilentio, & ſpe, erit fortitudo veſtra. Primo ſponſa audiuit ſponſum, deinde vidit venientem, iuxta illud:
Pſal.44. Audi filia, & vide. Id eſt, audi credendo, vt in cælo vi-
Iob.42. deas fruendo Deo. Auditu auris audiui te, ideò nunc oculus meus videt te. Auditus itaque ducit ad viſum, quia fides ex auditu. Vide (ait diuus Bernardus) in aduentu Spiritus ſancti quomodo ordo hic ſeruetur:
Act.2. priùs factus eſt de cælo ſonus, & ſubindè diſpertitæ linguæ, tanquam ignis, viſæ ſunt. De iis plura notatu di-

gna adfert hic ſanctus, ſerm. 53. ſuper Cantica, & ſerm. ſequenti. S. Ber.

SImilis eſt dilectus meus capreæ, hinnuloq; ceruorum.

QVodammodo cognata ſunt hæc duo animalia, & in lege munda habentur, vt notat Origenes: & quòd amplius admireris, ſæpiùs ſimul ponuntur, nec non in hoc Canticorum libro ſępiùs nominantur. Caprea, id eſt dorcas acutiſsimè videt: ceruus interfector eſt ſerpētum. Aperiat Dominus nobis ſcripturas, ceu Apoſtolis dignatus eſt eas aperire: vt recondita myſteria vtcunque recenſere poſſimus. Saluator planè noſter acutius videt, quia ſapientia Patris cæleſtis eſt, ita vt qui in ſinu Patris eſt, narrauerit nobis omnia. Nunc ſcimus, quia ſcis omnia (aiūt Apoſtoli) & non opus eſt, vt quis te interroget. Ceruus eſt, iuxta opera egregia quæ fecit. Interfecit ipſe ſerpentem, qui Euam decepit in paradiſo, & aëreas poteſtates ſuperauit. Vndè merito dicam ei. Tu confregiſti capita draconis, quod in Pſalmo ſcriptum eſt, idque Apoſtolus non tacuit, vbi dæmones triumphaſſe in carne ſua conteſtatus eſt. Equidē Saluator noſter in Cruce obiens, dæmones proſtrauit, iuxta illud: O mors, ero mors tua, morſus tuus ero inferne. Diuus Gregorius ſic inquit: Similis capreę hinnuloque ceruorū benè dicitur Chriſtus, quia ex Synagoga carnem traxit, quæ per capream oſtenditur. Et quia ex antiquorum ſanctorum ſtirpe progenitus eſt, quaſi hinnulus ceruorum rectè eſſe perhibetur. Hinnulus Dñs noſter vocatur ob nimiam eius teneritudinē: Nā paruulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis. Nec nō Regalis Propheta vitulū Libani, & filiū vni-

Nota. Ioan. 16. Pſal. 73. Oſee. 13. S. Grego. Eſai. 9. Pſal. 29.

vnicorniumipſum appellat. Fuerunt ipſi patres antiqui, ex quibus Chriſtus, vnicornes fortiſſimi, vt de Moſe, Ioſue, & Dauide, & pleriſque aliis memoriæ proditum eſt. Atqui, ſanctus Bernardus per capream, quę à longè videt, Chriſtum IESVM iudicem orbis intelligit. Time ſcrutinium iudicis dicentis: In die illa ſcrutabor Hieruſalem in lucernis. Acuto viſu eſt, nihil inſcrutatū relinquet oculus eius. Quin & ipſe eſt ſcrutans corda & renes. Quid iam precor in Babylone, ſi Hieruſalem manet ſcrutinium? Sanè impiorum facinora non egent ſcrutinio, ſed iudicio. Ergo Hieruſalem dicuntur, qui mores ſupernæ Hieruſalem, quę mater noſtra eſt, ſectantur. Caueamus hoc iudicium, nos ipſos iudicantes, & pœnitentiam agentes: dicẽte Paulo: Si nos ipſos diiudicaremus, non vtique iudicaremur. Nónne verba iudicis æquiſsimi ea ſunt: Cum acepero tempus, ego iuſtitias iudicabo? Ecce vias iuſtorum, & actus eorum diſcuſſurum ſe dicit. Verendum valdè eſt, ne incidamus in manus Dei viuentis. En cur capreæ ſimilis eſt dilectus: cæterum, in hinnulo, vt nũc tetigimus, miſericordia eius notatur. Venit ad nos paruulus, vt nos magnos efficeret, & inter Angelorum choros ſuper æthera exaltaret electos ſuos. Sed qui à longè videbatur, ſaliens in montibus, celeri curſu immenſa ſpatia peruolans, ecce adeſt,

S. Bern. ſer. 55. in Canti.

Sophoni. 1.

Nota.

1. Cor. 11.

En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum, aſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cancellos.

RVRSVS, incarnationis myſterium indicans, pariẽtẽ dicit corpus mortale, craſſum & põderoſum, quod medium eſt inter nos & Deum. Quo ſublato, anima ſancta videbit regem in decore ſuo, ſicuti eſt. Extat illa

illa ſentētia ad Moſem amicum Dei prolata:Nō videbit me homo &viuet:poſteriora mea videbis,faciem meam videre non poteris. Paries,qui corrumpitur,& aggrauat animam,corpus noſtrum eſt. Poſt hunc parietem ſpōſus ſtetit,quando homo factus diuinitatem ſuam abſcōdit, & verbum caro factum eſt. Sanè qui poſt parietem ſtat, non videtur:Sic Dominus inter nos erat,non tamen videbatur.Medius autem veſtrum ſtetit,quem vos neſcitis,dicebat amicus ſponſi. Cui ſententiæ aſtipulatur Ioannes dilectus:In mundo erat,& mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognouit. Res mirabilis,quemadmodum qui poſt parietem ſtat,pariete diruto videtur:ſic Chriſtus IESVS carnis mortalitate poſita,&in cruce moriens,tàm Centurio quàm centum viri,qui cum eo erāt, voce magna clamitantes dixerunt: Verè filius Dei erat iſte. Quid multis immoror?poſt reſurrectionem palam apparuit Apoſtolis ſuis,& diſcipulis, & iam in toto orbe agnitus,fideles confitentur eum verum Deum & hominem. Cū exaltaueritis filium hominis(dixit ipſe ęmulis ſuis)tunc agnoſcetis,quia ego ſum.Eodem pacto narrari poteſt,quod ſtatim ſequitur,*Reſpiciens per feneſtràs,proſpiciens per cancellos.* Enimverò, qui per feneſtram reſpicit, partim videtur,& partim ocultatur:qui per cancellos intuetur, omneis tranſeuntes videt,ipſe minimè videtur. Nónne quaſi per feneſtras & cancellos Saluator per ſenſus corporis proſpiciebat? Latebat nimirū diuinitas,quæ etiam latebras cordis penitiùs rimatur. Alioqui nō diceret Natanaëli: Cū eſſes ſub ficu,noui te:& ad perſequuto res ait:Quid cogitatis mala in cordibus veſtris? Ni fallor, vt ſponſus fidelitatem ſponſæ probet,abſentiam ſimulat, & per portarum vel parietum rimas conſpicit, quid agat, dicatque.Sic Saluator,vt ſuorum fidelium fidem agnoſcat,ſe

Exodo. 33. Sapien. 9. Ioan. 1. Notā. Ioan. 8. Ioan. 1. Collatio.

cat,ſe abdit,& tanquam per feneſtras,& cancellos exactiſſimè obſeruat, nedum quid agimus, & confabulamur, ſed quid in pectore noſtro verſamus. De cælo reſpexit
Pſal.13. Dominus ſuper filios hominum, vt videat, ſi eſt intelligēs,aut requirens Deum.Sed heu,quid ſequitur? Omnes declinauerunt,ſimul inutiles facti ſunt,non eſt,qui faciat
Matth.25. bonum,non eſt vſque ad vnum. Huc tendit parabola illa de talentis,quæ paterfamilias diuiſit ſuis ſeruis:volens probare fidelitatem eorum,peregre profectus eſt: Operamini dum venio,dixit eis. Eia fratres mandata ſponſi operemur fideliter,ſtrenuè laboremus: *En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum,*auſcultans,& aquilino viſu intuens vitam noſtram, eloquia, & cogitatus. Quotidie venit,& mentes noſtras inuiſere dignatur, præparemus ei corda noſtra,vt ad nuptias cum ipſo intremus, ne vti ſtultæ virgi-
Matth.25. nes terribilem vocem audiamus: Amen dico vobis neſcio vos,clauſa eſt ianua. *En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum.* Origenes ita inquit: Si ædificaueris parietē,& feceris ędificationem Dei,veniet poſt parietem tuum, proſpiciēs per feneſtras. Vna feneſtra,vnus eſt ſenſus,per hunc proſpicit ſponſus:alia feneſtra alius ſenſus, & per hunc ſponſus ſollicitè cōtuetur. Per quos enim ſenſus non intuetur ſermo Dei? Sanè vbi non proſpicit ſponſus Chriſtus, ibi mors in-
Iere.9. uenitur, Hinc conqueritur Ieremias & ait: Mors aſcendit per feneſtras noſtras.Ecce mors aſcēdit per feneſtras tuas, quando videris mulierem ad concupiſcendam eā, mors aſcēdit per feneſtras. Exemplo ſit tibi Eua,& Adā, nec non Rex Dauid,qui ob id prolapſi ſunt, quia feneſtras ſuas nō clauſerunt.*Proſpicit per cancellos,* vel eminet, per retia, vt vult Origenes. Intellige quòd in medio laqueorū ambulas,& ſubtus machinas tranſeas eminētes. Omnia retibus plena ſunt,diabolus laqueis cuncta compleuit.

pleuit.In via hac,quã ambulabam,abſconderunt laqueũ mihi.Si autem venerit tibi ſermo Dei, & cœpit eminere de retibus,dices:Anima noſtra erepta eſt de laqueo venã tium, laqueus contritus eſt,& nos liberati ſumus.Eminet ſponſus per retia tibi viam parans. IESVS videns tot laqueos in mũdo,venit ad terras,ſubiecit ſe eis, languores noſtros portans,& retia omnia dirupit.Itaq; iam non ſumus ancillę filij,ſed liberę,qua libertate Chriſtus nos liberauit. Deniq; nõ abs re cum diuo Gregorio ſponſum dicemus,per feneſtras& cancellos reſpicere,quãdo miracula & prodigia patrabat,nec nõ carnis infirmitaté viciſsim oſtendebat.Flet cũ ſororibus Lazari,& ſubindè, vt Deus, ſuſcitat fœtentẽ in ſepulchro,inibi velut per feneſtrã agnitus eſt Chriſtus,&ideò prodigio tã mirabili viſo, multi crediderũt in eum ex Iudęis,ſicut fuſiùs Euangeliſta patefacit.Magnoperè tamẽ notandũ,quod ſpõſa non modò videt poſt parietem dilectũ ſponſum,ſed dixit ſignanter, ſtantẽ vidiſſe. Vbi perpulchrè ponderat ſanctus Bernardus:Chriſtus Eccleſię ſanctę ſponſus ſolus ſtat,quia peccatũ nõ fecit,nec inuentus eſt dolus in ore eius.Ille ſolus, & inter mulieres,virgo Maria eius benedicta mater,dicere potuit:Quis ex vobis arguet me de peccato?Benè ergo ſtat,qui carnis peccatũ nullũ ſenſit.Ecce ver' Moyſes,qui ſtetit in cõfractione,quãdo in cruce obtulit ſemetipſum, orãs Patrẽ,ne crucifixores ſuos enecet.Moſes ille tardioris linguę nõ ſtetit,imò labaſcens occubuit,vbi in deſerto nõ glorificauit Deũ coram populo,ſed dubitabit,quãdo bis percuſsit petrã:quã ob rẽ nõ introduxit populũ Dei in terrã illã,lacte & melle manantẽ. Quid quòd paries,poſt quẽ Saluator per feneſtras & cancellos pietatis ſuę reſpicit,peccatũ eſt,dicẽte Dño:Peccata veſtra diuiſerũt inter vos,&Deũ veſtrũ.O parietẽ odioſum ſtatim illũ deſtruamus,

Pſalm.123. Gala.4. Ioan.11. S. Bern. ſer. 56.in Cãtica. Ioan.8. Pſal.105. Eſai.59.

mus pœnitentiam agentes, vt ſponſum dicentem, pœnitentiam agite, & appropinquabit regnum cælorũ, intueri mereamur. Fili hominis fode parietem, ait Dominus. Contritione: & confeſſione peccatum tuũ dirue, ne amplius diuidat inter te & Deum. Vtinã vnus paries eſſet, & non multi, qui nos ſeparant à Deo: ſponſus aſtat, ad oſtiũ pulſat, aperiamus ei corda noſtra, vt intret ad nos, & nobiſcũ cœnare dignetur. Demũ, ſpõſa, quem antea ſalientẽ in mõtibus inſpiciebat, & colles trãſilire videbat, nũc iam propè ſtantẽ intuetur, & poſt parietẽ eſſe cõ teſtatur. Quæ omnia eò tendunt, vt nemo diffidat, aut animũ deſpondeat. Ipſe quidẽ (teſte Iob) abſcõdit lucẽ in manibus ſuis, & præcipit, vt redeat, & annũciat amico ſuo, quòd poſſeſſio eius ſit, & quòd ad eã poſſit aſcendere. Magnã empha ſim hæc verba habẽt, ſed non vacat ſingula proſequi, ſat ſit annotare, quòd in manibus lucẽ conſolationis ſuę Saluator abſcõdit, vt ſciamus inter rimulas digitorũ ſemper irradiare, quoniã diutiùs humana fragilitas tantã lucẽ intueri nõ poſſet. Hinc Moſes faciẽ ſuã operuit, non audẽs reſpicere Dñm in rubo ardenti loquentem. Rurſus Elias ad oſtiũ ſpeluncæ ſtans, dũ gloriam Domini tranſire agnouit, caput ſuum pallio cooperuit. Sed iã oportet maiora ex ore ſponſæ audire, & non oſcitanter.

Ezech. 8. *Iob. 36.* *Exo. 3.* *3. Regum. 19.*

EN dilectus meus loquitur mihi: Surge, propera amica mea, columba mea, formoſa mea, & veni. Hebraicè. *Reſpondit dilectus meus, & dixit mihi: Surge tibi ſocia mea, pulchra mea, vade tibi.*

POSTEAQVAM dixit, ſponſum more currentis capreæ hinnuliq́ue ceruorum veniſſe ad liberãdam ſponſam

ſponſam de captiuitate Ægyptiaca:nũc ſubdit,quod veniens etiam loquutus fuit ſecum, & ei clamanti reſpõdit per Moyſem & Aaron & dixit: *Surge, propera amica mea.* Ideſt,tempus iam adeſt,vt te educam de captiuitate.Ori genes de Chriſto I E S V & noua Eccleſia Romana hunc locum explicat. Perinde dicat:Ego pro te ſuſtinui rabiẽ tempeſtatum, ego fluctus, qui ti tibi debebantur, excepi. Triſtis eſt facta anima mea propter te, vſque ad mortem. Surrexi à mortuis confractis mortis ianuis, & inferni vinculis diſſolutis,ideò dico tibi: *Surge, propera amica mea.* Itaque ſponſus Chriſtus,quandiù in hoc exilio vixit,vocauit ſponſam ſuam ad pœnitentiam,tùm verbo,tùm etiam exemplo. Vocat quotidie per prædicatores,& per intrinſecam vnctionem Spiritus ſancti,vt ſurgamus à delictis patratis,& ab amore terrenarum rerum, ad cæleſtia deſideria.Tandem vocat, vt ſurgamus de morte ad vitam.Vndè Apoſtolus ait:Surge,qui dormis,reſurge à mortui,& illuminabit te Chriſtus. Et iterum:Legatione fungimur pro Chriſto, tanquam Deo exortãte per nos:obſecramus reconciliamini Deo.Equidem hora eſt, iam nos de ſomno ſurgere,abiiciamus quãcitiſſimè opera tenebrarum,& induamur arma lucis.Nox quidem receſſit,dies,ideſt,Chriſtus I E S V S,qui lux mundi eſt, appropinquabit.Idque admonet Dauid: Vanum eſt vobis, ante lucem ſurgere, hoc eſt, niſi Deus vocauerit vos, & lucem ſuam mittat,ſurgere nõ poteritis: quia ſine illo nil poteſtis facere. Surgite,poſtquam ſederitis,qui in peccatis iacentes panẽ laboris & doloris diù manducaſtis.Iuſſiſti Domine,& ſic eſt (inquit diuus Auguſtinus) vt pœna ſit ſibi omnis inordinatus animus. Papę,quàm blandiſſimis verbis ſpõſus ſtudeat demulcere ſponſam, amicam, columbam,& formoſam ipſam appellãs! Sanè amica eſt

Origenes. *Epheſ.5.* *Roma.13.* *Ioan.5.*

eius,quam à conſtitutione mundi magnoperè dilexit,& veniens in mundum, tàm egregia ſigna peculiariſsimi amoris oſtendit. Sponſi vox ea eſt: In perpetua charitate dilexi te,ideò attraxi te miſerans tui.Columba eſt, ratione ſimplicitatis vnicæ & chatholicę fidei. Et hanc ob rẽ eam laudauit ſuprà dicens: Oculi tui columbarum. Ad hæc iure optimo Eccleſia columba vocatur,quoniam in volatilibus nullum eſt tàm fœcundum: ſemper vel ouis incubat,vel pullos ſuos ſolicitè nutrit.Ad eandem imaginem ſancta Eccleſia per verbum Dei in hoc tota eſt,vt filios ſponſo ſuo Chriſto generet,nutriatque. Per Euangelium ipſe vos genui:ait Apoſtolus.Deniq; formoſam eã dixit,ſed ſuam.In oculis hominũ Eccleſia deformis apparet, vndè ſe nigram iam vocauit, at in oculis ſponſi & Angelorum,& eorum,qui verum habẽt iudicium,ſpecioſa valde eſt.Vel formoſam ſuam dicit, eo quod omnẽ pulchritudinem ſortitur à ſponſo ſuo.Hinc luna pulchra dicitur, quippeque omnẽ lucem à ſole recepit: Pulchra vt Luna,electa vt Sol.Et Apoſtolus inquit: Chriſtus dilexit Eccleſiam,& tradidit ſemetipſum pro ea,vt exhiberet ſibi ſponſam glorioſam,non habentem maculam, neq; rugam.Notanter autem, in Hebræo dictum eſt: *Surge tibi, veni tibi.* Id eſt, ſi ſurrexeris,ad cõmodum tibi erit,non mihi, qui adeò potens, & diues ſum, vt nullius egeam. Rurſus:Si veneris,tibi frugi erit,non mihi. Cæterùm, ſicut columba vocatur propter fidem,& etiam amica dicitur,nam ſine fide impoſsibilè ęſt placere Deo: ita formoſam nominat,propter operationem & candidam vitam: vt probè ſanctus Gregorius indicat. Iterũ colũba gemeſcit,vt Philomena canere neſcit. Sic Eccleſia militans, & anima deuota ingemiſcens clamat.Heu mihi,quia incolatus meus prolongatus eſt. *Surge propera & veni.* Hoc eſt,

Ierè.31. Ephe.5. Nota. Canti.6. S. Gregor. Pſalm.119.

eſt,omnem torporem in operando excute, & te ad æter na bona capeſſenda accinge.

Sed iã quæſtio non ſpernanda oboritur. Quid cauſæ ſubeſt,vt ſponſus in ſinu ſuo habens dilectam ſpõſam, & ne ſuſcitetur à filiabus Hieruſalem iureiurãdo vetat:quid repente ipſe eam excitat,& vt properet hortatur? Equidẽ eadẽ hora Dñs in horto orãs Apoſtolis dixit:Dormite iã, & requieſcite,& rurſus eos vocãs ait:Surgite, eamus,ecce appropinquat,qui me tradidit. Sic ſpõſus,proximi neceſsi tate imminente,à contemplatione ſurgere hortatur ſpon ſam. Diligit Saluator Marthã & Mariam (ideſt) vtraque vita cõtemplatiua,& actiua ſibi grata eſt. Quod autẽ ſurgendi oportunitas adſit,ſequentia verba oſtendunt. *Quæſtio.* *S.Ber.ſer.58* *Ioan.11.*

IAm hyems tranſiit,imber abiit,& receſſit, flores apparuerunt in terra noſtra.

SENSVS eſt,ne pigriteris de Ægypto exire,ecce ame niſſimum tempus ad itinerandum. Nec hyems, aut pluuiæ iter tuum præpedire poterunt. Quin potiùs,iter agens,tàm agri flores,quàm auium canora vox te admodum oblectabunt. Verùm captiuitas hyems ſeuera eſt, à qua pius Deus populum ſuum liberauit, Quam ob cauſam dixit:*Iam hyems tranſiit.* Pluuia, quæ triſtitiam affert, maximè hyemali tempore afflictionem notat, quam in ſeruitute Pharaonis Iſraël patiebatur. In ſumma:ſingularem quandam amenitatem,& gratiam verna omnia præ ſe ferunt,& ad lætitiam inducunt. Vndè Dominus cæleſtem gloriam in vere depinxit dicens: Leuate capita veſtra, ecce appropinquat redemptio veſtra (id eſt) reſurrectio & glorificatio veſtra. Nam cùm arbores folia producunt,propè eſt æſtas. Acõmodantur etiã hęc verba *Hyems quid ſignet.* *Lucæ.21.*

Nota. ſponſi aduentui Chriſti IESV in carne. Nato Dòmino hymes tranſiit (ideſt) tēpus rigidum, in quo homines ſub ira Dei tenebantur, abſceſſit. Nā Chriſtus pax noſtra inimicitias diſſoluit, faciens pacem iis qui propè, & iis qui longè erant. Hoc eſt, vtrunque populum, in vnam fidē, & charitatem adglutinauit. Hinc noctem tempus illud

Rom.13. vocauit Apoſtolus, & diem tempus gratiæ eſſe dixit. Et Eſaias ait: Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis. Itaque, tàm in lege naturæ, vbi idolatria abundabat, quàm in lege ſcripta frigiditas & nubilum erant. Nā

1.Corint.10. omnia Hebrǫis contingebant in figura. Venit ergo ille. qui lux vera eſt, IESVS benedictus, & ſua luce plena totum orbē illuminauit, ita vt omnia iucūda, & grata ſint, cunctaque laudes Domino concinant. *Imber abiit,* timor iſætas tranſiit, inamena, & faſtidioſa tempora euanuerunt, in gratiora commutata ſunt. Nec erat tunc ſic Spiri-

Ioan.7. tus ſanctus datus, & manifeſtatus, quia non erat IESVS glorificatus. Nunc autem charitas Dei diffuſa in cordibus noſtris, per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis; *flores* vtique *in terra noſtra apparuerunt,* quando Domino prædicante, tùm diſcipuli, tùm multi alij in Chriſtum crediderunt, & mundo renunciantes Chriſti veſtigia ſequuti ſunt. Qui flores poſt modum in millecuplum fructum, Domino opitulante, creuerunt. Quin & *flores apparuerunt,* vbi verſutus Herodes, vt IESVM occideret, tot millia infantium interfecit. Hos benedictos pueros flo-

S. Auguſt. res vocat Sanctus Auguſtinus, quos inuidiæ pruina decoxit. Equidem deſcendit dilectus ſponſus in hortum ſuū, in populum ſuum, vt lilia candētia, colligeret, vti inferiùs ſponſa decantat. Atqui flores, qui nunquam marceſcunt, plagæ Chriſti ſunt: quos profectò ex horto, in quo ſepul-

Ioan.20. tus fuerat, collegit. De quibus ad Apoſtolos ait: Videte

manus

manus meas,quia ego ipſe ſum.Cæterum hyemem ſan-
ctus Gregorius vocat vitam præſentem:quę dum nos tot S. Gregor.
tentationibus impetit, quaſi imbribus importunis ad ſe-
quendum Chriſtum torpore quodam detinet, ſed dum
dies vltimus inſtat,vita calamitoſa recedit. *Tranſijt* dixit,
quia in proximo tranſitura non dubitatur. *Flores* animæ
ſanctæ ſunt, quæ poſt Chriſti benedictam mortem in cę
lo recipiuntur. Profectò iure optimo in cælo floruerunt,
quæ in hac hyeme nullatenus torpuerunt.

Sanctus Bernardus tempus paſsionis Chriſti hyemē S.Ber.ſer. 58
vocat:nam tunc corda Iudæorum nimio gelu conſtricta
ſunt:adeò vt autorem vitæ occidere niterentur. Nónne
frigus erat,quãdo Petrus calefaciebat ſe,& timore mor-
tis perculſus vitam negauit,dicens:Non noui hominem.
Tranſiuit hyems,aduenit ęſtas,quando Dominus Spiri-
tum ſanctũ in linguis igneis miſit,& virtute ex alto Apo-
ſtoli induti ſunt. Nec non *flores apparuerunt*,quando caro
Chriſti refloruit:iuxta vaticinium Dauiticũ: Et caro mea Pſal.27.
refloruit.Imò verba ipſius ea ſunt: Ego flos campi, & li-
lium conuallium.

Tempus putationis venit: vox turturis audita eſt in terra noſtra: ficus protulit groſſos ſuos: vineæ florentes dederunt odorem ſuum.

ADHVC ſigna hyemis tranſactæ, & veris adueniē-
tis recenſet: & velut ad laborandum in vinea ſpon-
ſam hortatur,ne fortè de Ægypto tenebroſa moretur exi-
re:ſed ociſsimè ſurgat Eccleſia vetus,& in terrã promiſ-
ſam pergat. Ad hęc,inciſionem ſiue putationem hãc pœ Origenes Ho
nitentiam aſſerit fore Origenes. Sectió remiſſió peccato- mil.2.in Cãt.

rum eſt ; inquit hic doctor: Omnem enim ramum in me manentem,& afferentem fructum, ait Dominus, Pater meus mundat,vt vberiores fructus afferat. Habeto fructus, & quæ in te infructuoſa ſunt auferentur. Equidem tempus gratiæ,tempus putationis eſt, remiſſionis peccatorum,& apertionis regni cælorum. In pœnitentia amputantur peccata, abſcinduntur prauæ conſuetudines,& noxiæ cogitationes. Facite fructus dignos pœnitentię, clamat Præcurſor ſanctificatus. Nónne in vera pœnitentia circunciſio ſpiritalis fit: cuius typus carnis expolitio in veteri lege erat? *Vox turturis in terra noſtra audita eſt*, vbi Baptiſta cilicio veſtitus ingemiſcens in ripa Iordanis aiebat: Pœnitentiam agite, & appropinquabit regnum cęlorum. *Vox turturis* prædicatio Saluatoris eſt etiam, qui eadem verba repetens, pœnitentiã cœpit prædicare. Idq; Apoſtoli per omnia mundi climata ſpiritu Chriſti afflati nunciarunt: Quã frugifera fuerit vox Chriſti, & Apoſtolorum in vniuerſo mundo, iam videamus. *Ficus protulit groſſos ſuos, vineæ florentes dederunt odorem ſuum.* Ficus ſynagoga eſt, vineæ florentes Eccleſiæ ex Gentibus. Ni fallor, arbor fici, ad quam venit Chriſtus eſuriens, in qua niſi folia nihil inuenit, cui ſubinde maledixit, & continuò aruit, ſynagogam adumbrabat, diuo Auguſtino teſtante. Rurſus ſycomorus illa, quam ſuo veſtigio calcauit Zachæus, Iudæorum ſuperbiam ſignabat, veluti diuus Ambroſius ait. Hæc ficus fructus ſuos dedit, tàm Baptiſta prædicante, quàm etiam Chriſto IESV, & Apoſtolis concionantibus: quia conuerſi groſſos ſuos protulerunt; quod in Euangelio, & in actis Apoſtolorum palàm eſt. Quod autem Hebraicè, fructus groſſos, fructus immaturos ſignet dictio illa, *pag*, hoc ſacramenti habet, quod Iudæi non ſincerè, & perfectè in Chriſtum

Pœnitentia.

Matth. 3.

Matth. 3.

S. Augu.

Lucæ. 19.

crediderunt. Hoc notum eſt, quando Saluatore in Capharnaum diſſerente de ſacroſancto corporis ſui & ſanguinis, quod nobis reliquit in altari, multi diſcipulorum abierunt retrò: nec non tempore paſſionis ſuæ ſanctæ, ferè omnes clamitarunt dicentes: Crucifige, crucifige eũ. Denique Eccleſiæ Gentium inſtar vinearum florentium odorem ſuauiſsimum in Dei naribus dederunt, vbi per Apoſtolorum prædicationem in IESVM crediderunt. Quæ ſuffitus & odor gratior fuit quouis holocauſto, & thymiamate Iudæorum. Sanctus Gregorius *tempus putationis* vocat iudicium vniuerſale, quando palmites infructuoſi amputabuntur, & electi æthera habitabunt. *Ficus groſſos* martyres appellat, quos ſancta Eccleſia quotidie profert Chriſto. *Vineæ* florent, vbi fideles opera bona patrantes, boni odoris famam ſpargunt. *Ioan. 6.* *S. Grego.*

Beatus Bernardus vocem turturis eſſe dicit prædicationem regni cælorum, ex qua Baptiſta Ioannes, & Saluator noſter auſpicium ſumpſerunt. Regnum cælorũ vim patitur, & violẽti rapiunt illud. Donec rex noſter venit in terram, hæc vox audita non erat: ſed tantum, ſi volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis. *Ficus groſſos*, poma immatura, ideſt, hypocritarum opera aſſerit eſſe: de quibus edere fas non eſt. Habent ſpeciem bonam, ſed non saporem. Omnia opera ſua faciunt, vt videantur ab hominibus. Heæ ſunt malæ ficus, quæ comedi non poſſunt, quas ante oſtium templi Ieremias vidit. Non ergo horum ſectemur veſtigia: quinpotius Dominus iubet ſummè cauendum eſſe à fermento Phariſæorum. *S. Bern. ſer. 59. in Canti.* *Nota.* *Iere. 24.*

F 4 Surge

SVrge propera amica mea, ſoror mea, & veni, columba mea, in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ. Hebraicè non habetur, *in cauerna maceriæ,* ſed *in abſcōſione gradus.*

COLVMBA fugiens accipitrem, latibula quærit, in quibus ſe abdere poſsit. Sic Eccleſia vetus fugiēs tyrannum Regem Pharaonem, mare Rubrum intrauit, & in deſerto quadraginta annis delituit. Sanè qui habitat in adiutorio Altiſsimi, in protectione Dei cōmorabitur: is dicet Dño, ſuſceptor meus es tu, refugiū meū, & liberator meus. Quæ omnia acōmodantur Eccleſię: ſed, vt verū fatear, noſtrę Eccleſiæ Romanæ cōmodiùs verba hæc referūtur. Quā Saluator noſter Chriſtus vocat, & ne moretur hortatur. Et quia tot vndiquaq; pericula inſtāt, blandictis in morem, amicam, ſororē, & columbam ſuā vocat, quò velotiùs ſurgat, & ſine timore veniat. Repetit eadem verba, ſicut inter amantes fieri ſolet: nec non eā conuolare ad foramina petræ, & ad cauernam maceriæ vehementer admonet. Sic planè laqueos, & retiacula ſatanæ facilè euadet. Sed quæ nā ſit hæc petra, & quæ maceria, penitiùs rimemur. Proculdubio petra diuinitas Chriſti eſt, quæ maximè ſolida & impaſſibilis habetur: maceria humanitas eius eſt, compacta ex elemētis, & ſanguine ſacerrimæ ſuę matris, ac proindè mortalis & paſſibilis. Nō teneretur niſi homo, nō crucifigeretur niſi homo, & homo factus eſt in ea, ait diuus Auguſtinus. Maceria autem ex lapidibus & luto compoſita facilè diluitur: Sic Saluator paſſus, & mortuus fuit, & à Iudæis crucifixus. Eccleſia ſponſa eius fiducialiter in foraminibus petræ habitat, nidificatque, & in cauerna maceriæ commoratur,

Pſalm. 90.

Nota.

S. Augu.

ratur,quia tàm in diuinitate quàm in humanitate Chriſti ſpem ſuam collocat: nec non in vtraque latitat,& cõmoratur,inibiq́ue ſuos pullos educat,atque nutrit. Nónne vulnera IESV foramina ſunt,ad quę Dominus ſponſam ſuam vocat? At latus quod lancea dira apertum fuit, cauerna eſt,in qua ſalutem,dulcedinem, & ſtupendam requiem inuenimus. Mitte digitum tuum in loca clauorum,& manum tuam in latus meum, ait Thomæ Magiſter bonus. Id quotidie repetit,mentes deuotas exortans, vt columbæ in morem,ad alta volare enitantur, ima & terrena poſt habentes. O fœlicem animam,quæ cũ Apoſtolo ſeriò dicere poteſt: Chriſto confixus ſum cruci: & rurſus: Mihi abſit gloriari niſi in cruce Domini noſtri IESV Chriſti: per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mũdo. Quãdoquidem columba, quam miſit Noë requiem non inuenit,nec habuit vbi pes eius requieſceret: quam ob rem ad arcam reuerſa per oſtium lateris ipſius arcæ intrauit. Hoc pacto Eccleſia ſancta, & quæuis anima ſponſa Chriſti extra vulnus pectoris eius pacem reperire nequit. Ecce aſylum,& arx,turriſq́ue fortiſsima, ad quã calamitatibus vrgẽtibus cõfugere nos decet: alioquin technas,& anfractus diaboli eludere nõ poterimus. Sanè Moſes in tegmine petræ poſitus eſt,vt videret poſteriora Domini tranſeuntis,vti pulchrè ait Origenes. Benè columba in foraminibus petræ & in cauerna maceriæ eſſe dicitur: quia dùm crucis recordatione patiẽtiam Chriſti imitatur Eccleſia, dum ipſa vulnera propter exemplũ ad memoriam reducit, quaſi columba mens ſancta in plagis IESV cibum,quo cõualeſcit inuenit. Hæc ſanctus Gregorius. Exclamat iam ſanctus Bernardus, & quidem rectè,&ait: O bona foramina,quæ fidem aſtruunt reſurrectionis Chriſti, & diuinitatis. Dominus meus & Deus

Vulnera Chriſti.

Gala.6.

Exo.33.

Origenes Ho. 2. in Cant.

S.Ber.ſer.61.

meus, inquit Thomas, ſubindè vt vidit, & videndo tetigit latus Saluatoris. Quid non bonum in petra? planè in hac exaltatus eſt Dauid: In petra exaltaſti me: & iterum: Statuit ſuprà petram pedes meos. Quin & vir prudens ſuper petram ædificauit domum ſuam: petra autem erat Chriſtus. Hauriamus ergo & nos aquas in gaudio de fontibus Saluatoris, vt Eſaias clamat, in vulneribus eius habitantes diu noctuque. Hinc ſanctus Auguſtinus, per foramina carnis patent mihi arcana cordis, patent mihi viſcera pietatis, in quibus viſitauit nos filius Dei, oriens ex alto.

Ioan. 20.

Lucæ. 6.

Eſai. 12.

S. Augu.

OStende mihi faciē tuam, ſonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis, et facies decora.

SENSVS eſt, Fac vt videam ego rectitudinem tuarum operationum: nam ſicut per faciem homo quis ſit, ita per opera bona orthodoxus agnoſcitur. *Sonet vox tua in auribus meis.* Id eſt, clama ad me de tribulatione quam pateris: nā vſque adeò vox tua in oratione me oblectat, & ſuauitate eſt plena tua precatio: & facies tua, qua me reſpicis, dum clamas, nimis decora eſt. Quibus mellitis verbis fiduciam, & ſpem maximam ei præbet, vt orationi det operam, & mentem ad cæleſtia eleuet. Hæc ad ſynagogam dicta ſunt, & ad Eccleſiam nouam quotidie dicuntur. Quam adhuc Pharao verſutus (ſatanam dico) perſequi non ceſſat, tùm per infideles, tùm verò per hæreticos maleuolos. Hanc ob rem Chriſtus IESVS videns ſuam electam Romanam Eccleſiam, omnium Eccleſiarū mundi propter cathedrā beati Petri principem, in tot diſcriminibus poſitam, ad eam clamat dicens: *Oſtende mihi fa-*

Oratio.

Nota.

hi faciem tuam, ſonet vox tua in auribus meis Ac ſi dicat: Clama ad me, reſpice ad me de calamitatibus tuis hiſce: ne petere auxilium ceſſes, nā vt te à quibuſuis periculis eripui hactenus, & nunc liberabo. Alluſio eſt ad illud: In die tribulationis inuoca me, & ego eripiam te, & honorificabis me. Ego (ait Saluator) oraui Patrem, ne deficiat fides Petri: quippeque ſola ſtabit, vſq; ad finem ſeculi. Vndè Origenes ait: *Oſtende mihi faciem tuam.* Vſque ad præſentem diē ſimilia dicūtur ad ſponſam Eccleſiā: necdum habebat olim fiduciā, vt reuelata facie gloriam Dñi contemplaretur. Quia verò iam ornata eſt, atque compoſita, dicitur ei: *Oſtende mihi faciem tuam, ſonet vox tua in auribus meis.* Adhæc nondum erat vox eius ſuauis, ita vt mereretur ei dici: Fac me audire vocem tuam. Quando ergo didicit loqui? Nempè aduenīete Chriſto IESV ſapiētia Patris cæleſtis, qui miſit Spiritū ſanctū, quo repleti Apoſtoli, cœperūt loqui magnalia Dei: iam iam ſuauis valdè ſponſo Chriſto poſtulatio, & dulcis vehemēter Eccleſiæ prędicatio. Notandū, quòd tunc faciē noſtram Deo optimo oſtēdimus, quando ſpiritum noſtrum, ideſt, mentem & affectum, intellectum & voluntatem, ad eum plenè, vt par eſt, cōuertimus: ſicut ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente Deū diligamus, totā intentionē in eum dirigētes. Quādo verò has vires ad nos, vel ad terrena habemus conuerſas, tunc faciem Chriſto non oſtendimus: imò dorſum ei vertimus. Vndè ipſe ait: Noluerunt attendere, & auerterūt ſcapulā recedentes, & aures ſuas aggrauantes. Orandum eſt aſsiduè cū Propheta: Emitte Spiritū tuū & creabūtur, & renouabis faciē terræ. Spiritu Dñi afflante, facies hominis è terra formati renouatur, & gratia eius operante omnes generantur virtutes. Facies animæ decora, valdè eſt, in qua relucet totius Trinitatis imago:

Pſal. 49.

Origenes.

Acto. 2.

Nota.

Zachà. 7.

Pſal. 103.

go: ſecundum quam diuinũ aliquid in nobis gerimus, & Dei capaces ſumus, ac deiformes dicimur. Æquum ergo eſt, vt faciem hanc, quam gratis à Deo accepimus, illi offeramus, & nuncupatione perpetua nuncupemus, conſecremuſque.

Confeſsio. Cæterum, vox illa ſuauis, quam tantoperè ſponſus audire cupit, peccatorum confeſsio eſt: nõ modo quã quotidiè facimus dicentes: Dimitte nobis debita noſtra: ſed ea magis grata eſt Deo, quam coram confeſſore flentes agimus, peculiaria ſcelera propalãtes, ſalutarem abſolutionẽ accipientes à Chriſti vicario. Hanc vocem quàm ociſsimè emittere nitamur, vt gratiam & miſericordiam *Iacobi. 5.* inueniamus, in tempore oportuno. Cõfitemini inuicem peccata veſtra, vt ſaluemini: ſic prædicator confeſsionis Iacobus ait. Rurſus, ſatis dulcis eſt confeſsio laudis, & ea *Pſal. 49.* maximè obletatur ſponſus Chriſtus. Immola Deum ſacrificiũ laudis, & redde Altiſsimo vota tua. Itaq; omnes precationes, & gratiarum actiones, velut dulce melos in auribus Chriſti reſonant. Denique, tunc enim vox Deo placet, & facies decora apparet, quando opera prædicatio ſequitur, & rurſum prædicationem opera comitan- *S. Grego.* tur. Sic per faciem ſanctus Gregorius fidem intelligit, per vocem verò opera ſancta. Signanter tamen ait ſponſus: *Sonet vox tua in auribus meis.* Ideſt, nil curæ tibi ſit de hominum auribus, vt hypocritæ inaniter facere conſueuerunt, in angulis platearum orantes, & hominũ mor- *S. Bern. ſer. 62. in Canti.* talium laudes aucupantes. Sat ſit, quòd vox tua demulcet Dei aures. Scriptum eſt, Confeſsio & pulchritudo in conſpectu eius. Quod de vtraque confeſsione, peccatorum, & iuſtorum locum habet. Series autem verborum valdè mirabilis eſt, & myſterio minimè vacat. Facies pul- *Eccle. 16.* chra ſit, vt vox ſuauitate plena appareat. Non enim eſt

ſpecio

ſpecioſa laus in ore peccatoris. Primò puritas ſit in anima, conſcientia peccati ſit expers, & deindè vox laudis reboët, nam fieri non poteſt, vt non Angelorũ aures, nec non & Dei optimi oblectet. O beatam animam, quæ ſic volauit, vt in arduis ponat nidum ſuum, & in præruptis ſilicibus commoratur. Hæc iam non timet ſerpentes, non dæmonis laqueos, quin potius oculi eius de longè reſpiciunt, & pulli eius lambunt, & deguſtant ſanguinem benedictum Chriſti IESV: in quo omneis diuitias, & delicias inuenit. *Iob. 39.*

CApite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas. Hebraicè. *vulpes vulpes paruulas.*

HÆC verba ſunt ſponſi, qui populum ſuum Iſraëliticum, poſtea quàm Pharaonem & Ægyptios ſubmerſit in mari, hortatur ad prędam ipſorum Ægyptiorũ. Quos per elegãtem methaphoram vocat vulpes, tũ quia poſt congreſſum eorum cum Iſraël vulpium inſtar fugerunt, dicentes: Fugiamus Iſraël, tùm quia vt vulpes demoliebantur vineas Domini Dei Sabbaoth. Et quod Hebraicè ſic habeatur: *Capite nobis vulpes vulpes paruulas*, ideſt, magnas vulpes, & paruas magnificè vincite, & eas comprehendite. Vbi per vulpes magnas reges, principes, potẽtates intelligit, qui vi tyrannica etiam mortẽ Iudęis inferebant. Paruę vulpes illi erant, qui non vi, ſed dolo eos affligebant. Et ad eundem modum catholica Eccleſia vulpes magnas habet, videlicet, reges Turcarum, qui armis orthodoxos infeſtant, & demoliri nituntur vineas Chriſti. Habet inſuper vulpeculas paruas, hæreticos homines, qui dum vi & armis non valent, ſaltim fraude & dolo animas illa- *Exo. 14.* *Hæretici vulpeculæ ſunt.*

mas illaqueare pro ſua virili laborant. Vndè quaſi vulpeculæ in Germania,& Anglia ex foueis exierunt. O infœlices, & procaces homines, Eccleſiam Romanam euertere conantur, & ſanctorum patrum egregia dogmata labefactare ſtudent. Et quod horrendum dictu eſt, beato Petro, & ſucceſſoribus eius primatum in Eccleſia, catholica prorſus eripere contendunt. Quid obſecro agendũ de iis vulpeculis, niſi quod ſponſus præcipit? Agite ô reges Chriſtianiſſimi, & vos prælati Eccleſiæ comprehendite eas. Quid cunctamini Saluatoris parere præceptis?
Rom. 8. Si Deus eſt pro vobis, quis contra vos? profectò nemo, quia ſponſus Eccleſiæ ſanctæ Chriſtus rex regum eſt, ac proindè omnipotẽs, cuius bella geritis. Hęc eſt ferè conſona ſanctorũ doctorum ſententia. Qui propter aſtuciam vulpes hæreticos appellant, qua vtũtur ad dilaniãdas ani-
2. Cor. 11. mas ſimplicium. Vndè tanquam ſatanę miniſtri in Angelum lucis ſe transfigurant, quo meliùs ſeducant improuidos. Ij per dulces ſermones, & benedictiones corda innocentium euertunt. Quòd autẽ paruulæ dicuntur, ideò eſt, quia vt fragiles & timore perculſi tenebras amant, &
Ioan. 3. potiſsimè noctu, venenata ſua dogmata euomunt. Nam qui malè agit, odit lucem, ne arguantur opera eius. Vel paruulas eas comprehendere debemus, ne grandeſcant,
Nota. & filios ſui ſimiles generent plurimos. Iuxta Prouerbium illud: Principiis obſta. Inicio capiantur, & perimantur oportet. Paruus quidem ignis montem magnum comburere ſolet. Idque niſi Chriſto ſuffragante in Hiſpania noſtra tempore Chriſtianiſsimi Regis Philippi ſecundi factum non eſſet, & per zelatores ſanctæ fidei paruulæ vulpeculæ captæ non forent, paulominùs de nobis actũ foret. Gratias ſponſo Chriſto inęxhauſtas agamus, quem omnes cæliciues ſemper & vbique collaudent, ob tam ingens

ingens nobis beneficium exhibitum. Quid, quod vulpes ſubterraneas effodientes foueas, arborum radices corrodunt? ſic hęretici radicem fidei deſtruere conantur, certo certius ſcientes, quòd ſine fide impoſsibile eſt placere Deo. Et iterũ: Fides eſt ſubſtantia ſperandarũ rerum argumentum non apparentium: Itaque vt ſtatim ſpiritale ædificium ruat, in mente hęretici præcipuè ſtudent fidẽ catholicam deſtruere. Quorum vox ea eſt: Exinanite, exinanite, vſque ad fundamentum in ea. Vlulantes dæmones, & illorum complices hæretici verba hæc dicunt. O nimium fœlix Summus Pontifex, & miniſtri Eccleſię, qui velut Samſon vulpes haſce comprehendunt, & igne, ſi opus eſt, comburunt. Sanctus autem Gregorius, de prædicatoribus hoc explicat, qui vt canes ſancti, tùm prędicãdo, tũ ſcribendo hæreticos ad lucẽ veritatis trahũt, vel ſaltim eos confundũt. Talis Auguſtinus cõtra Donatum & Arriũ, talis & Hieronymus cõtra Vigilãtium fuit: nec nõ & alij Doctores Eccleſiæ cõtra has vulpeculas pugnantes, eas cœperũt. Diuus Bernardus adulatores, & detractores vulpes vocat, qui mẽtes fideliũ ſubuertere laborant. Vtinã omnes aduerſantes nobis ſine cauſa, ita caperem', vt eos Chriſto reſtituamus, & erubeſcẽtes reſipiſcãt, & conuertãtur. Quorſùm vulpes iubeat ſpõſus capi, iam apparet.

Hæreticorũ verſutia.

Hebre. II.

Pſalm. 136.

Iudi. 15.

S. Ber. ſer. 63. in Cantica.

NAm *vinea noſtra floruit.* Hebraicè ſic. *Vinea noſtra, ſemadar*, ideſt, vuã acerbã, ſcilicet, incipiunt producere. Perindè dicat: Vineæ noſtrę incipiunt florere, & magnum fructum producere.

VINEA quippe floruit, quia ſancta Eccleſia per baptiſmum filios ad Dei nouã conuerſationẽ perduxit.

S. Greg. in Cantica.

xit. Quibus timendũ eſt, ne ab hæreticis deprauentur. Quia dum quiſque fideles in nouitatem Chriſti generantur, quò quiſque tenerior eſt, eò citiùs ad prauitatem trahitur. Perfecta enim anima, in quo ſe iam diù exercuit, facilè non amittit, quia dulcedinem ſponſi guſtauit. Iuxta illud: Guſtate, & videte, quoniã ſuauis eſt Dominus. Vbi ſanctus Theodoritus: Experientia guſtate, & diſcite bonitatem Dei, nam hinc beatitudinem vindemiabitis. Quid enim ſic dilucidè eius benignitatem oſtendit, vt crux, cruciatus, & mors pro nobis immeritis ſuſcepta? ſuauis eſt Dominus vniuerſis, nihilominus longè ſuauior hominibus, pro quorum amore, ſe ſe exinaniuit, formam ſerui accipiens. Ad hæc, Eccleſia ſancta maximè in flore eſt, quando magna fruitur pace, & tunc hæretici potiſſimè inſurgunt contra eam. Experiméto hoc compertum eſt, nam dũ bellis affligitur Eccleſia, minus regnare videmus hæreticos: atqui vbi pax abundat, tunc magis inualeſcũt: idq; conſilio diuino geſtũ eſt, ne aliquando deſit electis occaſio meriti, virtutiſque materia. Profectò omni tribulatione ceſſante, meritum langueſcit, & ſine exercitio, virtus, quæ in tribulatione creſcit ſubinde labaſcit. Vnde nõ abs re comparata eſt Eccleſia lilio inter ſpinas candenti. Hinc Apoſtolus ait: Non coronabitur, niſi qui legitimè certauerit. Quomodo certabit miles, ſi deſit qui impugnet? Floret etiam vinea, quando mens incipit Deo ſeruire, quam vel maximè tentationes impugnant, quæ vulpes ſunt doloſæ capiendæ, ſiue ex ſuperbia oriantur, ſiue ex zelo abſque ſcientia. Vt perbellè docet ſanctus Bernardus ſermo. 64. Vbi varias vulpium ſpecies deſcribit, quatenus vigilemus, eaſque viriliter vincamus.

Pſal. 33. *Nota.* *Canti. 2.* *2. Timo. 2.* *S. Ber. ſer. 64 in canti.*

Dilectus

Dilectus meus mihi,& ego illi,qui paſcitur inter lilia,donec aſpiret dies,& inclinentur vmbræ. Hebraicè. *Qui paſcit in violis.*

LILIA vocat laudes,quas ſolus ſponſus recipit ab Ecclesia:& quia eis delectatur,ideò dictum eſt, *Paſcitur inter lilia*, vel paſcit in liliis. Enimuerò, tempore orationis maximè Chriſtus viſitat animas,& eis nectar ſuæ dulcedinis impartit. *Dilectus meus mihi & ego illi.* Tanquam diceret,dilectum meum ſponſum conſtanter teneo, quia eius beneuolentiam conſtantem ſentio. Et dum familiaritatem eius benignam habeo,ſatis moleſtum eſt, quod aduerſus eum ab inimicis latrantibus audio. Ille mihi theſaurus ſapientię,honoris,& lætitiæ,& denique omne bonum in eo poſsideo. Et viciſsim ego illi admodum dilecta,pro qua meliùs quàm Iacob pro ſua Rachel, non ſeptem,ſed triginta tribus annis,in hoc exilio ſeruiuit. Notandum,quòd oratio hęc ecliptica eſt,in qua defficit verbum:nam amore nimio accenſa ſponſa breuitate vtitur, non ſemel ſed ſæpè. Planè candor virtutũ fidei,ſpei,charitatis,caſtitatis & manſuetudinis tantus eſt,ac tam decorus,vt iure lilia dicãtur. Inter has virtutes ſpõſus ambulãs mirè oblectatur. Alij animas dicunt lilia fore, quæ miro virtutum odore, adque fragrantia redolent. Et inter has rubẽtes roſas,vel candentia lilia ſpõſus reficitur. Inter lilia ſponſus Chriſtus paſcitur,quia proculdubio animarũ caſtitate,& puritate delectatur. Animæ ſanctæ intus per nitidas cogitationes Deo placent,& extrà proximis, quaſi odorem ſuauitatis perhibent. Fœlicem dixerim animam quę cum ſponſa indefeſsè clamat: *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Ecce ex abundantia cordis loquitur, ſed non, ex abundantia (vt optimè Bernardus inquit) affectus loqui-

Nota.

Gene.29.

Virtutes lilia ſunt.

tur,nō intellectus,nec ad intellectum. Memoria ſuauitatis Dei eructat,& vt alter Dauid ait: Eructauit cor meum verbum bonum. Imò mirabiliter delectata ſponſa dicit: Secretum meum mihi,ſecretum meū mihi. O verba melliflua,& quouis dulcore plena, dilectus meus intendit mihi,& ego intendo illi. Ille mihi, quia benignus & miſericors: ego illi,quia nō ſum ingrata. Ille mihi dat gratiam ex gratia: ego illi reddo gratiam pro gratia. Ego intendo illius honori,ille meæ liberationi,& conſolationi. Ille mihi,& non alteri,quia vnica ſum columba eius: & ego illi, & non alteri amorem meum offero. Non audio vocem alienorum dicentiū: Hîc eſt Chriſtus,aut illic: quod præceptum ipſe mihi dedit. Quomodo inter lilia paſcit nos Chriſtus,& paſcitur ipſe,ſanctus Bernardus. ſermone. 71. in Cantica.

Pſalm.44. *Eſai.24.* *S.Ber.ſer.68. in Cantica.* *Matth.13.*

Donec aſpiret dies, & inclinentur vmbræ. Dies verò aſpirabit,& inclinabuntur vmbræ,quando vita æterna apparebit,& præſens vita finietur. Hîc nox eſt,ibi dies: nam hîc in viſione veritatis caligamus, ibi Deus ipſe tota veritas mentibus elucebit. De qua die Propheta ait: Melior eſt dies vna in atriis ſuper milia. Aſpirabit dies,quādo expirabit nox: finita hac nocte,dies adueniet, quæ neſcit occaſum. Vel vmbræ figuræ ſunt, & enigmata, quia videmus nunc per ſpeculio & in enigmate,poſteà facie ad faciem. Itaque nox eſt hæc vita, nox ſatanas & tentatio, dies verò erit Saluatoris aduentus; De quo Apoſtolus teſtatur: Saluatorē expectamus Dominū noſtrum IESVM Chriſtum,qui reformabit corpus humilitatis noſtræ,configuratum corpori claritatis ſuæ. Ibi paſcet oues ſuas paſcuis vberrimis,in montibus Iſraël,id eſt,cum Angelis, vti ipſe promiſit: ibi regnabunt cum ſponſo perpetim. Venite benedicti Patris mei percipite regnū, dicet ſponſus. Obſeruandum

Pſal.85. *1.Corin. 13.* *Matth.25.*

uandum quòd ſi verbum hoc *Donec aſpiret dies* ad vltimã ſententiam referatur, ideſt, *Dilectus meus mihi, & ego illi, donec aſpiret dies.* vocula *donec* perpetuitatẽ notat. Vt ibi: Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. Indicat ſponſa iis verbis mutuum veræ charitatis amorem, quo ſponſus ipſam, ipſaque viciſſim ſponſum deamat: nullo vnquam tempore diuellendum eſſe, aut minuendum hunc amorem aſſerens. Nota.

Reuertere, ſimilis eſto dilecte mi, capreæ hinnuloq; ceruorum ſuper montes Bethel. Hebraicè. *Aduertendo aſſimilaui te dilecte mi capreæ vel hinnulo ceruorũ, ſuprà montes Bather.*

ECCLESIA vetus conquæritur de abſentia ſpõſi, qui ab ea fugit, poſtquam vitulũ adorauit in deſerto. Clamat gemibunda & precatur, vt rurſus veniat, & eã nullatenus deſerat. Quinpotiùs legem, quam ſemel ei dedit, cuius tabulas Moyſes fregit, rurſus ſcribat, qua obſeruata viuere queat. Cæterum Eccleſia noua eadem verba quotidiè repetit. Nempè corporaliter à nobis tunc abiit, quando poſt reſurrectionem in cælum aſcendit: reuertetur autem in fine mũdi, quando in iudicio apparebit. Similis capreæ rectè dicitur, nam animal mundum eſt ſacrificio aptũ. Et hinnulo ceruorũ aſſimilatur, eo quod ex ſemine Abrahæ, & patrum antiquorũ voluit naſci. *Bethel,* ideſt, domus Dei Eccleſia eſt, in qua Deus habitat. *Super montes Bethel* veniet ſponſus, vt orbem iudicet: quia ſublimior ſuper omnes ſanctos & Angelos videbitur. Quod verò in Hebræo non Bethel, ſed montes Bether ſcribitur, errore ſcribarum fieri potuit. Vel Bether mons eſt in Iu- Nota. 1. Timo. 5.

dæa à nobis incognitus. *Bethel*, diuiſionem ſonat: & quia populus Domini ab aliis nationibus erat ſegregatus, meritò patres antiqui, ex quibus Chriſtus montes Bethel appellantur. Et quia caprea & hinnulus mira agilitate in his mōtibus ſaltātes currunt hac & illac, orat ſpōſa moras nō ſuſtinēs, vt ſponſus cū breuitate rurſus eā inuiſere digne-
Eſai. 64. tur. Simile eſt illud: Vtinā dirūperes cælos, & venires. Et in Pſalmo: Deus in adiutorium meū intende, Dñe ad adiuuandū me feſtina. O magnā dilectionis energiā, ſtupendā amoris vim, ſtatim impenſiſsimè rogat, vt celeri curſu redeat, vbi abſentiam ſpōſi intellexit. O nos rudes & ſtupidos, quā longè abſumus ab hoc feruēti amore: quotidie oramus, & in precatione Dominica poſcimus: Adueniat
S. Ciprianus. regnū tuum. In quibus verbis (teſte ſancto Cipriano) iudicium extremū poſtulamus: verumtamē, quo ſpiritu, qua puritate vitæ id dicimus? Adhęc capream & hinnulū nominat ſpōſa, quę animalia infirma ſunt, ne veniēs ſponſus adiudicandū veniat, niſi in forma humana. Deus iudiciū tuum regi da, petebat obnixè Propheta. Veniat vt hinnu-
Eſai. 9. lus, quia paruulus natus eſt nobis: Veniat vt capra, quę fœmina eſt, & ideò fragilis. Non vti leo rugiens veniat, cuius rugitus terrā abſorbeat. Vndè hoc myſteriū Angelos nō
Acto. 1. latuit, vbi eo aſcendēte Apoſtolis dixerunt: Hic IESVS, qui aſſumptus eſt à vobis in cælum, ſic veniet. Ecce ſpōſa Eccleſia diuinū habet conſiliū, dum tàm ſapienter orat: Aſsimilare capreæ hinnuloque ceruorum. Hoc eſt, propter electos veni mitis, & ſuauis ad iudicandū, quāuis ſuperbis appareat terribilis & formidabilis. Nos verò fratres prępparātes corda noſtra, cū ſpōſa quotidie acclamemus: Bonè IESV reuertere, & quam primùm veni. Trahe nos poſt te: vt mortalitate depoſita, immortalitatem induamur, tecum & in cælis regnemus.

CAPVT

CAPVT TERTIVM CANTICORVM.

IN lectulo meo per noctes quæſiui, quē diligit anima mea. Quæſiui illū & non inueni.

SPONSA ſynagoga adhuc loquitur. Nam poſtquam ſponſus ab illa receſsit, quia illa eum abnegauit,& fornicata eſt cum vitulo, quem adorauit, in lectulo ſuo cogitans malum quod fecit, dolet de facinore commiſſo,& quærit dilectū, qui à iugo graui Pharaonis illam eripuit, tot patratis portentis,idque quadraginta annorum curriculo in deſerto ingemiſcens fecit. Hic literalis ſenſus eſt,vt quidam aſſerunt. Cauſatur, & conqueritur ſe eum nō inueniſſe,quia in lectulo literæ, & ceremoniarum ipſum quærebat, in quo nullatenùs inuenire poterat. Vmbratica erant omnia illa,& aduentante luce Euangelica cuncta euanuerunt. Deus planè ſpiritus eſt,& in ſpiritu vult adorari, vti Dominus Samaritanæ teſtatus eſt. Imò Apoſtolo teſte: *Ioan.4.* Litera occidit ſpiritus autem viuificat. Vel de ſapientibus mundi hoc poteſt exponi:quoniam Philoſophi,ſuo *2.Cor.3.* iudicio innitentes,conabantur inuenire Deū, qui planè inueniri non poteſt in lectulo anguſto,ideſt,in intellectu noſtro dumtaxat naturali lumine illuſtratus. De quibus ſcriptum eſt: Vanum eſt vobis ante lucem ſurgere. Hoc *Pſalm.126.* eſt, gratia ſummi numinis deficiente, fruſtrà quærere Deum conamini. Mira res. Ij cùm Deum cognouiſſent, *Rom.2.* non vt Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, ſed

euanuerunt in cogitationibus ſuis. Glorificatur Deus in nobis per fidem & amorem, quibus illi ſuperbia turgidi egentes ſtulti facti ſunt. Et ideò quaſi per noctes Deum quærebant: quum debuiſſent ſurgere ad lucem diuinæ gratiæ, ſine qua Deus optimus haud inuenitur. Rurſus, ſponſa, quæ eſt ſancta Eccleſia Romana, valdè afflicta ait:

Notá. *In lectulo meo per noctes quæſiui, quem diligit anima mea.* Quaſi in lectulo, & quiete contemplationis ſponſa Chriſtum I E S V M quærit, per noctes in omnibus calamitatibus Deum ipſum inuocans. Quippè, quem nõ inuenit, quia vt optabat præſentiam illius, minimè per dulcedinem conſuetam ſenſit.

S. Grego. Sanctus Gregorius de vnaquaque fideli anima hoc exponit. Lectulum ſibi ſancta anima in nocte facit, dum perturbationes quaſque mundi fugiens ſecretum cõponit, in quo requieſcat. In hoc lectulo quẽ diligit quærit: quia dum à ſeculi ſolicitudinibus vacat, in eius inquiſitione, quomodo ad eum perueniat, nõ quieſcit. Et benè per noctes amantiſsimum ſponſum quærit: vt eo inuento, qui lux vera eſt, & illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum,

Ioan. 1. tenebras ampliùs non patiatur. Quærit eum, nec inuenit, videlicet, ad votum: eo quod ille aliquando ſe abſcondit, vt deſideria creſcant, & aucta plus meriti adducant. O beatam animam, quæ iam ſoli Deo vacat, arcu confracto, & armis contritis, & ſcuto igni combuſto: tunc anima hoſtili bello ceſſante, videre poterit, quoniam ſuauis eſt Dominus.

Canti. 5. In hoc lectulo, in hac nocte ſponſa dormit, & cor eius vigilat: dormit foris, intus euigilat. Notãdum, quòd lectulum ſuum vocat, quaſi quem ſola habeat, & in quo nondum cum ſponſo quieſcat. Quærit itaque ſponſum, non quòd ipſum non habeat, nam ſi eum non haberet, neutiquam eum quæreret: quærit profectò am-

plioris gratiæ illuminationem, præſentiæ intelligentiam, & ſpiritalis dulcedinis experientiam. Signanter ait, *Quē diligit anima mea*, id eſt affectuosè eum diligo ad ſalutem animæ, non ad temporale commodum: & hoc eſt ſpiritaliter diligere. Vos chariſſimi, vt inueniatis ſponſum, in tempore debito quærite. Iuxta illud Prophetæ Eſaiæ dicentis: Quærite Dominum dum inueniri poteſt. In hac vita pœnitentiam agite, ne morte aduentante pereatis. Fatuæ virgines, quia clauſa ianua, & ſero venerunt, repulſam paſſæ ſunt. Qui corde ardenti, & per opera bona in tempore hoc, & vita comite Chriſtum quærit, profectò illum inuenit. Bonus Dominus animæ quærenti illum. Quærendus eſt etiam ſponſus, vbi oportet. Verùm Apoſtoli, & ſanctæ mulieres Saluatorem quærebant, vbi non erat: Surrexit non eſt hîc, ait Angelus Domini. Itaque nec iam quærendus eſt in præſepio, non domo Caiphæ, aut Pilati, non tandem, vt pulchrè ait Bernardus, in cruce, aut in ſepulchro, ſed in dextera Dei Patris regnans. Noctes verò tenebroſas, vt idem ſanctus teſtatur, habet mundus, & ipſe mera nox eſt. Nox eſt perfidia Iudæorum, nox ignorantia Paganorum, nox peruicatia hæreticorum, nox tandem tetra eſt orthodoxorum carnalis & animalis conuerſatio. Fruſtra per has noctes iuſtitiæ ſolem, & lumen veritatis quis quærit. Cæterum ſapientes reges Magi lumen verum, & æternum Chriſtum IESVM quæſierunt, & inuenerunt tamen in lumine cælico, in ſtella fulgente, quippeque eum oſtendebat in Bethlehem natum, qui ait: Ego ſtella ſplendida & matutina. Sed quid iam ſponſa audacter dicat, audiamus.

Eſai.55. *Matth.25.* *Tre.3.* *S. Bern. ſer. 75.* *Apoc.22.*

SVrgam, & circuibo ciuitatem, per vicos & plateas quæram quē diligit anima mea. Quæſiui illum, & non inueni.

MAGNA ſedulitas ſponſæ, ingenſque amor hic vehementer oſtenditur. Quem per noctes quærebat in lectulo, & inuenire non valuit, denuò exquirere inſtituit maximo cum labore. Nam qui in contemplatione ſæpenumero non inuenitur, nec eius dulcedo, & mellita ſuauitas appareret, aliquando in officio pietatis & miſericordiæ in proximū pateſcit. *Surgā & circuibo ciuitatē,* hoc eſt, lectulum meum dimittam, in ocio iam non ſponſum quæram: et quem quæſieram per noctes, ideſt, per creaturas viſiuiles, & nō inueni, quæram nunc per vicos, per eos ſcilicet qui arctam ducunt vitā in cœnobiis: nec nō per plateas, nempè per amplas ſecularium vitas: nam Spiritus vbi vult ſpirat, & acceptor perſonarum Deus nō eſt. O magna charitatis energia, ô mirabilis dilectionis vis, omnem mouet lapidem ſponſa, & nihil intentatum relinquit, donec ſponſum adinueniat. Ad humilitatē ſe conuertit, vt quē per ſe non inuenit, per alios ſaltim quærat, ſi fortè per illos ſui voti compos fiat. Cogitatione circuit ciuitatem, conuentum, & ſanctorum cōgregationē cōtemplatur, vt quod ſibi deeſſe agnouerit virtutum, per eorum exempla reſarcire valeat. Vniuſcuiuſque ſpecialē gratiam explorans, ab alio humilitatis, ab alio patientiæ, ab alio obedientiæ, chariratis & abſtinentiæ flores decerpens. Priùs per vicos quærit ſponſum, à perfectis quærēs exemplum, quique omnia relinquentes, Chriſtū IESVM in Cruce nudum nudi ſequuntur: qui tandem in carne ambulantes, non autem ſecundum eam viuunt: imò

Nota.

Ioan. 3.

Humilitas ſponſæ.

Philip. 3.

eorum conuerſatio in cælis eſt. Deindè quærit ſponſum per plateas, vitam ſecularium conſiderans, qui pietatis opera exercent, orationi vacant, & in mandatis Dei ſine quærela ambulant. Sic anima deuota amat in aliis, quod ſibi deeſſe agnoſcit: quatenus ſeſe dimittens ſponſum inueniat. Nempè incitamenta virtutis nuſquam contemnenda ſunt. Quis adeò demens, qui Abrahæ obedientiã paruipendat: quique, Domino iubente, vnigenam filium ſuum Iſaac occidere decreuit? Aut quis tàm rudis, qui patientiam Iob non admiretur: qui liberorũ mortem æquanimiter ferens, benedixit Dominũ dicens: Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſicut Deo placuit, ita factum eſt: ſit nomen Domini benedictum. Tandem humilitatem Dauid viri ſecundum cor Dei nemo eſt qui non laudet: Ludam & vilior fiam, ait ad Michol, ante Deum qui elegit me. Alibi canem mortuum ſe appellauit coram rege Saul. Multi ſub lege gratiæ etiam fuere, qui nobis ſalubria exempla dederunt. *Nota.* *Iob.1.* *2.Reg.6.*

Beatus Bernardus verbum hoc de tempore reſurrectionis Chriſti IESV explicat. *Surgam*, ait: intuere quia iacet, alioqui non diceret *Surgam.* Quid ni ſurgeret recognita reſurrectione dilecti? Cæterum, ô beata ſi conſurrexiſti cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt ſapiẽs, & ſurſum quærens Chriſtum ſponſum, vbi ſedet in dextera Patris. Quærebat ergo ſponſa dilectum, ſentiens vt paruula, per vicos & plateas prædicantem & miracula facientem poſt reſurrectionem. Hinc illud dicebant duo diſcipuli: Nos autẽ putabamus quòd eſſet redempturus Iſraël. Atqui, vt fruſtrata dicit: *Quæſiui illum, & non inueni.* Vt adimpleretur, quod ſponſus dixerat: Vado ad Patrem, & iam non videbitis me, Sanctus Bernardus in Cantica ſermone. 76. ait. Nondum inuenit illum ad votum, nondum præſentiam *S.Ber.ſer.75* *Colo.3.* *Lucæ.24.* *Ioan.16.*

eius ſenſit, nec deſideratam gratiam dulcedinemq́ue recepit. Non dubium quin in hoc circuitu & labore gratiam auxerit: ſed deſideria accenſa ſunt, non adimpleta, excitata, non ſe data. Imò augmentum gratiæ eſuriē excitat: ſicut ſcriptum eſt: Qui edunt me, adhuc eſurient. Itaque quo plus gratiæ anima accipit, eo magis humiliatur. Non arbitror me apprehendiſſe, clamat Apoſtolus. Vel ſponſa ſe inueniſſe Chriſtum negat, dum perfectorū egregias, atque heroicas virtutes attētius cōſiderat. Hinc Apoſtolus ait: Ego ſum minimus Apoſtolorum, & non ſum dignus vocari Apoſtolus. O ſtupenda res: qui magni ſunt apud Deum, neceſſe eſt, vt apud ſe parui fiant. Huc attinet, quod Deipara Gabrieli paranimpho cęleſti reſpōdit: Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuū. Ecce quàm ſit mirabile humilitatis donum. Sanè perfecti viri diſtricti iudices ſui ſunt, & aliorū pij: & cùm multa fecerint, ſeruos ſe inutiles dicunt, præcepto Saluatoris edocti. *Quæſiui illum & non inueni.* Ac ſi dicat: Heu me miſera iam quò ibo? quò me vertam neſcio? Quæſiui in creaturis magis nobilibus, & minùs generoſis, quæſiui in viris perfectis, & imperfectis, nuſquam apparet, non ideò à quærendo deſiſtam: ſcio quòd ipſe pollicitus eſt: Quærite, & inuenietis, pulſate, & aperietur vobis. Hunc arrabonem habeo, hoc pignus in corde meo ſeruabo. Et cū hæc mecum reuoluerē, ecce adſunt ciuitatis cuſtodes.

Eccle. 24. Not. Luc. 1. Matth. 7.

INuenerunt me vigiles, qui cuſtodiunt ciuitatem. Hebraicè. *Qui circuunt ciuitatem.*

BONE Deus, vbi ſponſa quærit dilectum, & non inuenit, quæritur ipſa, & inuenitur. Cuſtodes erant Moſes & Aaron, qui populum Dei moderabantur. Et

hos

hos interrogat ſponſa ſynagoga. Eccleſia autem noua ſuos cuſtodes habet, nam doctores, & paſtores dum lucrandis animabus dictis & ſcriptis inuigilant, vbi deſiderij aliquantum ſentiunt, augmentare ad meliùs nūquam ceſſant. Hi nimirum ſponſam inueniunt, quia Dominum Chriſtum inuenire ſatagentem recipiunt, & vt citiùs inueniat, præceptis inſtruunt, & exemplis accendunt. Verè vigiles ſunt, vel eſſe debent Prælati & miniſtri Eccleſiæ: de quibus ſcriptum eſt: Ipſi peruigilant tanquam rationem redditurí pro animabus noſtris. Ij laqueos diaboli eludunt, tendiculas dirumpunt, machinamenta fruſtrantur. Ij ſunt fratrum amatores, & populi Chriſti qui multum orant pro populo, & vniuerſa ſancta ciuitate. Iis vſq; nūc paſtor bonus ait: Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem. Vigilia & oratione omnes opus habemus: magis autem Prælati & paſtores Eccleſiæ, quæ ciuitas appellatur. Vidi ciuitatem ſanctam nouam deſcendentem tanquam ſponſam ornatam viro ſuo. En ciuitas eſt, & ſimul ſponſa. Nec abs re ter Saluator interrogauit dicens Petro: Petre amas me? hoc eſt, niſi tua tibi conſcientia teſtimonium perhibet, quòd me amas pluſquam tua, pluſquam tuos, & pluſquam te, nullatenus ouium mearum, pro quibus ſanguinem meum effudi, & vitam meam ſpontè dedi, curam habeas. Terribile verbum, & vehementer timendum, ait ſanctus Bernardus ſerm. 76. in Cantica. Vbi adfabre optimum paſtorē deliniat: nec nō ſermone ſequenti, inuehitur aduerſus prælatos, qui plus inuigilant ad honores, & quæſtus vendicandos, quā ad fidelium animas lucrādas. Sat ſit ſcire, quod Eſaias dixit: Super muros tuos Hieruſalem cōſtitui cuſtodes, tota die ac nocte non tacebūt in perpetuū. Quod nō tantū de Angelis, qui ſunt adminiſtratorij ſpiritus, miſſi propter eos, qui

S. Grego.
Nota.
Hebræ. 13.
Apoca. 21.
S. Bernar.
Eſai. 62.
Hebræ. 1.

qui hæreditatem capiunt ſalutis,ſed de prelatis diuus Bernardus intelligit:et quidē lepidè,quoniam Angelus Domini exercituum eſt prælatus, aut prædicator. Sanè leo rugiens ſatanas non dormit,quin ſemper circuit quęrens, quem deuoret,beato Petro autore.Quid ni Angeli,& angelici viri noctem ducant inſomnem vigilantes, & orantes,ne lupus rapax orthodoxorum animas iugulet,deuo-
Gene.31. ret,ac perimat?Fugiebat ſomnus ab oculis meis, dicebat bonus paſtor Iacob,qui non niſi oues ſoceri ſui Labā cuſtodiebat. Quanto magis prælatum oportet vigilare, ne fortè aliqua Chriſti IESV ouis errabunda pereat? *Inuenerunt me vigiles*, inquit ſponſa,quia priùs inuenta fuit,quàm collecta.Ite in vniuerſum mundum,ait Dominus paſto-
Mar.vlti. ribus ſuis,& prædicate Euangelium omni creaturæ.Ac ſi dicat:Vos vigiles ciuitatis ſanctæ quærite mihi ſponſam, & ex omni gente vocate animas, & adducite mihi.Quādoquidem vocabulo apto paſtores Eccleſiæ Epiſcopi nominantur, ideſt, ſuperintendentes, vel ſuperuigillantes. Obnixè orandum,& Chriſtum IESVM precemur opor-
Sapient.6. tet,vt vnus quis eorum dignè ſuo miniſterio fungatur:nā iudicium duriſſimum fiet iis qui præſſunt.

Summa.Vigiles,qui ſponſam inueniūt,vel philoſophi antiqui ſunt,quorum doctrina nō potuit oſtendere Deū tanquam finem,&fœlicitatem hominis,quanuis ipſa eos interrogarit:aut Angeli ſunt,qui nos cuſtodiunt,iuxta il-
Pſal.90. lud:Angelis ſuis Deus mandauit de te,vt cuſtodiant te in
Matth.18. omnibus viis tuis.Et Dominus in Euangelio, Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei,qui in cælis eſt. Vel tandem prælati,& concionatores verbi Dei cuſtodes appellantur , quibus maximè incumbit vigilare,& animas fidelium in viam ſalutis reducere,cum Apoſtolo acclamantes:Infirmis factus ſum infirmus,vt infirmos lucrifa-
1.Corint.9. cerent.

cerem. Quanto autem affectu, quantaque deuotione, tandem inuento, tandiù quęſito ſponſo inhęreat, ſitque in finem vſque ſeculi hęſitura, ſubinde ipſa non tacuit.

Paululum cùm pertrāſiſſem eos, inueni quē diligit anima mea: tenui eum, nec dimittā, donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ. Hebraicè. *Prehendam ipſum, & non lenteſcam ſuper ipſum, vſque &c.*

POSTQVAM interrogauit vigiles ciuitatis: *Nunquem diligit anima mea vidiſtis?* Ideſt, ſi eum vidiſtis, nunciate mihi quid dixerit vobis. Inſtituit eos pertranſire, & dilectum ſuum quærere, ideò ait: *Paululum cùm pertranſiſſem eos, inueni quem diligit anima mea.* Hoc eſt, paulò poſtquam mortui ſunt Moſes & Aaron, inueni quem diligit anima mea. Quia reuerſus ad me tempore Ioſue, quando cum eius adiutorio debellaui vnum & triginta reges, tenui eum, non dimittam, nec lenteſcam ſuper eū, donec introducam illum in tabernaculum Silo, & hoc prò omnibus beneficiis mihi impenſis. Ad hæc Eccleſia, quæ ex gentibus adunata eſt, clamat poſtquam ex Apoſtolorum doctrina, gratia ſummi numinis cooperante, Chriſtum IESVM agnouit, & inuenit. Quo inuento ait: *Tenui eum nec dimittam, donec introducam eum in domum matris meæ.* Mater nobilis huius ſpōſæ ea eſt, de qua Paulus: Mater noſtra Hieruſalem libera eſt, & hæc non militat in hac lachrimarum valle, ſed ſurſum regnat in cælis. Alij ſic exponunt: Paululum cùm pertranſiſſem Angelos, qui vigiles ſunt illius ciuitatis, ſtatim inueni Chriſtū IESVM, qui non

Notā.
Ioſue.12.
Galat.4.

qui nō inter Angelos, ſed ſuper omnes Angelorū choros ad dexteram Patris ſedet ,tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomē hæreditauit. Verū qui ſponſi mellitā dulcedinem delibare cupit, per contēplationē oportet ſuper Seraphim volitet. Imò quibuſuis creaturis pertranſitis , & quaſi ſub pedibus infernè relictis, in throno Trinitatis ſanctiſſimæ eum quærat: inibiq́; ipſum
Hebræ.1. procliuo genu adoret,toto & affectu diligat. Notandum quòd ſponſa dignior eſt Angelis ipſis,quia filius Dei nuſquā Angelos aprehendit,ſed ſemen Abrahæ aprehendit. Nihilòſetius Angelorū opè indiget, quia illi vident facie ad faciē Deum optimum,nos verò per ſpeculū fidei,& in enigmate. Sed quorſum Angeli nil ſponſę interrogāti re-
Notá. ſponderūt? Planè ipſi,niſi ſpōſus præcipiat,quicquā effari poſſunt. Vel dicendū,quòd ipſa reſponſum eorū non expectauit,nimia anxietate affecta. Quod ad literā ſanctæ Marię Magdalenę cōtigit in horto quærens dilectū ſuum IESVM. Ibi videt duos Angelos qui dicunt ei: Mulier quid ploras? at illa: Tullerunt Dn̄m meum,& neſcio vbi
Ioan.20. poſuerunt eū. Hæc cùm dixiſſet, cōuerſa eſt retrorſum, & vidit IESVM ſtantem. Ecce ſtatim vt pertranſiuit Angelos,dilectū inuenit. O nos fœlices chariſſimi ſi cuncta viſibilia,& inuiſibilia Chriſti IESV ob amorem pertranſeūtes in eo tantū cor noſtrum quieſceret. Haud dubiè cum
Pſalm.72. regali Phopheta iubilātes cōcineremus: Deus cordis mei pars mea Deus in æternū. Ni fallor is etiam Angelos ipſos pertrāſierat,quando dixit: Quid mihi eſt in cælo Dn̄e,aut à te quid volui ſuper terram? O ter quaterq́; beata anima, quæ toto corde hoc quotidiè decātat. Inſuper, & anima fidelis,quæ pars Eccleſiæ eſt,verba præaſſumpta dicit: *Te-*
Gene.32. *nui eū,nec dimittā.* Et veluti Iacob nocte tribulationis trāſacta,& mane illuceſcēte, brachiis ſuis amplexatur Chri-

ſtum

ſtū,& ait: Non dimittā te, niſi benedixeris mihi. Tenetur
Deus orationis deuotione, deſiderio ignito, memoria iu
gi, gemitibus aſsiduis, fide integra, ſpe firma, charitateq́;
flāmigera. Non luctam dimittit, quamuis aurora rutilet,
& temporalia arriſſerint, vel ſpiritualia ad votū venerint:
quin & ire pro ſua virili contendit de virtute in virtutem,
donec videat Deum deorum in Siōn. Cæterū mater gra- Pſalm. 83
tia eſt, quę nos Deo genuit, cuiꝰ domus eſt humana mēs,
in qua eadē gratia ſuſcipitur. In hanc domum dilectū cu
pit introducere, vt cum illo maneat, & inhabitet. At Chri
ſtus lubens in mente virtutibus ornata manet, iuxta illud:
Si quis diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligā eū, Ioan. 14.
& ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.
Rurſus, ſancta Eccleſia non dimittere ſpōſum Chriſtum
aſſerit donec eū introducat in domū matris ſuæ: nā ſalus
ex Iudęis prodiit. Et quia cū intrauerit plenitudo Gentiū,
tūc Iſraël omnis ſaluus fiet, quia in fine mundi agnoſcet Rom. 11.
ſuum verum Meſsiam, & illum ſuſcipiet, & ſic erit vnum
ouile & vnus paſtor, ideò ait: *Tenui eum nec dimittā, donec
introducam eum.* in ſynagogā quæ mea mater eſt. Quē ip-
ſa illuminata dilectū meum IESVM, apertis vlnis ſuſci-
piet, quamuis propè mundi finem. Vndè ſanctus Bernar-
dus: Magna Eccleſię charitas, quæ non ęmulę quidem ſy S. Ber. ſer. 79. in Cantica.
nagogæ ſuas delitias inuidet. Quid obſecro benignius, vt
quem diligit anima ſua, ipſum cōmunicare parata ſit ini-
micæ? Itaque domus matris ſynagoga eſt, de qua Dn̄s:
Amē dico vobis relinquetur domus veſtra deſerta. Idq;
geſtū eſt, vbi Apoſtoli ad Gentes tranſierūt, Hebræis reli-
ctis. Sed maximè aduertendum, quòd nō modò introdu
cere cupit ſpōſum in domū matris, ſed in cubiculū geni-
tricis. Cubiculū ſecretū gratiā peculiarē indicat. Procul-
dubio qui thalamū ingreditur, ſpōſus eſt. Ecce ingēs Dei

m   pietas

pietas erga nos:nō ſat fuit ei,nos redimere ex ore zabuli, niſi redemptor & ſponſus eſſet nobis. Sponſabo te mihi in fide,deſponſabo te mihi in iudicio & iuſtitia,deſpōſabo te mihi in ſempiternū. En pollicitatio mirabilis quam filius tēpore præſtituto adimpleuit. Quid iam dicam fratres de hac tā ſedula ſponſa,quę omnes creaturas luſtrauit,omnes cælos & Angelos pertranſiuit,vt dilectū ſuum adinueniret? Ni fallor aquila eſt magnarū alarū,longorū membrorū ductu,plena plumis,& varietate. Hæc venit ad Libanū,& empyreum cælum, & tulit medullam cedri: dū Patris cæleſtis filium Chriſtū IESVM inuenit, manibus ſuis tenuit,atque in domum matris ſuæ introduxit, nec non in cubiculum ſuæ genitricis reclinauit. Magna ſunt hæc, & annotatu digna: ſed omnia explicare non poſſumus nunc. Diuus Gregorius cubiculum genitricis dicit cordis noſtri ſecretum,in quo maximopere ſpōſus delectatur,& habitare cupit. Iuxta illud: Fili præbe mihi cor tuum. Quis non ſtupeſcat, Deus omnipotens, qui cælum & terram implet, is in re tam parua,tamq; exigua, vt eſt cor noſtrum,habitare deſiderat,nec nō delitias ſuas in mente noſtra comorari exiſtimat? ſed ad noſtrum epithalamium reuertamur.

Oſee.2.

Ezec.17.

Prouer.23.

Iere.23.

ADiuro vos filiæ Hieruſalem per capreas ceruosq; camporū,ne ſuſcitetis,neq; euigilare faciatis dilectā,donec ipſa velit. Hebraicè. *Adiuro vos filiæ Hieruſalem,in capreis, vel ceruа cāpi,ſi ſuſcitetis,& excitetis,ipſam dilectam.*

MIRE ac terribiliter repetit hîc ſuam adiurationem ſponſus,quam rurſus facit filiabus Hieruſa

lem,

lem, hoc eſt, omnibus hominibus, oppidis, & ciuitatibus filiorum Iſraël, quippeque erãt ſub magno ſacerdote, vti iam ſuperiùs attigimus in ſecundo capite huius Cantici. Erat quidem Hieruſalem metropolis omnium ciuitatũ Iſraël. Quam quidem adiurationem, ſicut in figura tunc ſponſus fecit, ſic omnibus Eccleſiis mundi, quæ ſunt ſub Maximo Pontifice nouæ Hieruſalem vrbis Romę metro polis omnium Eccleſiarum, nunc facit: *Adiuro vos filiæ Hieruſalem, per capreas ceruoſque camporum*, ideſt: Imprecor ſæuiſſimam mortem vobis caprarum, & ceruorum, quæ cùm pateant omnibus in venationem, & in prædam circunuentæ à venatoribus, morte acerbiſſima afficiũtur. Hoc vobis contingat, ſi calũniatę fueritis dilectam meã ſponſam, nouã Hieruſalem Romanam Eccleſiã, quouſq; voluerit mihi obſequi. Itaque ſponſus gratiſſimam habẽs hanc ſponſę fidẽ & diligentiã, qua etiã abſentem tanta ſe dulitate, hac & illac requirit eũ: gratiſſimumq; habẽs affe ctũ, & firmũ propoſitũ, quo ita ſibi charitate indiſſolubili adhęrere inſtituit: hoc verbo, quaſi reſpõdens illius amori, per adiurationẽ cõteſtatur dilectiſſimã ſibi eſſe tã fidelem ſponſam, eiuſq; pacem, & tranquillitatẽ ſibi maximè cordi, & curæ fore. Quod perſpicuũ eſt, in hoc quód tã ſeuera cõminatione, cum interpoſitione iuriſiurãdi vniuerſos deterreat, à perturbatione dilectę ſuæ. Sed lubet de hoc ſomno pauca referrè, orãs, vt experimẽto omnes agnoſcãt, quę rudi verbo propalare contẽdimus. Nempè anima pia cũ Christo IESV in cubiculo ſui cordis obdormit, vbi ab externis oculos claudit, & interna per contemplationem cognoſcit. In quo fœlici ſomno cũ Iacob ſcalã videt, cui Dñs enixus aſtat, & Angelos aſcendẽtes ad Dei contẽplationem, & deſcendẽtes ad humanã viſitatione intuetur. Contemplatur itidẽ Angelorũ & animarum

Nota.

Nota.

Animæ ſomnus.

beatarũ gloriam & ingentem charitatem, quæ noſtrã ſalu
tẽ & fœlicitatẽ magnopere appetũt. Per hos, quaſi per ca
preas & ceruos cãporum filię Hieruſalẽ adiurãtur, ne ex-
citẽt ſpõſam. Quia ſicut illi amori creatoris inhęrẽt, & ni
hilominus ſalutis humanę curã gerũt: ſic ſancta Eccleſia,
& quæuis pia mens in Dei amore quieſcit, & proximorũ
ſaluti intẽdit. Benè ergo per hos adiurantur Hieruſalẽ fi-
liæ, vt potè conſcios & teſtes charitatis eius, & induſtriæ
& occupationis circa proximos neceſſariæ. Angeli & ho
mines, qui iam iam tranſierunt in regnum cælorum, ca-
preæ & cerui camporum ſunt. Ij à longè conſpiciunt, &
in ſublimi contemplatione eleuati regem in gloria ſua vi
dent. Bona quidem eſt occupatio exterior in proximi cõ-
modũ, longè fœlicior interior, in qua feruet oratio. Mar-
Matth.18. tha foris laborat, Maria verò intus contemplationi vacat.
Dic illi, vt me adiuuet, ait Martha, nõ intelligens, quòd be
nè illam adiuuat, quæ diuinum adiutorium illi implorat.
Fruſtrà laborẽ impenderet, plãtaret, atq; rigaret, niſi Deus
incrementum daret. Vndè pulchrè Saluator reſpondit:
Lucæ.10. Maria optimã partem elegit, quæ nõ auferetur ab ea. Opti
mè igitur occupatur ſponſa, quanuis exteriùs non operet-
tur. Nónne plus vtilitatis afferebat oratio Moyſi in mon-
Exo.17. te, pugnante Ioſue & exercitu ſuo cõtra Amalech, quàm
omnes bellatores laborando? equidem manibus eleuatis
in oratione, tyrannus rex ſuccũbebat, remiſſis verò Moy-
ſi manibus, Amalech vincebat. Iure ergo ſponſus dilectę
ſuæ ſomnum cuſtodit, ne quis eam excitet, donec ipſa vel
lit, cuius voluntas nõ alia eſt niſi ſponſi voluntas. Semper
vtiq; ipſa precatur: Pater non mea voluntas ſed tua fiat. Et
Matth.6. iterum: Fiat voluntas tua ſicut in cælo, & in terra.

Summa: Laboremus fratres, vt ſolerti cura ſpõſum quę-
ramus, inuentum in domum, & cubiculum cordis ipſum
introdu-

introducamus. Nam ſi eũ introduxerimus profectò ipſe introducet nos,& abſcõdet nos in faciei ſuæ abſcondito: tutabitur nos, & ne quis conturbet cor noſtrũ, vigilabit, vti de Magdalena paulò ſuperiùs prædiximus.

QVæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertũ, ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuerſi pulueris pigmentarij? Hebraicè. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto, ſicut palma fumi, ſuffumigata myrrha & thure, ex omni puluere aromatarij?*

ADMIRATIONE raptæ gentes accolæ deſerti, videntes ſynagogam auxilio ſummi numinis ſic fretam, & per deſerta loca ſic gradi, vt columna ignis noctũ, nubes placida per diem eam adumbraret, ob maximam gloriam eius iure exclamant: *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum?* Comparat gentiũ populus eã virgulæ fumi, quæ ſurſum breui aſcendit, propter aromata, quæ in tabernaculo,& iuxta arcam fœderis cremabãtur. Rurſus verſa vice ſynagoga eadẽ verba repetit, videns, quòd Spiritus ſanctus etiã ſuper gẽtes deſcenderet, ſicut ſuper Hebræos. Quod latius in Actis Lucas recenſet: ſtupens ergo clamat: Quę nã eſt gens iſta, idolis ſeruiens, ſine lege Dei, abſq; ſacrificiis & circuncíſione, quæ ſic exaltatur per deſertum hoc,& Deo placet, quemadmodum ſuffitus placere ſolet odorantibus illam? Nota. Act. 10.

Sub hæc, admiratio hæc ſodalium ſponſi eſt: nam Angeli Eccleſiam nouam admirantes, quòd ſic in altum aſcendat, vt poſthabitis mundi honoribus,& ſeculi fallacis diuitiis, delitiiſque carnis ſpretis, ſuper æthera volitans,

litans, Angelos ipſos tranſiliens in ſolo ſponſo ſuo Chriſto IESV quieſcat. Verùm enimuerò iure optimo ſtupēt ſodales ſponſi, prodigium hoc prodigioſum inſpiciētes. Equidem aſcenſiones in corde ſuo Eccleſia diſponens in hac lachrimarum valle, ſupra modum aſcendit, cũ Apoſtolo inquiens: Conuerſatio noſtra in cælis eſt: vndè Saluatorem expectamus Dominũ noſtrum IESVM Chriſtum. Et iterum in Pſalmo: Stantes erant pedes noſtri in atriis tuis Hieruſalem. Nónne fratres vbi theſaurus noſter fuerit, ibi cor noſtrum eſt? Profectò ſi Saluatorē toto diligimus pectore, in eo cor noſtrum quieſcat oportet. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum.* Deſertum hoc nō eſt niſi mundus, vt benè ait diuus Gregorius. In hoc deſerto Eccleſia, ſiue quælibet anima pia, quaſi exul degit, cum Pſalmiſta gemitus aſſiduè mittēs: Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt. Quid multa? Veluti in deſerto ſcalenti beluæ, ac ſerpentes ſunt dæmones & ſcelera, quã innumera mũdum incolunt. Alioqui Iob non diceret: Frater fui draconum, & ſocius ſtructionum. Ecce cum quibus habitamus, & ſternentes ſomno indulgemus. Atqui ſponſa per hoc deſertum tranſiens, cuncta viſibilia abdicans, aſcendit ſupra æthera flagrāti deſiderio. O fœlices qui viſibilia abhorrētes, mentē ad cæleſtia erigunt. Quid obſecro in hoc deſerto eſt, niſi labor, & afflictio? Vidi cũcta, quæ ſub ſole fiunt, & ecce omnia vanitas, & afflictio ſpiritus, inquit rex ſapientiſsimus, & potentiſſimus Salomon. O mũdum aridum, ſterilē, infœcundum, & omni bono deſtitutum, væ amantibus te, quia miſerè peribunt. Obſeruandum tamen, quòd ſponſa per hoc deſertũ aſcēdit, non ſua, ſed ſponſi virtute fulta. Vnde ipſa orat obnixè: Trahe me poſt te, & curremus in odorē vnguentorũ tuorum. Et Dominus ait: Sine me nihil poteſtis facere. Et in Oſea

Philip. 3.
Matth. 6.
Iob. 3.
Eccle. 1.
Canti. 1.
Ioan. 15.

in Oſea ſcriptum eſt: Lactabo eam, ducam eam in ſolitudine, & ibi loquar ad cor eius. O ſolitudinem mirabilem votis omnibus deſiderandam, vbi ſolus ſpōſus cum ſola ſponſa quieſcit. O ſilentium iucundum, vbi ſilēt cuncta, tranquilla ſunt omnia, & leni auditur murmure vox dilecti perſonās. Planè chariſſimi hoc deſertū, & ſolitudo nō adeſt, niſi rege iniquo Pharaone, & exercitu eius debellato, relictaq; prorſus Ægypto. Tunc, ni fallor, māna cæleſte deſcendit, tūc aquæ Marath quanlibet amaræ, ligno crucis Chriſti dulceſcunt. Ecce elōgaui fugiens, & manſi in ſolitudine. Agite fratres: rex noſter, & dux noſter Chriſtus IESVS deſertū petiit, in quo ieiunans, cū Satana colluctatus, eum deuicit. Aſcendamus cum ipſo cūctis renūciātes temporariis rebus, quo triumpho eius potiri valeamus. Scientes quoniam anima nunquā minùs ſola, quàm cum ſola ſponſo ſuo adhęret. *Oſee.2.* *Exo.14.* *Pſal.54.*

Quaſi virgula fumi aſcendit, non ceu cedrus, aut palma procera: quia ſponſa omnium chariſmatū donis decorata, tanto humilior efficitur, quanto ſanctitate maiori pollet. Mirabile dictu: ſancti viri quamuis virtutibus egregiis, miraculis, & heroicis operibus fulgeant, à Chriſto IESV edocti, ſæpenumero aiunt: ſerui inutiles ſumus: nihil boni ſibi aſcribūt, ſed Deo optimo gratias agunt, eiq; pro ſua virili gloriam referunt. Quod autem fumus hic, ex myrrha & incenſo oriatur, myſterio nō vacat. Myrrha mortuorum corpora condiuntur, ne putreſcāt, thura verò accenduntur, vt in ſacrificio redoleant: eam ob rē per myrrhā mortificatio carnis, per thus feruens oratio deſignatur. O quam ſuaue redolet oratio coram Deo, quę ex mortificatione carnis & vera pœnitentia ſcaturit. Aſcendat oratio mea Domine, ſicut incenſum in cōſpectu tuo, dicebat Propheta. Sed alibi ait: Humiliabā animam meā *Nota.* *Pſalm.140.* *Pſal.35.*

in ieiunio, induebar cilicio, & oratio mea in ſinu meo conuertetur. Ordo verborum magnã habet emphaſim, tiam priùs de myrrha pœnitentiæ, poſteà de oratione me moriam fecit. Poſt autem mortificationem carnis & ora tionem, omnes virtutes ſequuntur, quam ob cauſam ſe- quitur. *Et vniuerſi pulueris pigmentarij.* Pigmenta quidem facimus, teſte Gregorio, dum virtutes omneis in corde coadunamus. Itaque vbi opera ſingula pœnitiùs expen- dimus, nequid minùs rectum in oculto maneat: tũc du bio procul vnguenta virtutum, quaſi puluerem tundi- mus: vt eo mundiora ſint opera noſtra, quò ſubtiliùs ea ab omni ſubrreptione viciorum diſcernere non ceſ- ſamus. Ecce regina quæ mira odoris fragrantia induta veſtimentis procedit, totum implens aërem, & locum per quem procedit. Vndè meritò de ea ſcriptum eſt: Myrrha, & gutta, & caſsia à veſtimentis tuis, à domibus eburneis: alia editio, à gradibus eburneis. Nos verò fra- tres in deſerto areti fructum faciamus, qui maneat. Aſcẽ damus interim corde, omnia ob Chriſti amorem deſerẽ tes, pœnitẽtiæ & orationi incumbamus: lumbos noſtros caſtitatis cinctorio accingamus, lucernæ ardentes in ma- nibus noſtris ſint, quo cum ſponſo Chriſto aſcendere va leamus.

S. Grego.

Pſalm. 44.

EN lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſsimis Iſraël: vniuſcuiuſ que enſis ſuper fœmur ſuum propter timores nocturnos.

QVIDAM hunc textum de exercitu Iſraëlitico, qui tabernaculum Dñi, & arca fœderis comitabãtur, ex- ponunt. Ita vt ſexaginta fortes, numerus ponatur pro in- certo

Nota.

certo numero. Hoc eſt, ſexagies decẽ millia fortium, quæ ſunt ſexcẽta milia virorũ fortiũ, quæ egreſſa ſunt de Ægypto circuibant tùm tabernaculũ, in quo Deus habitabat, tùm etiam arcam, per quã Deus optimus tot miracula patrabat. Quæ quidem arca typum gerebat Deiparæ Mariꝗ virginis, de qua filius Dei erat carnẽ aſſumpturus. Alij de rege Salomone intelligunt, cuius lectũ circuibant viri fortes de Iſraël, potiſsimè noctu, quando maiori cuſtodia reges indigent. Nos verò ad myſticum ſenſum omnia referamus.

Profectò verus Salomõ, cuius imaginem ille gerebat, Saluator noſter eſt, quique deſeipſo ait: Ecce pluſquã Salomon hîc. Salomõ pacificus interpretatur. Quis tã pacificus, vt noſter Saluator? Imò ipſe pax noſtra eſt, qui fecit vtraque vnum, ex vtroque populo Hebræo, & Gentili vnã Eccleſiam condens. Is inquam per ſanguinẽ ſanctũ ſuum pacificauit, quę in cælis & in terris ſunt. Salomon pacificus noſter Saluator eſt, in cuius benedicta natiuitate Angeli pacẽ in terris decãtauerũt: ſicut vaticinatus eſt regalis Propheta: Erit iuſtitia & abundãtia pacis in diebus eius. Abundans pax, quæ nõ modo tranſacta ſcelera ſuffecerit repropitiare delicta, ſed omnia futura mala deleuit, donec auferatur luna, donec auferatur labor mutabilitatis noſtrę, & vexatio mortalitatis, quã patimur. O verè abundans pax, quæ remiſsit offenſam, & priorẽ delens, & mirũ in modum præſtat gratiam: erat pax homini in paradiſo, vt non poſsit inuitus abduci: ſed non erat virtus per quam poſſet reduci. Modo pax vberior in Chriſto, quæ poſt iteratos exceſſus vltrò offertur, & pœnitentes non repudiat, ſed reuocat, atque allicit, vt reſipiſcant. Quod vno verbo pulchrè comprehendit Apoſtolus dicẽs: Vbi abundauit delictum, ſuper abundauit & gratia. Nec ſicut

Colo. 1.

Pſal. 60.

Roma. 5.

delictum,ita & donum. Is ergo Salomon lectulum habet:non enim fas eſt,vt tam præpotens rex lectulo careat. Sed quis lectulus eius vbi quieſcit & oblectatur, niſi Romana Eccleſia? Qui paſcitur inter lilia, floridum appetit lectum. Hinc ſpōſa prædixerat: Lectulus noſter floridus. Non plumeus in quo volutatur caro infœlix, ſed roſis & liliis aſperſus, hoc eſt, in ſpiritualibus delitiis ſanctarum animarum delectatur. Hunc floridum lectulum ſexaginta fortes Iſraël ambiunt,ne dæmonum infeſtatione, aut hæreticorum, & infidelium incurſione poſsit ſuperari, aut cubantem ſponſum perturbare,inimici valeant. Vndè Angeli ſancti,potētes virtute ad faciendum verbum ſponſi,ij fortiſsimi Eccleſiam tutantur. Quòd ſi de ſatana, ſub figura Leuiatham ſcriptum eſt: Non eſt poteſtas ſuper terram,quæ comparetur ei:quid de Michaële,Gabriele,& aliis Angelis ſanctis dicemus? In Daniele legimus ſic: Princeps Michaël qui ſtat pro filiis populi Dei. Sed quorſum multis immoror? Orante Eliſeo aperti ſunt oculi pueri Ziegi,& vidit montem plenum curribus, & igneis equis, ad defenſionem prophetæ,qui ait: Noli timere,nam plures ſunt nobiſcum,quàm cū Aſſyriis. Stupenda res,pro defenſione vnius viri tot Angeli dati ſunt: quid putamus ad vniuerſam Eccleſiam tuēdam factum, aduerſus principes & poteſtates, aduerſus ſpiritualia nequitiæ & tenebrarum harum rectores? O quot myriades ſpirituum lectulum Salomonis circundant, tùm propter honorem lectuli,tùm etiam ob gloriam ſponſi decumbentis in eo. Audeo cum Daniele teſtari: Millia,millium miniſtrant ei,& decies centena millia aſsiſtunt illi. Fortiſſimi Iſraël ſunt, qui vident Deum,& facie ad faciem gloriam eius contemplātur. Angeli eorum (inquit Dominus) ſemper vident faciem Patris mei, qui in cælis eſt.

Cant.1. *Pſal.102.* *Iob.41.* *4.Reg.6.* *Nota.* *Danie.7.* *Matth.18.*

Nos

Nos verò non ita,ſed videmus nunc per ſpeculum fidei Deum. Rurſus: vnuſquis gladium habet ſuper fœmur,veluti milites parati ad prælium habere ſolent,vt ſtatim contra hoſtes irruant,& eos proſternant.

Aliter alij de cuſtodibus lectuli Salomonis loquuntur. Sunt etiam viri ſelecti ex Iſraël ad cuſtodiam Eccleſiæ ſanctæ,paſtores, prædicatores, & omnes miniſtri ad hoc munus dicati. Ij toto niſu, zelo ſancto accenſi pro tuenda ſancta Eccleſia plurimum inſudarunt: nec non arma nobis reliquerunt,dogmata, & doctrinas egregias, quibus noſtræ tempeſtatis aduerſarios infideles, & pſeudoprophetas expugnare poterimus. Talis fuit Petrus Apoſtolorum princeps,talis Paulus, qui pleriſque in locis ſuarum epiſtolarum hos infeſtatores cauere, & confundere diſertè docet,talis & ſanctus Hieronymus, beatus Auguſtinus,Gregorius, & Ambroſius, aliique complures. Ij gladio verbi Dei acincti,glorioſè pro pace Eccleſiæ pugnarunt, & nos ad certandum ſtrenuè docuerunt. Super fœmur gladios habebant, verbum Dei ſit nobis à latere non in latebris, aut in pulchris libris dumtaxat. Accingere eo potentiſsime ſuper fœmur tuum,ita vt paratus ſis ad reddendam rationem de ea,quæ eſt in nobis fide,& ſpe,ſicuti beatus Petrus commonefacit. Non tibi ſit enſis hæc ſub fœmore,& verbi ſacri ſtudium carnis prudentiæ,quæ mors eſt,non ſupponas. Super fœmur ſuum,vt primo ſeipſum quiſque corripiat, ſemetipſum cuſtodiat,ac iudicet. Conſidera teipſum, ne & tu tenteris. *Propter timores nocturnos*, ideſt,propter inopinatos lapſus,& ſubitas tentationes,quæ aduenire ſolent. Nocturnum eſt,quod improuiſum,quod ſubitum apparet, etiã quod inſidioſum. Hinc Paulus: Ne circumueniamur à ſatana. Et iterum: Timeo ne ſicut ſerpens ſeduxit Euam

Paſtores.

Pſal. 44.
1. Pet. 3.

Gala. 6.

2. Cor. 11.

aſtucia ſua,ita corrumpantur ſenſus veſtri,à ſimplicitate quæ eſt in Chriſto. Sed quid de ornatu tãti lectuli regali dicitur? Planè hoc verbum ineffabile eſt,ideò ſiletur, ſat ſit, quòd lectulus regis veri Salomonis eſt,vt nemo ignoret ipſum ornatum, ſicut regias decet delitias. Cæterùm

Iob.17. lectulus hic non eſt ille,de quo Iob: In tenebris ſtraui lectulum meum:non illę eſt,quem per ſingulas noctes lachrimis rigabat Dauid: ſed lectulus floridus, gaudio & lætitia plenus,in quo pacis princeps requieſçit,& mirabilem pacem,quæ exuperat omnem ſenſum,ſuæ ſpõſæ largitur.O nimium fœlix anima, quæ experimento agnoſcit pacem hanc egregiam, quam ſermo humanus non explicat.

Summa. In ſumma: Poſt accenſum per deſertum, per quod tã laborioſè ſponſa aſcenderat,vti virgula fumi ſuauè olentis,poſt mortificationem carnis,quam myrrha deſignat, & tandem poſt thuris fragrantiam,& orationem flãmigerram, in qua facies orantis fit altera, ſplendens vt Sol,velut de ſponſo orante legimus,par erat,vt ad lectulũ ſponſa deueniret,& ſponſi amplexibus tandiu cupitis frueretur.Fortiſsimi viri ſanctam Eccleſiam tutantes, potentes

Hebr.1. Angeli ſunt,de quibus Apoſtolus ait: Nónne omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus miſsi propter eos,qui hæreditatẽ capiunt ſalutis? Ij verò ad docendum animas fidelium, & ad eorum cuſtodiam diù noctuque adſunt. Nec non & prælati & prædicatores viri fortes dicuntur,qui mente gladium verbi Dei, & lingua, nec non & manu tenere debent. Mente quidem enſem verbi Dei habeant, vt verſati ſint in ſacris literis,& voluntas eorum die ac nocte ſit in lege Dei. Malachias ait: Labia ſacerdotis cuſtodiũt

Mala.2. ſcientiam,& legem ex ore eius requirent:ratio,quia Angelus Domini exercituum eſt. Oportet cuſtodes Eccleſiæ

etiam

etiam in lingua poſſidere gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei: vt abſque tremore Euangeliũ annũcient, ſceleratos homines increpét, hæreticos procaces cõfundant. Increpa, obſecra in omni patientia & doctrina, admonet Apoſtolus. Denique hanc cæleſtem rompheam bis acutam, viuam & efficacem, cuſtodes lecti Salomonis habeant manu; id opere adimplẽtes, quod mente, & lingua orthodoxos docebant: ne, quod Dñs auertat, ſimiles illis ſint, qui cõfitentur ſe noſſe Deum, factis autẽ negãt. Idq; in typo geſtum legimus ſub Nehemia: quando reedificãtes templum, altera manu gladium, altera verò opus faciebant. Ij fortiſsimi, & ſtrenui in Iſraël meritò appellantur, qui dicunt, & faciunt: Nã qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorũ. Talis, ni fallor, erat, qui ore ſuo benedicto dixit: Non veni ſoluere legẽ, ſed adimplere: quandoquidem ipſe magiſter veritatis cœpit facere, deinde docere. Cui non abſimilis erat Gentium doctor ſic dicens: Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo, ne cùm aliis prædicauerim, ipſe reprobus efficiar. En quales quamque ſtrenui ſint cuſtodes, qui lectũ regis regum Chriſti IESV cuſtodiunt.

2. Timo. 4.

Titi. 1.

2. Eſdræ. 4.

Matt. 5.

F*Erculũ fecit ſibi rex Salomon de lignis Libani, colũnas eius fecit argẽteas, reclinatoriũ aureũ, aſcenſum purpureum, media charitate conſtrauit, propter filias Hieruſalẽ.* Hebraicè. *Thalamũ fecit ſibi Hieruſalẽ, de arboribus Libani: colũnas eius fecit argẽti: ſtratum eius auri, aſcenſum eius purpura, mediũ eius cõſtratũ charitate de filiabus Hieruſalem.*

Notā. FERCVLVM hoc, ſiue thalamus, ideſt, cubiculū vtriuſque coniugis (ueluti quidam teſtātur) tabernaculum illud eſt, quod ex præcepto Domini fecit Moyſes in deſerto, & in eo erat arca fœderis, in qua habitabat gloria Domini, vti paulò antè diximus. Columnæ huius ferculi deſcribuntur Exodi. 27. Reclinatorium aureū, operculum arcę, quod ex auro mundiſſimo factū eſt, alio nomine vocatur propitiatoriū, quia ex hoc loco Deus optimus loquebatur ad Moyſen. Exo. 25. habebat aſcenſum purpureum, vt in eodem libro legimus. Media charitate conſtrauit, vel vt in Hebræo habetur: Intrinſecam partē ferculi, ſeu thalami charitate conſtrauit à filiabus Hieruſalem. Vel ſic: Intrinſecam eius partem accenſam charitate à filiabus Hieruſalem. Verbum *Raxuph*, vtroque modo poteſt exponi, teſte rabbi Dauid. Ecce cubiculum, & feretrum in quo Salomon Deus omnipotens quieſcebat, charitas, pax, & amor, & amicitia quę erat inter Hieruſalem, & omnes ciuitates populi Iſraëlitici obedientes ipſi Hieruſalem, tanquam matri. Vndè quouſque filiæ Hieruſalem ſeruarunt hanc charitatem, & dilectionem erga matrem ſuam, gratiſsimę fuerunt Salomoni ſempiterno. Quando autem deffecerunt à matre, & charitatem poſthabuerunt, & idola coluerunt, diſſipauerunt media ferculi. Et rex Salamon iratus, conſeruata matrē Hieruſalem, tradidit filias in manus regis Aſſyriorum, tanquam capreas, ceruaſque campi in prædam, & captiuitatem ſempiternam. Et eodem pacto in noua Hieruſalem, quandiù græci obediētes fuerunt catholicæ Romanæ Eccleſiæ, nil mali eis accidit: ſed poſtquàm per eorum hæreſim, à ſua matre noua Hieruſalem Romana deffecerūt, mox dati ſunt in Turcarum manus, tanquam capreæ & ceruæ campi. Ecce quàm diſplicet Salomoni

Margin notes: Exod. 27. — Exod. 20. — Notā.

Chriſto

Chriſto IESV peruicatia,& inobediētia in Eccleſia ſu a. Et nunc proh nefas, & pleriq; Germanorum ignorantes ſcripturas, non timent ſeparare ſe à matre, & relinquere Petrum Apoſtolorum principem, & totius Eccleſiæ ſucceſſores, & adhærere recentiſſimis Lutheranis hæreticis diaboli miniſtris. Sed de his in declamatione feſti ſancti Lucæ, quæ extat in fine libri aduentus Domini, fuſiùs tractauimus. *Heretici.*

Ferculum fecit ſibi rex Salomon. Parui reffert, ſi cum Hebræis thalamum, ſeu palacium dicamus. Ferculum à ferēdo dictum eſt. Planè ſacroſancta Eccleſia in terra, tabernaculum vel vehiculū, aut papilio veri Salomonis Chriſti rectè appellatur. Ratio, quia ſtabilitatem in hoc exilio non habet. Non habemus hîc ciuitatem manentem, ait Paulus, ſed futuram inquirimus. Cęleſtis ciuitas, ad quā inhiamus, fundamenta habet, quæ nō mouebuntur perpetim. Equidem niſi Deus optimus ad magnificentiam gloriæ ſuæ in hac Eccleſia ferretur, Apoſtolus non diceret: Empti enim eſtis precio magno, glorificate, & portate Deum in corpore veſtro. Diuus Gregorius Eccleſiam hāc dicit ferculum Chriſti, quā ędificauit, non de quibuſuis lignis, ſed de Libano mōte, qui candidatio interpr ætatur, quia ſecundum præſcientiæ ſuæ gratiam, Chriſtus ſanctā Eccleſiam Dei in æternum permanſuris ſanctis conſtruxit. Colūnæ argenteæ, prædicatores ſunt, qui vt etiā exemplis ſuſtentarēt, eos magna iuſtitiæ rectitudine roborauit: & vt prædicationibus orthodoxos erudirent, nitore eloquij quaſi ſplendore argenti decorauit. Eloquia Domini, eloquia caſta, argentum igne examinatum, purgatum terræ, purgatum ſeptuplum. Eſt namq; ſermo Dñi argētum, nedum propter candorem, quem ſuapte natura habet, ſed ob tinitum inatum. Sunt etiam columnæ Eccleſię prę- *Hebre.13.* *1.Corint.6.* *Eccleſia.* *Pſalm.11.*

lati,quippequi animarum cura non ſegniter, ſed ſolicitudine aſſidua oues ſuas gubernant,paſcunt verbo,& exemplo,non autem ſeipſos paſcunt. Vę de quibus dictum eſt:
Ezech.34. Vę paſtoribus,qui ſeipſos paſcunt. *Reclinatorium* fecit *aureum*:nam in contemplatione Deus optimus mira de ſua deitate inſinuat,& arcana ſua reuelat. Vndè ſapiens ait: Melior eſt ſapientia cunctis opibus, & omnia quæ deſi-
Prouer.8. derantur non valent ei cōparari.Ecce aurum optimum, ex quo reclinatorium fit. Sed quia ad hoc reclinatoriū multo labore peruenitur,& calamitatibus innumeris ad illud aſcenditur, pulchrè ſubnectitur. *Aſcenſum* fecit *purpureum*: nam ſi neceſſitas expoſcit, fidelis quiſq; ſanguinem ſuum effundat ob Chriſti gloriam oportet. Ob hāc cauſam martyres,carceres ſqualentes,vincula,flagella, & alia id genus non modò patienter, ſed quod plus eſt, gaudenter pertulerunt. Aſcenderūt per purpureum aſcenſum, vt in reclinatorio aureo perpetuam tranquil-
S.Grego. litatem inuenirent. Exclamat diuus Gregorius nunc, & ait: Nos miſeri quid agimus in hoc ſeculo? Columnæ argenteæ non ſumus, quoniam nec doctrina,nec exemplo Eccleſiam ſuſtentamus: Reclinatorium aureum nō ſumus, terrenis cogitationibus implicati, & ſic per contemplationem nequaquam aſſurgimus; Aſcenſum purpureum non habemus,labores abhorrentes & voluptatibus vacantes.Veruntamē conſolatur nos aliquantulum,
Nota. quod de hoc ferculo dicitur, *media charitate conſtrauit, propter filias Hieruſalem.* Filiæ Hieruſalem debiles nos ſumus,nō viri,quia cōtra vitia fortiter non reluctamur,viriliter non reſiſtimus,inutiliter ſubiacemus. Hieruſalem,
Hieruſalem. ideſt,viſio pacis Eccleſia eſt,pacē cæleſtem contemplās. Si ergo colūnæ argenteę non ſumus,nec reclinatoriū aureum non habemus,nec per aſcenſum purpureum valemus

mus martyrij palmã capeſſere,vt potè fragiles: ſaltim charitatem,quæ communis eſt virtus cũctis electis,quæ quaſi in medio poſita eſt,mordicus teneamus.Per hanc Salomon Chriſtus nos in ferculo eſſe cognoſcit.Quoniam in eo cum columnis argenteis,cum reclinatorio aureo, cũ aſcenſu purpureo propter filias Hieruſalem media chari tate conſtrauit.Et cùm ſimus Eccleſię membra per fidẽ, & charitatem vnita Chriſto,ad eandem ſponſi beatitudinem perueniemus,modò charitatem non deſeramus. Hæc profectò ſola diſtinguit inter filios Dei cohæredes Chriſti,& filios gehennæ,vt ſanctus Auguſtinus ait.Hęc Denique veſtis nuptialis eſt, qua indigebat ille,qui ad nuptias regales ſuo magno malo auſus eſt ire. Vndè iure ligatis manibus & pedibus miſſus eſt in tenebras exteriores(hoc eſt)in baratrum cum ſatana flammis carnis voracibus cruciandus. S. Auguſt.

Cæterùm non modo ſancta Eccleſia ferculũ hoc eſt, vti iam latiùs tractauimus,ſed quęque anima pia ferculũ dicitur Salomonis.Enimuerò Chriſtus rex omnipotens animam ad imaginem & ſimilitudinem ſuam fecit, & ea quaſi vehiculo vtitur,vbi per fidem charitate formatam in ipſa habitat. Dico Chriſtum habitare in cordibus veſtris per fidem. Fecit Salomon hoc ferculum ſibi,non vt diabolo ſeruiat, aut mundo, aut carni ſuæ corruptibili,ſed creatori & redemptori ſuo placeat,mãdatis eius pareat,& eum,vt æquum eſt, toto corde diligat. Ecce vbi fœlicitas, theſaurus, & delitiæ animæ ſita ſunt. Nempè in Deo,qui animam vti ferculum ſibi creauit, ſibiq́ue proprio ſanguine redemit. O ferculum mirabile, omni auro & margarito pretioſius. Non tu te feciſti, ſed creator tuus fecit te. Dic cum Apoſtolo: Gratia Dei ſum id quod ſum. Quid habes,quod nõ acce piſti? Notã. Ephe. 3. 1. Cor. 4.

piſti? Et ſi accepiſti, quid gloriaris, quaſi nõ acceperis? Ne timeas portare regem tuum Chriſtum: non vtique põderoſum onus eius, ſed ſatis leue, & iugum legis ipſius valdè ſuaue: velut ore ſuo ſacro ipſe deprompſit. Flos campi eſt, alacri vultu illum ferre te oportet. Caue Satanæ locũ des, qui in te ſedere nititur, vt ſis cathedra peſtilentiæ, ad perniciem aliorum loquens, & perperam operans. Gloria-
Eze.28. tur heu ille, & ait: In cathedra Dei ſedi: pro virili tua enitere, vt poſthac portes imaginem cæleſtis, ſicut ante hac portaſti imaginẽ terreni. Ligna Libani imputribilia ſunt, & odorem ſuauem emittũt. Sic ſanctì à quauis corruptione peccati liberi cum Apoſtolo clamant: Bonus Chriſti
2. Corint. 2. odor ſumus in omni loco. Bonus odor fama, bonus odor conſcientia pura. Gloria noſtra hæc eſt teſtimoniũ conſcientiæ noſtræ. Columnæ argenteæ, quibus enitũtur pondera ferculi, virtutes morales ſunt, vel dona Spiritus
Prouerb. 9. ſãcti. De quibus ſapiens dixit: Sapiẽtia ędificauit ſibi domum, & ſcidit colũnas ſeptem, quas Eſaias adamuſſim connumerat. Ecce quatuor morales virtutes, & tres theologales, quibus ferculum Salomonis fulcitur. Reclinatorium ſit aureum, munditia ſit in corde: nam ſponſi caput eſt aurum mundum, ideò reclinare caput ſuum cupit in aureo reclinatorio. Et quia omnis caro curruperat viam ſuam, conqueritur Saluator & ait: Filius hominis nõ ha-
Lucæ 9. bet, vbi caput ſuum reclinet. Aſcenſus purpureus paſſionẽ Chriſti indicat, per quam ipſe aſcendit, in reſurrectionis ſuæ gloriam, & niſi per eam nemo in cælum intrabit. Hæ-
Rom. 8. redes quidem Dei, cohęredes autem Chriſti, ſi tamen cõpatimur, vt conglorificemur. Medium huius ferculi charitate conſtrauit. Id eſt, quicquid in hoc mundo Saluator dixit, & fecit, omnia mira ſua dilectione complanauit: omnia charitatem ſpirant, & feruentiſſimam dilectionẽ

erga

erga nos ſubindicant. Sanctus doctor Auguſtinus: Amore Deus venit ad homines, amore factus eſt homo, amore fuit comprehēſus, flagellatus, ſpinis coronatus, & amore tandem in cruce obiit. Et hoc factum eſt propter filias Hieruſalem, ob animas tenellas & delicatas, quippe quæ iaculo amoris Chriſti vulneratæ, omnia mundi bona ſpernant, & flagrantiſſimam ſponſi ſui dilectionem contemplantes, duntaxat Chriſto adhæreſcant: necnon cū Apoſtolo clament: Charitas Chriſti vrget nos, eſtimātes, quoniam ſi vnus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt. Et iterum: Chriſto cōfixus ſum cruci. Faxit Deus optimus, vt in hoc ferculo exiſtentes, ſic charitatis ſagitta ſauciati, nō nobis viuamus, ſed ei, qui pro nobis in ara crucis mortuus eſt, & triumphator mortis ſurrexit. S. Auguſt. 2. Corint. 5.

EGredimini filiæ Sion, & videte regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater ſua, in die deſponſationis illius, & in die lætitiæ cordis eius. Hebraicè. *Egredimini, & videte filiæ Sion in rege Salomone, in corona, qua coronauit ipſum mater ſua. &c.*

TACEANT hîc Hebrçorum ſomnia, & eorum commenta faceſſant. Non planè de tabernaculo in deſerto facto Spiritus ſanctus hîc loquitur, quod Hebræi perperam coronam Salomonis appellant, quia nuſquam in ſacra ſcriptura legimus, quòd Deus vocaret ſynagogā matrem, quamuis eam ſororem, filiam, & ſponſam quandoque appellet. Profectò literalis ſenſus de incarnatione filij Dei eſt, quē mater ſacerrima virgo Maria, Spiritu ſancto cooperante, genuit, coronauitque, humanitatis diade- Hebræorum commenta.

ma ei præbens; Gabriele paranimpho cæleſti dicente: Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. Vbi nil de patre terreno, ſed de ſola matre fit mentio. Non enim decebat, vt qui patrem cæleſtẽ, & æternum habebat, terrenum haberet patrẽ. Vndè pulchrè ſanctus Gregorius inquit: Mater Chriſti beata Maria eſſe creditur, quæ coronauit IESVM diademate, quia humanitatem noſtrâ ex ipſa ille accepit, ſicut in Euangelio fuſiùs recitatur. Et hoc in die deſpõſationis, & in die lætitiæ cordis eius factum eſt. Quia quando verbum caro factũ eſt, tunc cum charitatis exultatione carnem noſtram ex virgine matre aſſumpſit. Sed cùm diadema pro gloria aſſumatur, in humanitatis ſuſceptione, nõ gloria verbi Dei, ſed humilitas cognoſcatur, nam exinaniuit ſemetipſum, formam ſerui accipiens, quomodo in humilitate noſtra quaſi diademate coronatus dicitur? Sanè ipſa incarnatio gloria noſtra eſt, eo quod membra eius ſumus, & ipſe caput noſtrum, teſte Apoſtolo, diadema membrorum benè capitis eſſe dixit. Quòd autem res ita habeat, & quòd de myſtico Salomone verba hæc intelligenda ſint, non autem de Salomone filio Berſabæ, in propatulo eſt, quoniam nuſquam legimus in ſacris literis, quòd Berſabę Salomonem filium ſuum in die deſponſationis coronauerit. Egredimini confeſtim, ô vos filiæ Sion, animæ fideles, quæ in alta ſpecula fidei poſitæ myſteria ineffabilia redẽptionis mundi contemplamini. Egredimini de ſeculo nequam, cui ſi non ſpontè vale dixeritis, regem Salomonem in diademate ſuo intueri non poteritis. Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram, quam ego moſtrauero tibi (ait Dominus) ad Abraham. Et ſubiungit: Faciamque te in gentem magnam. Idque hodiè Saluator noſter fidelibus ſuis præcipit, quò

S.Gre. in cãt.

Quæſtio.

Nota.

Gene. 12.

cipit, quò terram illã cæleſtem, lacte & melle manantem, eis largiatur. Alluſio eſt ad illud: Qui non renunciauerit omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Omnia ſanè dimittamus oportet, vt omnium creatorem poſſideamus. Non ſat eſt, vt gradiamur, aliqua opera bona patrãtes, & ſimul mala facientes, vti, proh nefas, pleriq; facere ſolent. Tales non egrediuntur à mundo, non à ſuis prauis deſideriis: ſed vt altera Dina quæ egreſſa eſt, vt videret mulieres illius regionis, ſuo magno malo gradiuntur, vanitatis ſuæ mercedem recipientes. Egreſſus eſt Noë de arca, quæ illeſum ipſum ſeruauit inter tumentes fluctus, ſed poſtquam Dominus vocauit eum, & tunc ſacrificium offerens placuit Deo. Ecce ſodales ſponſi vocant vos ô filiæ Sion, quàm primum egredimini, & videte eũ. Quòd ſi ad reclinatorium aureum hactenus cum ſponſa nõ aſcendiſtis, ſaltim egreſſę videte regẽ veſtrum corona excellenti decoratum. Mater ſua intacta virgo Maria eũ coronauit Spiritu ſancto afflata: iuxta illud: Ecce virgo cõcipiet, & pariet filium, & vocabitur nomẽ eius Emanuel: ideſt, nobiſcũ Deus, velut Matthæus interpretatur. Egredimini à ſenſibus carnis, & venite in Bethlehẽ, & in anguſto præſepio adorate Salomonem, diademate carnis noſtræ coronatum. Quem multitudo cæleſtis militiæ per aëra dulce melos decantat, dicens: Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus. Cantate ei canticum nouum, quia mirabilia fecit in terris. Paſtores veniunt feſtinantes, vos concito gradu feſtinate, & pannis inuolutum inſpicite eum, qui cælum & terram implet. Egrediuntur Magi ſtella duce, & regna, domos, & familias ſuas relinquentes, puerum IESVM in cunabulis adorant, & myſtica, atque pretioſa ei offerunt munera: vos filiæ Sion ſatagite, & eundem regẽ regum adorate, de medullis cordis veſtri

Lucæ. 14.
Gene. 34.
Gene. 8.
Eſai. 7.
Lucæ. 2.

veſtri donaria ei exhibete. Hæc dies deſponſationis eſt, & Pro.8. lætitiæ cordis eius, cuius verba ea ſunt: Deliciæ meæ cum filiis hominũ. O verba mellita, & quouis melle dulciora, verba dicam, an faces accenſas? quibus pectora noſtra inflãmare Deus nititur, Deliciæ Chriſti ſunt, nobiſcum conuerſari, & habitare, vt noſtræ deliciæ aliæ non ſint, niſi cum Cantic.8. ipſo viuere, & eum vbique in corde geſtare. Pone me, vt ſignaculum, ſuper cor tuũ, vt ſignaculum ſuper brachiũ tuum, quia fortis eſt vt mors dilectio. Vidiſtis filiæ Sion regem veſtrum Salomonem diademate carnis noſtræ coronatum, quando deſpõſauit humanitatẽ noſtram, & ſi- Pſalm.18. cut ſpõſus proceſſit de thalamo matris ſuæ Mariæ nũc videte ipſum coronatum alia corona, qua nouerca ſynagoga illum coronare auſa eſt.

Egredimini, & videte filiæ Sion regem Salomonem, in diademate ſuo. Mater crudelis, vel potiùs nouerca immanis ſynagoga fuit, ex qua naſci dignatus eſt Chriſtus. Nuſquam Angelos apręhendit, ſed ſemen Abrahæ apręhendit. Hæc vinea erat, quã Deus ipſe plantauit, expectata eſt autem, vt faceret vuas, fecit verò ſpinas, ex quibus contexens coronam, capiti eius impoſuit, & milites genuflexu illudentes dicebant: Aue rex Iudæorum. Egredimini nunc filiæ Siõ, Pſalm.45. vacate, & videte, quoniam hic Deus veſter eſt, rex & Dominus dominantium. Egredimini & vos Angeli, & cæli ciues omnes obſtupeſcite ſuper hoc, tam nouum, tam nullis retro ſeculis auditum connubium. In die deſponſationis rex veſter & nõſter purpura vetere induitur, arundinẽ pro aureo ſceptro habet, ſpinea corona capiti eius nobiliſſimo imponitur. Quid non ſtupendũ? aut quid nõ vehemẽter mirandum in his nuptiis geſtũ eſt? Verũ cõceptio mirabilis, prędicatio, & miraculorũ operatio, omnia velut præludia erant paſſionis Chriſti, in qua de latere

Adæ cæleſtis in Cruce moriẽtis Eua ſurrexit, & noua ſpõſa procreatur. Inibi ſolutum eſt pretium redẽptionis noſtræ, & manibus extenſis Saluator Eccleſiam ſibi copulauit. Quæ omnia alacritate mira operatus eſt, foris in carne cruciatus ſentiebat, intus in corde iubilabat, quoniam affectu magno ſalutem noſtram cupiebat. Baptiſmo habeo baptizari, quomodo coarctor (ait) donec perficiatur. Et iterum: Deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare vobiſcum, antequã patiar. Ecce lætitia cordis Chriſti, en flamigerus affectus quem in corde geſtabat. Notandum, quòd alia trãſlatio ſic habet: *In die depoſitionis eius.* Hoc eſt in die paſſionis & atrocis mortis illius. Tunc coronauit eum mater ſynagoga, non aurea, ſed ſpinea corona. Attendite exuberantem fructum ex hac deſponſatione fratres. Viderunt inſulæ, & timuerunt extrema terræ, obſtupuerunt, & acceſſerunt. Videte, quos virtutum fructus viſio Chriſti pendentis in Cruce & diademate ſpinea coronati próferat. Viderunt etiam ethnici ad intelligentiam, ſtupuerunt ad nouitatem miraculorum, quę in cælo & in terra tunc fiebant. Acceſſerunt per fidem & cõformitatem, ingenti affectu amantes, quem odio iniquo perſequebantur. Quod in latrone pœnitentiam agenti, & in Centurione & militibus ſuis conſpicuum eſt.

Lucæ. 22.

Eſai. 44.

Denique ô filiæ Sion egredimini, & videte regem Salomonem gloria & honore coronatum à patre cæleſti, quippe qui ſuſcitauit filium ſuum ſtola immortalitatis indutum, ita vt iam mors illi non dominetur vltrà. Videte illum triumphantem, morte & peccato deuicto, inferno ſpoliato, ſatana prorſus proſtrato. Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra (inquit) vbi è tumulo glorioſus ſurrexit. Quam victoriam ore ſuo benedicto ipſe palàm faciens dicebat: Cùm exaltatus fuero à terra, omnia

Reſurrectio Chriſti.

Ioan. 12.

trahā ad me ipſum. IESV bone, qui in cruce pendens terram cōmouiſti, lapides etiam tua mirabili virtute fregiſti, en terra ſine aqua ipſe ſum, imò lapide adamātino durior: Trahe me poſt te, trahe me ád te, aufer obnixè præ-
Cant.1. cor à me cor lapideū, cor ſtupidum, & pone cor carneū: vti per Prophetā quondam ſpopōdiſti. O victoriam mirabilē & omnimodis encomiis dignā: triumphum nobilē in quo nō alterius ſed tui ipſius ſanguis Dñe IESV fuit effuſus: quin & tua morte mortem noſtrā ſuperaſti. Huc pertinet Pſalmus ille Dauid, quem lepidè in hunc ſenſum Apoſtolus decantat: Gloria & honore, ô Pater cęleſtis, co-
Hebræ.2. ronaſti eum (ideſt Chriſtum tuum) & conſtituiſti eum ſu-
Pſal.20. per omnia opera manuum tuarum. Et iterum: Poſuiſti in capite eius coronam de lapide pretioſo, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum. Quę omnia pulchrè de coronatione, & glorificatione hominis Chriſti IESV exponuntur. Et quamuis ita ſit, quòd Pater coronauit filium ſuum hoc diademate gloriæ: quódammodo virgo Maria etiam coronam hanc ei contulit, quia humanitatem illi præbuit, vt potè mater vera, & ſecundum hanc humanitatem in dextera Patris hanc glorificationem accepit. Quid multa? ſynagoga per accidens Chriſtum coronauit corona gloriæ, præbens ei paſſionem, per quam
Hebræ.2. meruit coronam glorificationis, Paulo teſte, nec non Saluator ait: Oportuit Chriſtum pati, & ſic intrare in gloriam ſuam.

CAPVT

CAPVT QVARTVM CANTICORVM.

QVAM pulchra es amica mea, quã pulchra es! Oculi tui columbarũ, abſque eo quod intrinſecus latet. Hebraicè. *Ecce tu pulchra es ſocia mea, ecce tu pulchra. Oculi tui columbarum ex crine tuo.*

RVRSVS ſponſus hîc in laudes Eccleſiæ ſponſæ ſuæ prorumpit, & dicit eam bis pulchram. Laudatque oculos eius, nec non per ſingula membra diſcurrit, ſimilitudinem accipiens à muliere decora: vt de corporalibus tranſeat ad ſpiritualia. Inuiſibilia per viſibilia agnoſcere debemus: nã, teſte Philoſopho, omnis noſtra cognitio pendet à ſenſu: ita vt nihil ſit in intellectu, quod non fuerit priùs in ſenſu: Quo attinet illud Pauli: Non priùs quod ſpirituale eſt, ſed quod animale. Depingit ergo ſponſus pulchritudinem animæ, in pulchritudine corporis, & ait: *Quàm pulchra es amica mea, quàm pulchra es!* Pulchra eſt quidem Eccleſia in obedientia mandatorum Dei: & iterum pulchra in obſeruantia conſiliorum. Vel pulchra externè, & iterum pulchra internè. Denique pulchra in hoc mundo, & pulchra in cæleſti patria. Potiſsimè oculorum venuſtatem collaudat. Non ait vulpinos, leoninos, aut truculentos habes oculos, ſed columbinos, 1. Cor. 15.

qui ſimplicitatem ſanctam præ ſe ferunt. Adhæc colũm bæ fidelitas tanta eſt, vt alieno marito nullatenus ſe adiun gat. Et quia ſatis ſupraque in capite primo de oculis colũ binis tractauimus, de iis hactenus. *Abſque eo quod intrinſecus latet.* Ideſt: Tàm ſunt mira, & egregia, quę abſcõdita ſunt in te, quæ ipſe taceo, vt potè, quæ pro dignitate non poſſunt explicari, vt meliùs ſit ſilentio ea præterire. Equidem ſentẽtia hæc magnam habet emphaſim, & maximè ad exagerationem cõducit. Vndè benè habetur Græcè: *Extra ſilẽtium tuum.* Ideſt: Præter id omne, quod in te ſiletur, ideſt, exceptis iis omnibus, quę de tua pulchritudine interiori ſiletur: eo quod verbis dici nõ poteſt. Itaq; maiora ſunt quibus anima ornatur, quàm quæ de corporis pulchritudine dicũtur. Signãter ſpõſus laudes ſpõſæ auſpicatur ab oculis, alludens ad illud: Si oculus tuus ſimplex fuerit, nõ habens aliquã partem tenebrarũ, totũ corpus tuũ lucidum erit. En quomodo intentio ſincera vniuerſum operationis corpus illuſtrat, atque decorat. Nam quando foris bonum opus lucet, ſed operis bonitatem, & ſummi Dei gloriam quis non attendit, ſimplicem oculum in his non habet. Ideò tenebroſa ſunt, quæ intentionis ſincerę lumine carent. Totus tenebroſus eſt oculus, cùm operi malo propter malum intendit. Totus lucidus eſt, quãdo operi bono non niſi propter bonum intendit. Rurſus aliqua ex parte tenebroſus eſt, & nõ columbinus, vbi in ope re bono gloriam propriam comparare ſibi quis ſtudet. Et ſic Phariſęi orabant, ieiunabant, & eleemoſinas pauperibus erogabant, veruntamen omnia opera ſua faciebant, vt viderẽtur ab hominibus, & ab eis laudes extorquerẽt. O verè deſideranda columbina ſimplicitas, qua ſponſa decoratur, & amica Chriſti efficitur. Sed heu, rara hæc auis in terra. Praua intentio, & peruerſa interpretatio,

Canti. 1.

Nota.

Matth. 6.

Nota.

Matth. 23.

vtraq; malignatio eſt in ſancto, ideſt, in opere bono. Amica eſt veritati ſimplicitas, quã ob rem ſcriptum eſt. Cum ſimplicibus ſermocionatio eius. Si ergò amicam Chriſti dici cupis, quid tibi cum prudentia carnis, quæ inimica eſt Deo? Modicum fermentum totam maſſam corrumpit, ait Apoſtolus. Quid fiet, vbi multum eſt fermentum, maſſa verò modica? Quæ nam ſocietas legi cupiditatis, & legi charitatis? *Prouer. 3.* *Rom. 8.* *1. Corin. 5.*

Abſque eo quod intrinſecus latet. Etenim magnũ ſit oportet, vel quod dici non poteſt, vel dici non licet. Sunt ferè innumera in anima, quæ ſoli ſponſo patent. Omnis gloria eius filiæ regis ab intus: quanquam in fimbriis aureis nonnulla appareant. Quid multa? Plura ſunt aliquando in mente, quæ mens ipſa ignorat, ne forſitam efferatur, & in extollentia labaſcat. Quod in Lucifero notum eſt. Is ſuperbia turgidus aduerſus Deũ colla erexit, & ob id è cælo proiectus in baratrum. Quid ni ocultatur ſublimitas, vt ſeruetur humilitas? IESV bonè, & noſtri amantiſſime gratias tibi immortales agimus, quòd ſic nos in humilitate conſeruare conaris: ſecretum tuum tibi, Domine, ſecretum tuum tibi. Nempè nos ad quærendum plus allicis, dum illud latere intrinſecus dicis; & curioſitatem noſtram amplius irritas, tantum myſterium ſilentio premens. At quis audeat effari, quod ſponſus nunc tacet? *Pſal. 44.* *Eſai. 14.*

Abſque eo quod intrinſecus latet, inquit. Saltim vt balbutiẽs loquar: aliæ ſunt virtutes, quæ foris per opera vidẽtur, aliæ quæ in mente manent, nec ſemper oportunitas adeſt, vt per opus appareant. Pauper vult eleemoſynam dare, non tamen valet, quia inops eſt. Alius ieiunare cupit, tamẽ infirmitate laborat. Deſiderium ſanctum, quod in pectore latet, hoc maximè gratum eſt ſponſo, quãdo in opus exire minimè valet. Pater cæleſtis videt in abſcõdito, vt red- *Nota*

dat vnicuique non modo iuxta opera ſua,ſed ſecundum affectum ſuum.Tandem quod ego ſentio dicam. Hoc, quod intrinſecus latet in ſponſa, & vehementer ſponſo placet,eleuatio mentis in Deum eſt, dum in extaſim rapta ſoli contemplationi,& dulcedini ſponſi vacat. In hac
Pſal.30. eleuatione erat,qui dixit:Ego dixi in exceſſu meo: nō mo
Pſal.67. uebor in æternum.Et iterum:Ibi Beniamin adoleſcentulus in mentis exceſſu.Et Apoſtolus ait: Scio huiuſmodi hominem raptum vſque ad tertium cælum, & audiuit arcana verba,quæ non licet homini loqui. Cæterum quantum placeat Deo optimo tunc ſponſa,ipſe oſtendit.Quā
Cant.7. pulchra facta es chariſsima in delitiis, ideſt, dū in extaſi, & ſupra te eleuata ineffabilibus delitiis afficeris. Er notanter non iam amicam,ſed chariſsimā illam appellat.Vos
Pſal.33. fratres guſtate,& videte,quoniam ſuauis eſt Dominus.
S.Grego. Sanctus Gregorius,ſanctum deſiderium in corde cōſeruatum indicat fore,quod intrinſecus latet. Vehementer pulchrius & honeſtius eſt(ait)quod cordis deſideriū illibatum retinere conatur ſponſa:quod æternæ claritatis beatitudinē in mente tenacius conſeruat, & erecta contēplatur:& in iis,quæ interiùs videt,ſuauiter requieſcit.

Dogma. Habeamus ergo oculos non miluinos,res alienas deſiderantes,ſed colūbinos,cum Paulo dicentes:Nō quęrēs quod mihi vtile ſit,ſed quod omnibus proſſit. Charitas enim nō quærit,quæ ſua ſunt.Simplici intuitu terrena videamus,ea non appetētes:vt ſpōſus verè teſtetur: *Oculi tui columbarum.* Vt columbæ aſcendamus ad feneſtras no-
Eſai.60. ſtras,vti Eſaias ait.Nā homo natus ad laborē, auis ad vo-
Iob.5. latum.Homo,qui terrena appetit,nimio afficitur labore. Laſſati ſumus in via iniquitatis & perditionis, ambulauimus vias difficiles,viā autem Dñi ignorauimus.Ecce miſeri teſtes ſunt ſuorum laborum & anxietatum. Colūbæ

autem

autem alta petentes in ſublimibus & æternis rebus conquieſcunt, & inibi ineffabili pace fruuntur.

CApilli tui ſicut greges caprarum, quæ aſcē derunt de mōte Galaad. Hebraicè. *Capillus tuus ſicut gregis caprarum, quæ pexæ ſunt de monte Gilhad.*

CONSVEVERVNT capreæ, quæ gradiuntur per mōtes, per nimiū contactū, colliſionemq́; ſiluarum expilari, atq; pecti: & ſic capillos earū reddi pulcherrimos, ac nitidiſsimos. Et hoc eſt, quod dicit ſpōſus: *Capillus tuus ſicut gregis caprarum, quæ pexæ ſunt de monte Gilhad.* Nempè poſtquā ſpōſus dę mira pulchritudine laudauit ſpōſam, vniuerſaliter bis pulchrā eam vocans, cū admiratione, & oculos columbinos eā habere indicauit, in quibus potiſsimè venuſtas & pulchritudo ſita eſt: nunc ſigillatim per ſingula membra diſcurrens decorem ſuæ dilectæ Eccleſiæ deliniat. Ait enim. *Capilli tui ſicut grex caprarum, quæ aſcenderunt de monte Galaad.* Mons hic vſq; adeò fertilis eſt, & ad gregum paſcua aptus, qui iuxta montem Baſam extat, de cuius fertilitate ait Moſes: Butyrum de armento, & lac de ouibus cum adipe agnorum & arietū filiorū Baſam. Perindè dicat: Sicut mōs Galaad decoratur grege caprarū, quibus deficientibus non æque ſpecioſus videretur: ita capilli tui te decorāt, & pulchriorem efficiūt: Cęterū, ſicut oculi Eccleſię prælati, & cōcionatores verbi Dei ſunt, qui populū doctrina, & exēplo in viā rectā ducunt, & ad terram promiſſam, beatamq́ue vitā ire hortantur, ne cæci ſint & duces cæcorum: ita capilli, quibus decoratur ſponſa, omnes fideles eſſe dicuntur. Pulchra comparatio, nā fideles, ſicut capilli, flexibiles ſint neceſſe eſt,

Deut. 32.

Prælati.

eſt,& tractabiles,qui labores & probra non ſentiant.Nam capilli quando ſcinduntur,nihil doloris ſentiunt: at ſi erradices illos,ibi gemitus & lachrymæ adſunt. Cauendũ ergo ſumopere eſt,ne ab vnitate ſanctæ Romanæ Eccleſię euellamur.Alioqui vę nobis eſt,&dolor ingens adeſt, ſicut in hæreticis heu noſtris oculis inſpicimus.Non decidant capilli ſponſæ,ſed aſcendant oportet:non ima quęrant,ſed honores, diuitias, & voluptates vltrò deſerant, paſcua ſua in montibus altis quæritent, vt ſicut capreæ ſalubria,& vberrima pabula inueniant. Et benè de mõte Galaad aſcendunt.Mõs hic,aceruus teſtimonij, interpretatur.Quis mons Galaad,niſi Chriſtus IESVS,ſuper quẽ omnia prophetarum oracula coaceruata ſunt? Quo per-
Acto.10. tinet illud: Huic omnes Prophetæ teſtimonium perhibent.Et Apoſtolus:Finis legis Chriſtus in ſalutem omni
Roma.10. credenti.Caue frater,ne à capite ſpõſæ defluas: nam ipſa decaluata non erit vnquam.Capilli eius numerati ſunt: ſynagogæ autem interminatio illa facta eſt. Erit pro cri-
Eſai.3. ſpanti crine caluicium.Chriſpi quidem ſunt Eccleſiæ crines,ad ſuum recurrentes caput,in ipſa capitis ſecreta conantes intrare. Aſcendamus chariſſimi,aſcendamus vt greges de mõte Galaad de aceruo teſtimonij:imitemur Chriſtum teſtimonia fidei noſtræ exhibentes, & bona opera patrantes.Audite egregium ducem,regem noſtrũ fortiſsimum,quales athletas elegit,Apoſtolos accerſens: Venite poſt me(ait)veſtigia & opera mea ſectamini. Nã qui non tollit crucem ſuam,& ſequitur me, nõ eſt meus
Ioan.1. diſcipulus,neque me dignus. Vt palmites in vite omnẽ virtutem ſortiũtur à radice:ſic nos capilli Chriſti de eius plenitudine accipimus gratiam pro gratia. Fœlices,qui
Roma.8. cum Paulo corde & ore clamant: Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? an gladius? an fames? an mors? Scio

quia

quia nec mors nec vita poterit nos ſeparare à charitate, quę eſt in Chriſto. Deniq; S. Gregorius pulchrè aſſerit, fideles aſſimilari gregi caprarum, eo quod dum ęterna cōtemplantur, & infima atque caduca relinquunt, animalia munda ſunt, ruminantia arcana Dei, quæ in perpetuum erunt. Montem Galaad multitudinem martyrum fore teſtatur, quia teſtimonium fidei prębentes, pro Chriſto ſanguinem ſuum fuderunt. Quorum exempla fideles aſpiciunt, & ingenti animo, mala queq; imminentia ob Chriſti amorem in hac mortali vita ęquanimiter perferunt. S. Grego.

Sunt deniq; capilli ſponſæ cogitationes ſanctę, quę mirum in modum eam decorant. Aſcendunt de monte Galaad capreæ. Nam in Chriſto, qui mons cōagulatus eſt, mons pinguis, mons in quo beneplacitum eſt Deo, habitare in eo, de hoc vberrimo & fertiliſſimo monte aſcendentes alta loca petunt, adeò vt cum Apoſtolo dicant: Conuerſatio noſtra in cęlis eſt. Corpore hîc degunt, mente in ſidereis aulis habitant. Qui autem perperam excogitant, ij capreæ non ſunt, ſed lupi rapaces, cuncta rapere atq; deuorare molientes. Quibus ait Dominus: Quid cogitatis mala in cordibus veſtris? Pſalm. 67. Philip. 3. Matth. 9.

DEntes tui ſicut greges tonſarum, quæ aſcenderūt de lauacro: omnes gemellis fœtibus, & ſterilis non eſt in eis. Hebraicè, *Dētes tui ſicut grex æqualiter inciſarū, quæ aſcendūt de lauacro: omnes parientes gemellos, et orbata non eſt in eis.*

NVNC mundiciam & fortitudinem ſponſæ oſtendit ſponſus, candorē & duritiem dentium ob oculos ponens. A carne fragili procedunt, tamen carnis infir-

mitatē neſciunt. Siquidē prelati & prædicatores in Eccleſia dentes ſint conuenit, per quos infideles, & hæretici cōſumantur, nec nō & paruuli nutriantur. Fortes ſint inſtar dentium, carnis fragilitatem neſciētes: alioqui ſponſæ dētes nō erunt. Huic Petro Apoſtolorū principi cælica vox

Act. 10. inſonuit, quādo in linteo ſerpētes, & animalia immunda apparuerūt: Occide & māduca: hoc eſt, ad conuertēdos etiam Gentiles idolatras te accinge, & quòd ego ſanctificaui, tu ne immundum dixeris. Ecce quo tendit functio miniſtrorū Eccleſiæ: nempè occidere debēt leones & ſerpentes, ſuperbos auaros, & peccatis deditos conuertere, vt peccatis mortui, Chriſto IESV viuant. Vndè ſanctus

S. Grego. Gregorius: Dentes quippè ſancti predicatores vocantur: quia dū ſanctam ſcripturam exponendo minoribus fratribus elucidāt, quaſi panē paruulis, tanquā matres filiis, commaſticant, quo infirmi ad fortiora conualeſcant. Hi nimirū benè ſicut grex tonſarum, quæ aſcenderunt de lauacro eſſe dicūtur: quia dum ſe à peccatis omnibus in baptiſmo ablutos eſſe recordātur, libenter onera mundi deponunt, vt ad cæleſtia conſequēda & prædicanda, quo liberiùs, eo faciliùs gradiantur. Mira res: dentes Moſi, quū

Deut. 34. eſſet centū viginti annos natus, nō ſunt moti. Vbi fortitudinē Eccleſiæ intelligimus. Oues enim Chriſti tonderi poſſunt, conteri autem non poſſunt. Dentes enim ſunt, & proindè firmi, ac duriſsimi, ideò detrahētes non metuūt,

Ezech. 2. perſequutores non fugiunt: memores ſe cū Propheta, inter ſcorpiones & incredulos commorari. Nec non ſicut oues à Chriſto miſſos inter lupos, quo ipſos lupos in oues

Matth. 10. rationabili tolerantia, & exhortatione conuertant. Sicut grex tonſarū, quæ de lauacro aſcendunt ſint, mundi onera, honores & diuitias deponētes: expoliantes veterē hominem, & nouū induētes: ſicut Apoſtolus hortatur. Benè

ergo detõſi de lauacro aſcendunt, quaſi nil veteris, vel ſarcinę, vel ſordis habẽtes. Non ſufficit detonderi, aut lauari, ſed opus eſt aſcendere, & ad cæleſtia conuolare. Aſcendamus ſemper de lauacro, lectulũ noſtrum per ſingulas noctes lachrymis abluẽtes, veluti Propheta nos edocet. Fœlix, qui de mundo aſcendit, non vt de luto, ſed de lauacro, vt ſit mundus totus. Sanè qui talis eſt, nõn indiget cõflatorio, nec per ignẽ purgatorij tranſibit. Cæterum non tantum prælati & prædicatores dẽtes Eccleſiæ ſunt, vt cibos ſpiritales diuidãt ouibus Chriſti, ſed etiam vt deffendant ſpõſam, & lupos ac leones eã inſeſtantes arceãt. Ad hæc, ſi exortatio, & obſecratio non ſufficiat, morſus perſequutoribus Eccleſię audacter immitant. Nõnne Paulus magum quendam cęcũ effecit: vt ſic flagellatus, à ſuo reſipiſceret ſcelere? Aliũ adulterũ ſatanæ tradidit, vt ſpiritus illius ſaluus eſſet in die Dñi. Tandem dentes ſponſæ non incongruè diſcuſſiones diſcretionis dicũtur: nam vt Ioãnes cõmonefacit: Nõn decet credere omni ſpiritui, ſed probãdi ſunt an ex Deo ſint, nec ne. Equidem ſatanas ſępenumero trãſfigurat ſe in angelũ lucis. Ecce vbi oratio feruens, & humilitas vera inuigilare debẽt: ne ſicut ſerpẽs ſeduxit Euam aſtucia ſua, quis ſeducatur ſub ſpecie virtutis, ad operandum mala. Quam fructiferi debeant fore prælati, & prædicatores Euangelici iam audiamus.

Nota. (beside "Fœlix, qui de mundo…")
Actor. (beside "illius ſaluus eſſet…")
1. Ioan. 4. (beside "nes cõmonefacit…")

Omnes gemellis fœtibus, & ſterilis nõn eſt in eis. Profectò oues iſtę, videlicet prædicatores ſanctæ Eccleſiæ ſteriles nequaquã ſunt. Imò geminos habẽt, tùm doctrinę, tũ etiã vitę ſanctę operã dantes, cũ Eliſeo diu precãtes IESVM magiſtrũ cęleſtẽ: Pater mi fiat in me duplex ſpiritus tuus. Alioqui ſine dono tuę gratię, nec docere quæ proficuã ſunt, nec opere mãdata tua implere potero. Sub hæc geminos habẽt fœtus prælati, & cõcionatores verbi Dei, quippe-

4. Reg. 2. (beside "magiſtrũ cęleſtẽ…")
Prædicatores (beside "geminos habẽt fœtus…")

quippequi geminam dilectionem habent, Deum & pro-
ximum amantes, & alios docentes, vt toto pectore Deũ
optimum diligãt, & proximum vt ſeipſos ament. Et quia
fieri nõ poteſt, vt prædicator, & ſi ruſticanus, aut incom-
ptus eloquio, modò ſincero corde miniſterium ſuũ exer
ceat, abſque fructu euadat: eam ob rem geminos dicitur
habere. Quid pluribus immoror? Fortè plures lucrifacit
deuotus, & ſi rudis concionator, quàm alter qui ſcientiã
& eloquentia pollet, & admirationi eſt populis. Vtinam
in extremo veriſsimoque iudicio non locum habeat il-
1.Reg.2. lud: Sterilis peperit plurimos, & quæ multos habebat fi-
lios infirmata eſt. Quæ verba non parum ſolatij afferunt
humilibus: & eis, qui ſeſe exaltant, & populi applauſum
quærunt, magnum ingerunt terrorẽ. Huc pertinet, quod
S. Gregor. in diuus Gregorius inquit: Gemellos omnes ſancti prædica
Cantic. tores habent: quia dũ in duobus præceptis charitatis cæ-
teros homines ſupereminent, geminam dilectionem prę
dicant, & in Chriſto duos populos Iudaicum & Gentilẽ
gignere nõ ceſſant. Inter quos nullus eſt ſterilis, quia pro-
fectò prædicator non eſt dicendus, ſi filios ſpiritales gene
Nota. rare contemnit. Rurſus: omnes gemellos habent fœtus
prælati & prędicatores, ſi cum ſcientia habeant & deuo-
tionem. Sterilis eſt intelligentia, quam nõ comitatur ger-
mana deuotio. Ignitum eloquium Dei eſt, & ſeruus Dei
diligit illud. Itaque ſi per intelligentiam vides, ſed gelidũ
adhuc geris affectum, nónne ſterilis, & ineficax reputa-
tur in te verbi Dei virtus ignea? Nempè ſi ignis illuminat,
peculiare habet, vt ſimul ſuccendat. Hic eſt ignis, quem
Lucæ.12. Saluator ſpargere voluit ſuper terram, vt Lucas enarrat.
Verbum enim Dei ſuapte natura & lucet, & ardet. Ecce
geminus fructus, quem primò in concionatore, ſubindè
in populo expectare debemus.

Po-

Poſtremo geminos habet fœtus,qui virtute diſcretionis vtitur, cogitationes ſuas gubernans, & exteriùs vitam ſuam componens. Is ſanè vtrunque hominem venuſtans conſcientiæ candorem retinet, & proximo bonum exemplum prębet. O fœlicem hominem qui hos gemellos habet,nutrit,& fouet. Duæ res tibi pernecceſſariæ ſunt(ait ſanctus Auguſtinus)cōſcientia tibi,fama proximo tuo. Vę qui ſceleribus ſuis dediti ſcādalo ſunt fratribus ſuis. Sic Saluator eum deplorat,dicēs: Væ illi, per quē ſcandalū venit. Qui verò ſterilis nō eſt,ſed hos gemellos habet,magna dexteritate,tā in proſperitate,quā in aduerſitate fructum facit: iuxta illud Pauli: Per arma iuſtitiæ, à dextris,& à ſiniſtris,per infamiam & bonam famam. Sic de viro forti Aioth ſacra pagina recēſet,quòd vtraq; manu certabat,vtens manu ſiniſtra pro dextera. Quem nos imitari condecet,ne ad tempus credentes, in tempore tētationis recedamus,labamurque.

S. Auguſt.

2. Cor. 6.

Iudi. 3.

SIcut vitta coccinea labia tua, eloquium tuum dulce.

VBI ſponſus de ſua dilecta ſponſa tot elogia pròtulit,tùm de oculis,tùm de dentibus eam laudās,nūc deſcendit ad labia:quippeque,non liuida, aut nigra, ſed rubea ſunt:quorū rubedo nonnihil decorat faciem ſpōſæ.In Hebræo habetur: *Labia tua coccineum, vel filum coccineum.* Habet igitur labia coccinea Eccleſia ſancta, quia quod profert,Dei dilectionem,& proximi præ ſe fert. Nōne in tabernaculi ornatu ex Domini inſtituto coccineū ponebatur,idque in veſte ſacerdotali apparebat? Quo inuolucro indicabatur, quòd in Eccleſia charitas omnia venuſtat,atq; decorat. Coccus bis tinctus quid aliud quā

Exod. 25. Figura.

geminam charitatem ſubindicat? Iterum labia Eccleſiæ, vel animæ ſanctæ rectè vittæ comparatur, qua ſolet capillorum multitudo conſtringi. Sic ſancta Eccleſia, quaſi filo coccineo, omnes fideles alligat, ad ipſorum ſalutem,

2.Corin.3. & libertatem. Nam vbi ſpiritus ibi libertas. Vel ideò labia eius, vt vitta coccinea, quia nil temerè loquitur, ſed omni librata ratione, & Spiritu ſancto afflante cuncta ſancit, & ordinat. Etiã prouidet, ne margaritas ante porcos

Matt.7. proiiciat. Sanè qui verba multiplicat, & os apertũ habet, ad effuciendum quod in hos venerit, is labia coccinea non habet. Vndè toto affectu orandum eſt cum Dauide:

Pſal.140. Dñe pone cuſtodiam ori meo, & oſtiũ circunſtantiæ labiis meis: vt non declinet cor meum in verba malitiæ.

Beatus Gregorius de prædicatoribus Euangelicis verbum hoc explicat. *Prædicatores* Prædicatores etiam labia Eccleſiæ dicuntur (ait) quia nimirũ per eos populis præcepta vitæ loquitur. Quique benè ſicut vitta dicũtur: quia dũ fluxus cogitationes in cordibus hominum, ſuis prædicationibus reſtringunt, quaſi ſparſos crines, ne immoderatè defluãt, comprimunt. Sed quid eſt, quod non tantum vittæ, ſed coccineæ comparantur? niſi quia per coccũ flamma charitatis intelligitur. Illi ſanè ardent, & per illos alij accendũtur, per quos eloquium ſanctæ Eccleſiæ dulcoratur. Quia dum quę dicunt faciũt, conciones ſuas hominibus quaſi

Canti.4. ſapidas eſcas apponunt. Quam ob cauſam rectè ſponſus inquit: Eloquium tuũ dulce. Verùm enim concepta in corde charitas, quaſi ignis flãmigerans, coccineo colore labia inficit, per quæ erũpit. Calor de cælo miſſus in cor-

Eſai.6. de, germanũ labiis ſubindè præſtat colorẽ. Equidẽ labia hæc iam non indigent carbonibus altaris purgari, aut exteriori igne aduri: ſalutarem vtique ſeminant ſcientiam, legem igneam proferunt, quam Dominus venit mittere

in ter-

in terram.Benè labia coccinea habet ſponſa, quæ hunc ignem nō modò in terram,hoc eſt,in corda terrena, ſed in cælum mittunt.Mira res,ipſum Dominum cæli ſuccēdunt.Eas ob res coccinea commendat labia ſpōſus,quia illi talia ſunt,& illi calentia videntur, & in mutuam amplius ſuccendunt charitatem.Mirabile dictu:ignis conſumēs ille eſt,nihiloſecius noſtris inardeſcit ſcintillis.Quid ni? Et gladius eſt verbum Dei, & tamen in vno oculorū ſponſæ vulneratur. Ad eandem imaginem ſponſus ignis eſt,& tamen inflamatur noſtris ſcintilis.Quid dicam fratres? aut quò me vertam? Charitas vulnus eſt, vitta eſt, charitas coccus eſt. Videtis,ni fallor, quàm acuta,quàm tenax, quàm denique ignea ſit charitas.Talibus in orando & loquendo, tenaci velut vitta vinculo memoriæ cordi noſtro dilectum aſtringamus, agglutinemus,ſuccendamus illum ſuccenſo affectu. Iis labiis nos docet canere Paulus dicens: Cantantes,& pſallentes in cordibus veſtris Domino. Fœlix & nimium fœlix, qui cum Propheta concinere, atque dicere valet: Exultabunt labia mea, cùm cantauero tibi, & anima mea, quam redemiſti. I E S V bone, quis mihi det talia habere labia in conferendis tecum ſermonibus, in explicandis verbis tuis ad populum, tàm prompta, tàm experta, tàm ſuccenſa,tàm denique inflamatiua?In fide ſuccenſa ſunt, in amore flammigera. Væ tamen linguæ, qui ignis eſt,& inflammat rotam natiuitatis noſtræ, inflammata non è cælo ſed de gehenna. Hæc planè per ſe rotatur ad malum, volubilitate propria fertur ira præceps.Lingua hęc mala coccinea eſt, ſed nullatenus vitta eſt: non profectò ligat, ſed diſsipat, diſsidij verba ſcintillat, vnita ſuccidit, & pacem atque charitatem dirumpit. At contrà ſponſa labia habet charitatis igne ardentia, & ideò

Ephe.5. *Canti.4.* *Ephe.5.* *Pſal.70.* *Iaco.3.* *Nota.*

ſuauiter loquitur, verba amoris ſancti depromit: adeò vt verbis ſuis ſanctis ſponſum irretiat, & charitatis vinculis eum trahat. Beata mens, quæ nouit dulcium verborum retia nectere, quibus Dominum IESVM illaqueet, alliget patris cæleſtis verbum, animi affectibus Chriſtum includat, amatorio detineat ſermone, & delectet.

Cæterum fratres demus operam, vt labia noſtra ſponſæ ſimilia ſint, & vittæ coccineæ, comparentur: ſcientes quoniam anima, quæ dulcedinem Dei guſtauit, ſuauitatem foras loquendo emittit: ſicut ſcriptum eſt: Memoriã abundantiæ dulcedinis tuæ eructabunt. Talis animæ eloquium valdè ſuaue eſt, Deo placet, proximis prodeſt, in tribulatione patienter reſpondet, Deo in omnibus gratias agit: quia charitate, tãquam vitta coccinea, cordis ſui cogitationes aſtringit. Illud ſapientis ob oculos habeamus, fas eſt: Qui moderatur labia ſua prudentiſsimus eſt. Cui aſtipulatur Paulus: Omnis ſermo veſter ſale ſit conditus, hoc eſt, diſcretione prolatus. Vas enim, quod operimentum non habebat in domo Dei, mũdum non erat. Vndè in Pſalmo legimus: Poſui cuſtodiam ori meo. Et ſapiens ait: Super labia ſignaculum.

Pſal.144. *Pro.10.* *Figura.* *Eccle.12.*

SIcut fragmen mali punici gena tua, abſq; eo, quod intrinſecus latet. Hebraicè. *Sicut fruſtrum mali punici tempus tuum intra crinem tuum.*

NVNC ſponſus commendat ſponſam, à genarũ decore. Per hãc pulchritudinem ſpiritaliter intelligi debet humilis verecũdia, qua humilis Eccleſia corã oculis ſpõſi Chriſti aſsiſtit ornata. Equidẽ in genis potiſſimè apparet verecũdia per rubedinẽ. Sanè pauper corã di

uite

nite à quo dona plurima ſuſcepit, dũ nullũ obſequiũ vel minimũ largitori ſuo fecit, verecũdia afficitur. Et ſic nos orthodoxi, penitiùs conſiderantes, quãta à Chriſto IESV bona nobis ſunt impenſa, quot labores & probra, vt nos redimeret pertulit, & quàm pigri in obſequio eius ſumus, imò frequenter eum offendimus, nil ſanè mirum ſi genas perpetuo rubore perfuſas habeamus, & confundamur. Non hæc cogitanda ſunt, vt inducamur ad deſperationem, ſed contrà, vt excitemur ad gratiarum actiones, impellamurq; ad mandatorum eius obſeruantiam, ipſo dicente: Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. Quod autẽ ſequitur: *Abſque eo, quod intrinſecus latet*, perinde eſt, ac ſi dicat: Taceo quę multa latent ornamenta. Nam ſicut ſub fragmine mali granati plurima latent grana ſaporis dulciſſimi, ita ſub verecũdia ſancta multiplex latet virtutum ornatus. Has quippe virtutes ſpóſa, vel anima iuſta occultat, ne videantur ab hominibus. Rurſus quanuis multa operetur, parua videntur ei omnia: cóſiderans quantum debeat tali ſponſo, tamque magnifico largitori. Necnon cum Pſalmographo clamat: Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi? Item iuxta conſilium ſponſi, poſtquam omnia præcepta Dei adimplet, ait: Ancilla inutilis ſum, quod debui facere, hoc feci. Veh autẽ animæ miſeræ, quæ verecũdiam poſthabuit, quæ palàm ſcelera patrare non erubeſcit. In quam Dominus inuehitur: Frons meretricis facta eſt tibi, noluiſti erubeſcere. Profectò ſicuti ſub verecundia virtutum multitudo latet, ſic quiſquis frontem meretricis habet, delicta penè innumera poſſidet. Pro iis orabat Dauid dicens: Confundantur, & conuertantur valdè velociter. Et iterum: Confundantur, & reuertantur retrorſum. At contrà anima pia erubeſcit coram ſponſo ſuo: & quanuis multa laude digna ope-

Notã.
Matth. 19.
Pſal. 115.
Lucæ. 17.
Iere. 3.
Pſal. 34.
Pſal. 128.

retur ,quotidie cum Dauide ait: Ecce nunc cœpi. Et exemplo Pauli, poſteriora omnia, ideſt,præterita bona obliuiſcens, ad anteriora ſe extendit, & ad maiora mittit manum. I E S V bone, quàm decorat, & venuſtat ſponſam tuam verecundia ſancta! Nam ſicut corporis, ita & conuerſationis genæ ſunt quædam, in quibus nihil eſt eo gratiùs, vt ſi operum omnium habitus humilitatem redoleat, ſi plus quis occultet in corde, quàm oſtẽdat in facie. O bonæ genæ, quæ ſicut nil fingunt, ſic nec totum effundunt, quæ minùs prætendunt in ſpecie, quã tenent in virtute.

Religiones ſanctæ ſunt. Poſtremò, de vnaquaque religione obſeruãti ſponſus inquit: *Sicut fragmen mali punici genæ tuæ, abſque eo, quod intrinſecus latet.* Quandoquidem in religione, non modò venuſtas apparet externè, per ceremonias laudabiles, quippeque internam mortificationem, & mundi contemptum ſubindicant, ſed quamplurima deliteſcũt, quæ dumtaxat occulis Dei pateſcũt. Nónne velut fragmen granati paupertas in victu & veſtitu, & in auſteritate religionis elucet? Candor caſtitatis, feruor charitatis, quid aliud quàm grana pulcherrima ſub cortice mali punici ſunt? Bonum eſt, nos hìc eſſe (ait ſanctus *S. Ber.* Bernardus) quoniam in religione homo cadit rariùs, ſurgit velociùs, moritur confidentiùs. Ecce triplex bonum quod maxifacere debemus. *Abſque eo quod intrinſecus latet*: ac ſi dicat: Si homines cognouiſſent, quibus delitiis religio exuberat, ſi deguſtaſſent, quanta ſit dulcedo in perſoluendo laudes Deo, diu noctuque, quantaque ſit ſuauitas in frequenti oratione & contemplatione aſſidua, facilè omnia detrimentum facerent, & nihilipenderent, vt religionis tranquillitatem, & pacẽ cæleſtem poſsiderent. En terra ſancta, à Deo optimo collau-

data,

data, & ſeruis ſuis promiſſa. Nempè terra hæc fluit lacte & mellæ: vti experimento agnoſcere poteſt, qui corde humili, & ſpiritu feruenti, in ea degere ſpontè voluerit. Apoſtolorum normam obſeruamus, eorum veſtigia vltrò ſectamur: obganiant hæretici, murmura iactent indeuoti aduerſus religiones, nam fruſtrà latratus emittunt. Mons pinguis eſt religio, mons coagulatus, mons pinguis, & omnium chariſmatum donis refertus, mons denique in quo beneplacitum eſt Deo, habitare in eo: & velint, nolint aduerſarij, Deus optimus in religione ſancta habitabit in finem. Cæterùm quàm humilis religioſus debeat eſſe in religione, ne in ſuperbiam dilapſus pereat, ſanctus Auguſtinus fuſiùs diſerit ſermone. 12. ad heremitas. Non vt Phariſeus ſeipſum decipiat, dicēs: Gratias tibi ago Domine, quia non ſum ſicut cæteri homines, ſed potiùs millies quotidie dicat: Vermis ſum ego, & non homo, opprobrium hominis, & abiectio plebis. Et de his actenus.

Religio terra ſancta eſt.

S. Augu. ſer. 12. ad heremitas.

SICVT turris David collum tuum, quæ ædificatur cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.

POST encomia ſponſæ, cuius genæ ſunt vt fragmē mali punici, vbi laudatur de rubore & verecundia, per quam peccata aliquando delentur, (nam in mari Rubro Pharao, & cunei eius perierunt. Verecundia poſt delictum patratum pœnitentiæ ſignum eſt, vt ait Philoſophus. Vndè Adamus poſt lapſum erubeſcēs arborum vmbrā quærebat,) nūc de fortitudine ſponſus laudat Eccleſiā comparans eā turri, quam in Sion rex Dauid ad cu

Gene. 3.

ſtodiam ciuitatis Hieruſalem fabrefecit. Proceritas cum rectitudine plurimum venuſtatis præſtat mulieri. Ait ergo: *Sicut turris Dauid collum tuum.* Quàm pulchrè ſancta Eccleſia collū dicitur, cui caput Christus adhæret. Ipſum Pater cæleſtis caput dedit Eccleſiæ, ait Apoſtolus. Et iterum: Ipſe eſt caput noſtrum, noſque membra eius. Enimuerò, vti caput in collum virtutem effundit, & deindè in omnia membra eadem virtus, & cibus difunditur: ſic de plenitudine Chriſti IESV, in quo ſolo eſt gratia capitis, omnes accepimus gratiam pro gratia. Hęc eſt mulier illa fortis, cuius pretium mirabile à finibus terræ. Mulierem fortem quis inueniet? planè nemo niſi ſponſus Chriſtus, qui eam ſic adamauit, vt traderet ſemetipſum pro ea: ſic ornauit, & cruore roſeo ſanguinis ſui decorauit, vt nō amplius remaneret in ea macula nec ruga, vt exactè Apoſtolus docet. Hoc collū non iugo ferreo ſatanæ, ſed iugo ſuaui Chriſti ſubmittitur. Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue. Vę qui eò dementiæ deuenerūt, vt hoc ſuaui iugo poſito, quinque iuga boum emūt. O ſtulte homo, vnum iugum graue poſitùm eſt ſuper filios Adæ, & tu alia quinque emis? Vnum ſuaue Saluatoris proiicis, & tot iuga grauia toleras? Iugum graue ſuper filios Adæ, pronitas ad malùm, & difficultas ad bonum eſt. Rurſus, iugum hoc iniquitas eſt, qua teneris reus, ô miſer homo, & infirmitas, qua pronus ad vitia traheris. Eas ob res, vbi iam computruit iugum graue à facie olei, par eſt, vt tollas iugum Domini ſuaue. Equidem iugum hoc lex Dei eſt, quippeque non laborem, aut grauedinem, ſed pacem & requiem præſeferre ſolet. Collum ſuum ſponſa nō iugo peccati, ſed iugo leni, dulci, & vehemēter ſuaui impoſuit. Ideò vt turris, quia fortitudine magna roboratur. Agite vos fratres, & ſicut turris fortes eſtote, viriliter agite, & con

Ephe. 1. Colo. 1.

Prouer. 31.

Matth. 11.

Luce. 14.

Iugum Chriſti ſuaue.

Pſal. 26.

confortetur cor veſtrum: illud ob oculos habentes ſemper, & vbique: Quòd non coronabitur, niſi qui legitimè certauerit. Quòd ſi hactenus quis iugũ ſatanæ portauit, cum filio prodigo ad patrem reuerſus, anteacta delicta defleat, & pœnitentiam agat, & pater caput ſuum reclinauit ſuper collum eius, deôſculans eum. Reuerſus in ſe ille conditionem ſeruilem & iugum peccati dirupit, & ad parendum patri tam bene merito venit. Fœlix orthodoxus, qui vt turris Dauid fortis eſt, & in certamine inimicorum non ſuccumbit. Quique cum ipſo Propheta corde & ore clamat: Fortitudinem meam Domine ad te cuſtodiam: tibi cui omnia quæ habeo, & quicquid ſum debeo, tibi non alteri inſeruiam, quoad vixero. Et notandũ, quòd eam nunc laudat ſponſus de ſublimitate, quã paulò ſuperiùs de humilitate laudauit: *Abſque eo quod intrinſecus latet.* Meritorum laudes celare, humilitatis inſigne eſt. Et quia omnis qui ſe humiliat, exaltabitur: eam ob rẽ nunc velut turris exaltata atque fortis laudatur. Fieri non poteſt, vt turris in humilitate fundata diu abſcondatur. Apoſtolus Petrus clamat: Vos tanquam lapides viui ædificamini in domos ſpiritales. At ſponſa nõ contenta, etiã propugnacula adiungit. Quandoquidem ſacræ ſcripturæ dogmata vti propugnacula ſunt, ex quibus ſancta Eccleſia contra inimicos, qui eam pro ſua virili infeſtare conantur, audacter decertat. Contra nefandum Arriũ negantem diuinitatem ſponſa pugnat, quaſi in propugnaculum aſcendens, illud Ioannis recenſens. Deus erat verbum, Hoc erat in principio apud Deum. Et iterum: Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis. Ex hoc propugnaculo Manicheum procacem profligat ſponſa, qui temeraria audacia verum hominem Saluatorem fore negauit. Denique Sabellianam hæreſim explodit, ex pro-

2. Timo. 2. *Lucæ. 15.* *Pſal. 58.* *Lucæ. 14.* *1. Pet. 2.* *Ioan. 1.*

pugnaculo illo, quod nobis ſpōſus ædificauit: videlicet: Ego & pater vnum ſumus: vbi vnitas eſſentiæ, & perſonarum trinitas oſtenditur. O turrim fortiſſimam, in quã nil proſſunt infidelium aut hæreticorum iacula: dicente Do-

Matth. 16. mino: Portæ inferi non preualebũt aduerſus eam. Enimuerò ædificata eſt turris hæc ſuprà firmam petram: adeò vt nec pluuiæ, nec venti, aut flumina aduerſus eam quicquam poſſint.

Nota. Quidam propugnacula Eccleſiæ prælatos & doctores eius eſſe dixerũt. Quoniã ſtatim vt ſatanas ſuos falſos prophetas ſuſcitat, paſtores & prædicatores inſurgũt, verbis & ſcriptis impoſturas eorum labefactantes, vt de diuo Hieronymo, beato Auguſtino, Baſilio & Chryſoſtomo, aliiſq; pluribus legimus. Nec defuere hac noſtra tempeſtate viri doctiſſimi, qui zelo ſancto freti contra hæreſiarcas certarunt. Alij propugnacula, ex quibus mille clypei pendent, exempla ſanctorum vocant: quibus nos tutamur contra ſagittas diaboli ignitas, qui nullũ non mouet lapidem, vt nos in tentationibus euincat. Bonus clypeus Abrahę obedientia, qui filio ſuo dilecto Iſaac non pepercit, quominus in faſtigio montis Deo optimo ſacrificare non dubi-

Iob 1. tauit. Optimus clypeus Iob, qui poſt tot calamitates, filiis & ſalute orbatus, gratias egit Domino dicens: Sit Dominus benedictus. Nónne ſcutum pluſquã æneum patientia Petri & Pauli, omniumq; Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, & Virginum? horum virtutes & merita in Eccleſia ſancta tanquã clypei aurei ſeruantur, quò iis freti, fideles de inimicis ſuis triumphare queant. Quid quod Apoſtolus vnum ſcutum in quibuſuis certaminibus cō-

Ezech. 6. moneſecit aſſummere? In omnibus aſſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela inimici igne extinguere In quo vno mille clypei noſtri includuntur. Nam per fi-

dei.

dei deuotionem clara geſta patrum contemplamur,imitamurque.

Omnis armatura fortium in hac turri munitiſſima eſt. Hæc proculdubio armatura charitas eſt, de qua Apoſtolus ait: Accipite armaturam Dei,vt poſſitis reſiſtere in die malo,& omnibus perfecti ſtare.Sciebat namque Apoſtolus quòd multis retro ſeculis Salomonem ſcripſerat.Fortis eſt vt mors dilectio. Vultis palam agnoſcere,quàm ſit armatura inuincibilis charitas,auſcultate obſecro: Charitas patiens eſt,benigna eſt,non æmulatur,non agit perperam,charitas nunquã excidit.Ecce omnis armatura, qua omnes athletæ Dei roborati,hoſtilia bella vicerunt, & ſatanam & cuneos eius potenter ſuperarunt. Vndè ſanctus Gregorius inquit: Collum quippe extendimus, quando lõgius proſpicere volumus. Propter aliud ergo ſancti prędicatores oculi,propter aliud dentes,propter aliud collũ dicuntur.Procul venientes hoſtes Eccleſiæ ipſi ſpeculantur,& fortiter reſiſtunt,atq; liberè terrena deſpicientes,cæleſtia contemplantur.Collum ergo propter hoſtium ſpeculationem,turris propter fortitudinem, quæ turris benè Dauid eſſe dicitur.Dauid manufortis interpretatur,&hic eſt Chriſtus Dominus fortis & potens, Dominus potẽs in prælio. Ephe.6. Cantic.8. 1.Cor.13. Pſal.23.

Sũma: Nos fratres,qui in hac ſancta Eccleſia viuimus, quæ turris munitiſſima eſt,infracto animo aduerſus technas,& tendiculas diaboli,mundi & carnis certemus. Ne fortè ſi oſcitãtes fuerimus, in prælio hoc ſuccumbamus. Manu fortis Chriſtus ſuo præſidio nos adiuuat. Nam ſi turris Dauid ſumus, nihilominus labor noſter non deſit: nam teſte Paulo, coadiutores Dei ſumus. Cuius vox ea eſt: Vigilate & orate, ne intretis in tentationem:ideſt, ne tentatione illaqueati pereatis. 1.Cor.3.

DVo vbera tua, ſicut duo hinnuli capreæ, qui paſcuntur in liliis, donec aſpiret dies, & inclinetur vmbræ. Hebraicè. *Qui paſcuntur in violis.*

DVO vbera ſponſæ duas tabulas legis eſſe dicunt Hebræi. Verùm duæ tabulæ illæ ſigna fuere duorum teſtamentorum, veteris & noui. Et ſatis benè vt duo vbera ſunt: ex quibus lac ſuaue ſcaturit, quo homines nutriuntur & educantur in vitam æternam, iuxta illud: Si
Matth.19. vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. Vt gemelli capreæ ſunt, eiuſdem proportionis, & menſuræ: nam ambæ tabulæ lapideæ erant: & in vtraque de dilectione erat ſcriptũ, quomodo Deus diligendus eſſet, & proximus. *Paſcuntur in violis, vel liliis* ob bonum odorem. Nam quicquid docent duo teſtamenta, virtutem præſeferunt, & puritatem
Pſal.18. amare edocent. Quo attinet illud: Lex Domini immaculata conuertens animas, teſtimonium fidele, ſapientiam præſtans paruulis. Equidem omnes fideles, tanquam gemelli, ab his vberibus quotidie lactis doctrinam candidiorem niue, & omni melle ſuauiorem, ſuggimus. Lac
1. Pet. 2. concupiſcite, vt in eo creſcatis, ait ſanctus Petrus. Procul dubio audientes doctrinam ſanctã mirũ in modum creſcũt, & virtutes omnes magis ac magis augentur. Et hoc ita erit, donec in hoc exilio commorantes, peregrini ſumus: aſpirabit dies quando Saluator venerit, ſole ipſo ſplẽdidior, & illuminabit abſcondita tenebrarũ. Tunc ſanè vmbræ inclinabuntur, & fides ipſa euacuabitur, Apoſto-
S. Grego. lo teſte. Sanctus Gregorius pro duobus hinnulis prædicatores, qui ex ſynagoga, & ex Gentilitate ſurrexerunt, intelligit. Sunt gemelli, quia concordem fidem & charitatem

prædi-

prædicant,& ſimilia dogmata tradunt. *In liliis paſcuntur*, quoniam infatigabiliter munditiam ſectantur, donec in die iudicij commerita præmia ſuſcipiant: quippeque in labore noctis contemplantur.

Mira res,ſatis & miranda:turris vocata eſt ſponſa, & ſtatim vbera eius laudantur,& gemellis aſsimilantur. Ratio quia fortibus & perfectis arma miniſtrat, vt inimicos infeſtatores arcere queant,& de illis victoriam ſumere. Et paruulis lac doctrinæ porrigit, vt potè mater pia in educatione filiorum ſuorum vehementer ſolicita. Hæc vt caprea alta petit,& viſu perſpicaci æterna,atque bona inuiſibilia contemplatur. Vndè refecta delicatè cæleſtium ſuccis herbarum,diſtenta vbera iterato ad paruulos, qui lacte indigent,non eſca,reportet. Videte matrem filios ſuos lactantem. Facti ſumus ſicut paruuli in medio veſtri, quomodo ſi nutrix foueat filios ſuos. Ecce duo hinnuli gemelli,quos Apoſtolus lactat,alter ex circuncifione, alter ex Gentibus conſurgens. Mirabile dictu, quomodo vtroſque nutrit. Omnibus omnia factus ſum,vt omnes lucri faciam. Omnibus omnia factus eſt,pro audientium capacitate,& præcipiens moralia,& differens myſtica. Demiratur vir iuſtus Iob,& ait: Quis dedit ſcientiam gallo? Nempè Deus optimus prædicatori oranti dat ſcientiam loquendi,ſecundum audientium captum, vbi vel maximè prudentia opus eſt. Væ qui ſuperbia turgidi erubeſcunt lactare paruulos,& alta atq; ſubtilia texêtes, ſeipſos prædicant,non Chriſtum IESVM. Tales, ni fallor, non humilitatis magiſtrum ſectantur,qui per Eſaiam ait: Ego Dominus docens te vtilia: ſignanter ait vtilia,& quæ proficua ſunt,non autem ſubtilia, quæ dumtaxat ad iactantiam conducunt. Itaq; ſancta mater Eccleſia, veluti duos gemellos duos populos alit,eodem lacte, eandem fidē,

Nota.

1. Theſ. 2.

1. Cori. 9.

Iob. 38.

Eſai. 48.

eandem charitatẽ,& ſpem vtriſque propinãs, nunc do-
ctrinã cæleſtem,nunc ſacramẽta ſacroſancta eis largiens.
Eccleſiæ vni-tas. Caprea vna filios hoſce habet:quoniã vna eſt colũba ſpõ
ſi,vna perfecta illius, quæ Romana Eccleſia appellatur
Quid quod inter lilia paſcũtur gemelli iſti ſignificat? Pla
nè ſancti in patria cãdentia lilia ſunt,& inter beatos viros
habitamus, dũ eorũ gaudia, diuitias & delitias,quamuis
à longè odoramur. O quàm pulchrum lilium virgo be-
nedicta Deipara Maria!quã vernãs flos Petrus, Paulus &
omnes ſancti,qui gloria cæleſti in ſidereis mãſionibus ha
bitantes fruũntur! In iis liliis nunquã marceſcentibus paſ
cua noſtra quęramus,quãdiu in vmbra fidei viuimus,vt il
luceſcẽte die illa optata ęternitatis,efugatis iã vmbris,luce
vera,qui Chriſtus IESVS eſt,cũ Angelis potiri valeamus.
Summa. Duo vbera ſpõſę, vt duo gemelli capreę ſunt,qui paſcũ-
tur in liliis: hoc eſt,ſancta Eccleſia vtroq; teſtamento dita
ta,doctrina cæleſti duos populos lactat.Quiq; in liliis pa
ſcuntur,vbi ſanctorũ gloriam iugi contemplatione conſi
derant,fragrant quidem inſtar liliorũ, odorem omnium
virtutum emittentes:quò patientiam,caſtitatem,& chari
tatẽ illorum imitemur.Veniet dies,& vmbræ deliteſcẽt:
nam cũ venerit,quod perfectum eſt,euacuabitur , quod
ex parte eſt.Interim lacteũ cibum Eccleſia largitur ſuis fi-
1.Cor.3. liolis,cũ Apoſtolo clamans:Tãquam paruulis in Chriſto
lac dedi vobis,nõ eſcã.Et rurſus: Nihil arbitror me ſcire
inter vos niſi Chriſtũ,&hũc crucifixũ.Quibus verbis pręlatos,&prędicatores vel maximè erudit:vt aſsiduè,de glo
rioſa Chriſti IESV morte ediſſere pro virili ſua, ſtudeãt.

V*Adam ad montem myrrhæ, & ad collẽ thuris.*Hebraicè. *Ibo mihi ad montem myrrhæ,& ad collem thuris.*

VOX

VOX hæc ſponſi eſt, qui ſic ait: Ibo mihi in templũ, quod ędificatum eſt in Hieruſalem in monte Moriah. Per myrrhã alluſit ad nomẽ ipſius montis Moriah. Per collem thuris, eundẽ montem indicat: nã in eodem mõte ædificatũ eſt templum, quod propter aſſidua ſacrificia collis thuris iure appellatur. Et notanter inquit: *Ibo mihi*, ideſt, meo beneplacito. Et per hoc quod dixit nuper: *Donec aſpiret dies & inclinentur vmbræ*: datur intelligi, quòd nõ longo poſt tempore, ſed mox Chriſtus IESVS ſalus noſtra venturus erat in tẽplum ſuum: quẽadmodũ vaticinatus fuerat Malachias: Statim veniet ad templum ſuũ dominator, quẽ vos quęritis. Hîc ſanè quã diligat ſpõſus ſuã dilectã Eccleſiam, quamq; magnã curam gerat erga eam, palàm eſt. Pollicetur quidẽ, eam nunquã deſerere, ſed ſępè ſępius illã inuiſere ad finem vſq; ſęculi. Quo pertinet illud, quod ore ſuo ſacro deprõpſit: Vobiſcum enim ſum, vſq; ad cõſummationẽ ſeculi. Et rurſus: Nõ relinquam vos orphanos, veniã ad vos. Eſt profectò Eccleſia mõs myrrhę, & collis thuris. Mõs eleuatus in ſublime eſt, æthera penetrans, per fidem, charitatem, & ſpem, quibus velut mons ſuper omnes cęlos aſcendit. Myrrhã profert pœnitentiã agẽs, qua carnis lenocinia, & effrenes motus cohercet. Vndè infrà dicet: Manus meæ plenę ſunt myrrha. Mons myrrhæ eſt, quia paſsionum amaritudine exercetur, & probatur, dicente Apoſtolo: Tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio ſpem, ſpes autem non confundit. Notanda ſeries harum virtutum: nam ex tribulatione, patientia, ex patientia probatio, ex probatione ſpes ſancta oboritur. O cathenam auream, votis omnibus deſiderandam. Sanè qui calamitatem fugit, aut egrè fert, is omneis haſce virtutes horret. Rurſus, collis thuris eſt ſponſa ob aſsiduas

Nota. Malachi. 3. Matth. 28. Ioan. 14. Canti. 5. Rom. 5.

oratio-

orationes,& precationes,quæ mirabilem fragrantiam no
ctu diuque emittunt,& in altario cordis thura benè olen
tia Eccleſia ſponſo offert. Vndè in Pſalmo legimus: Aſcē
Pſal.140. dat oratio mea,ſicut incenſum in conſpectu tuo. Et quā
gratus ſit orationum odor coram ſponſo, ipſe oſtendit,
vbi ait: Odor veſtimentorum tuorum, ſicut odor thuris.
Vel mons myrrhę Eccleſia dicitur, propter perfectos in
ea habitantes,qui propter virtutes egregias montium no
men ſortiuntur. Huc pertinet,quod de Meſsia Eſaias vati
cinatus eſt: Erit in nouiſsimis diebus præparatus mōs do-
Eſai.2. mus Domini in vertice montium,& eleuabitur ſuper col
les,& fluent ad eum omnes gentes: hoc eſt,tempore præ-
ſtituto Meſsias veniet, quippe qui ſuper omnes ſanctos
exaltabitur,ita vt homines eius præclara opera videntes
clamēt: Propheta magnus ſurrexit in nobis: & quia Deus
Lucæ.7. viſitauit plebem ſuam. En montes & colles prophetæ, &
ſancti vocantur, & Saluator in vertice eorum eminet,
quia Dominus Sāctorum & Prophetarum eſt. Denique
in Eccleſia viri minus perfecti collis thuris nominantur
eo quod orationi potiſsimè incumbant,quamuis ſcien-
tia candidati non ſint,& alios inſtruere non valeant. De
Matth.18 quibus Saluator ait: Nolite contemnere vnum ex puſil-
lis,qui in me credunt: Amen dico vouis,quod Angeli eo
rum ſemper vident faciem Patris, qui in cælis eſt. Ecce
quanti faciat Dominus eos,qui in ſe credunt, quamuis
puſilli habeantur apud vulgus rude.

Quæſtio. Sed dicat quis, IESV bone, ſponſa te expectat, & in-
ter lilia paſcitur, tu verò aliò vadis? Quid mons myrrhæ
cum liliis? Quorſum non magis ad lilia proficiſceris?
Attendite, fortè lilia hæc nō ſunt aliena,nec longè poſi-
ta à monte myrrhæ, ſed magis oriuntur in illo. Ita res ha
bet, nuſquam pulchriora naſcuntur lilia, quàm in hoc
monte

monte myrrhæ, vbi carnis affectus mortificantur, verùm inibi lilia oriuntur pulcherrima. Itaque, ſicut ſponſa auidè inter lilia expectat, ita ſponſus ardenter properat ire. Notandum eſt verbum, quod ex Hebreo adduximus: *Vadam mihi ad montem myrrhæ.* An ideò ſibi ipſi vadit, quia ad illam vadit. Non ſolùm vado illi, ſed etiam mihi. Nec ipſa ſola gaudium capit de meo aduentu, ſed ego viciſſim alacritate nimia afficior. *Vadam mihi*, quoniam mihi valde dulce, & nimis iucundum eſt, quòd ad illam vado. *Ad montem myrrhæ vadam mihi*, nam ex eo fragrantia ſuauis mihi ſpirat, ideò vado odore illectus. Et vt vno verbo omnia dicam: Deliciæ meæ cum filiis hominum. Fœlix ſanè anima, quæ ſic mõs myrrhæ eſt, vt mortua mundo, & peccato, vita eius abſcõdita eſt cum Christo in Deo. Cum myrrha Magi venerũt ad IESVM, & eũ adorarunt: nos cum pœnitentia vera Chriſtum IESVM quęramus, & eum inuenientes, adorabimuſq;. O montẽ myrrhę fœlicẽ, in quo Deus habitat, habitabitq; in finẽ.

Notā. *Prouer. 8.* *Colo. 3.*

TOta pulchra es amica mea, & macula non eſt in te. Hebraicè. *Tota pulchra es ſocia mea, &c.*

SENSVS eſt: Cùm venero ad montem Moriah in Hieruſalem, redempta per me, eris tota pulchra, & adeò pulchra, vt nulla ſit in te macula. Quod quidem vel maximè ad nouam Eccleſiam congregatam ex Hebræis & Gentibus pertinet. Hæc videtur concluſio eorũ, quæ paulò ſuprà dixerat, cùm de oculis, capillis, dẽtibus, genis, labiis & vberibus ſponſam laudaret. Nũc verò nollens deſcẽdere ad particularia, totam pulchrã eam dicit. Ac ſi dicat: Quicquid in te eſt, ſpecioſum apparet, & amabile.

Ephe.5. bile. Alluſio eſt ad illud Pauli: Chriſtus dilexit Eccleſiã, & tradidit ſemetipſum pro ea: vt exhiberet ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiuſmodi, ſed vt ſit ſancta, & immaculata. Sanè ſingula verba ſingulam habent emphaſim. Cæterùm cùm ſuperiùs ſponſa dixerit: *Nigra ſum*, quorſum nunc ſponſus ſine macula eſſe aſſerit? Verùm non ſolùm de Eccleſia triumphante verbum hoc dictum eſt, de qua Ioannes

Apoca.21. in Apocalypſi dicit: Ciuitas illa aurum mundum ſimile vitro mundo, ſed etiam de militante Eccleſia iure optimo eſt dictum, *Macula non eſt in te.* Ratio, quia per mortem Chriſti in hac vita cuncta ſcelera quamlibet grauia expiantur: & quia ſponſus mirabilem medicamen, quod nobis reliquit, conſiderat, pulchram eam appellat & ſine

Pſalm.50. macula. Lauabis me (dixit Propheta) & ſuper niuem dealuabor. Eccleſia, quæ niue candidior per ſanguinem Chriſti efficitur, pulchra dicitur, & ſine macula eſt. Vel ſic: Tanto affectu Saluator deamat ſuam Eccleſiam, vt diſſimulet eius deffectus. Sic de Iacob, qui Liam oculis lipam amabat, legimus. Sic planè pulchritudo, quæ in Eccleſia eſt Chriſtum afficit, ideſt, in electis deſtinatis ad vitam æternam: vt non poſſit eius benignos oculos ab Eccеſiam auertere, deformitas omnium reproborum, & ſi in numero fidelium perperam viuant, neque & macu-

Prouer.24. læ cuiuſuis iuſti, qui ſepties in die cadit, & reſurget, efficere valent, vt ſuam Eccleſiam faſtidiat, aut veluti exoſam habeat. Exemplo nobis ſit diuus Petrus, qui ter negauit magiſtrum optimum: nihilominus Dominus eum reſpexit, & cõfeſtim foras egreſſus lachrymis ſua delicta lauit.

Sed nũc de quauis anima ſancta ſponſus clamat: *Tota*

Nota. *pulchra es amica mea, & macula nõ eſt in te.* Bis ante hac pulchrã vocauit animam, quæ Deo ſeruit, mundo renũciat,

& Sal-

& Saluatorē toto amat pectore, at nunc iam tertio nonnihil ſubnectit perfectionis dū ait: *Tota pulchra es amica mea.* Itaque aliis in locis non deffinitè determinat, quòd ex integro pulchra ſit, ſicut nunc. Sed quo modo non tota pulchra in quam lucis æternæ candor immenſus emanat? Benè profectò tota pulchra, & ſuper pulchra eſt, in quam vberi illapſu ſe ſe tranſfundit omnis pulchritudo Domini. Species eius in nubibus cæli. Verùm anima, vti nubes lucida iuxta ſolem, valdè pulchra eſt, in oratione, & contemplatione poſita. Planè tunc ſol intelligentiæ illuminat eam, & intellectum eius mirabiliter illuſtrat ſponſus. Quid quòd per pœnitentiam quotidianam pulchra ſit anima, tamen dum bona operatur, & ſe vilipendit, tūc tota pulchra dicitur, quia macula ſuperbiæ in ea non eſt. O fœlix anima, quæ omnia ſummi numinis ſeruans, cum Dauide concinit: Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam. Talis vt alter Ioſeph Domino ſuo fidelis eſt, nollens tangere vxorem Domini ſui, etiam ſi oporteat mortem opetere. Nónne Deus optimus ait: Gloriam meam alteri non dabo? Ecce quantopere diligat gloriam ſuam. Eſt ergo anima tota pulchra, dum rectè viuēs, nihil elationis in ea locum habet. Et hoc mirabile eſt valdè, quia ſtellæ cæli in conſpectu Dei non ſunt mundę, nec infans vnius diei, etiam ſi dixerimus, quòd peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt, attamen tam eſt efficax pœnitentiæ antidotum, & tanta eſt virtus feruentis orationis, vt ſponſus Chriſtus totam pulchram nominet animam ſanctam. Iuſtus autem ex fide viuit. Vnde Sanctus Gregorius: Quamuis mox vt peccat, à iuſtitia deuiet iuſtus, tamen dum ſemper credit in eum, qui iuſtificat impium, aſſiduè ſub eius fide peccata ſua deflet, per aſſiduas orationes iuſtitiam

Eccleſ. 43. *Pſalm. 113.* *Eſai. 42.* *Iob. 15.* *S. Gregor. in Cantica.*

ſuam retinet. Atqui, blandimenta huiuſmodi non tàm videntur indulgentis, ſed diligentis, ſed admirantis. Vndè vehementer oblectatus ſponſus pulchritudinem ſponſæ ſuæ præſentiam eius optans inquit.

VEni de Libano ſponſa mea, veni de Libano, veni coronaberis, de capite Ammana, de vertice Sanir, & Hermõ, de cubilibus leonũ, de montibus pardorũ. Hebraicè. *Mecũ de Libano venies, mecũ de Libano venies, ſponſa mea, reſpicies à capite fidei, à capite Senir, & Hermon, de habitaculis leonũ, de montibus pardorum.*

PERGIT ſponſus cum bonis, quæ nunciauit, vẽtura ſponſæ admiſcere mala, Babylonicam videlicet captiuitatem. Quod tamen ne egritudine aliqua cantum, quod lætitiæ eſt, contaminet, non palàm, ſed clanculum, & per inſinuationẽ facit. Tẽperatq; rem fœliciſsimo ſuo comitatu, quem ei pollicetur dicens: *Mecũ de Libano ſponſa, mecum de Libano venies.* Perinde dicat: Cùm opus fuerit, propter tua peccata te migrare de Libano, hoc eſt, de terra Iſraël, in qua eſt mons Libanus, & ire in Babylonem poſt regem Nabuchodonoſor, veniens mecum, & ego tecum proficiſcar, nec derelinquam te, toto captiui-
Pſalm. 90. tatis tempore. Huc pertinet illud Pſalmi: Clamabit ad me, & ego exaudiam eum: cum ipſo ſum in tribulatione,
S. Theodoritus. eripiam eum, & glorificabo eum. Vbi ſanctus Theodoritus: En fructus ſpei collocatę in Deo. Liberabo clamantẽ ad me (ait Dominus) & ex inſidiatoribus quibuſuis viſibilibus,

bilibus,& inuiſibilibus illum protegam, mea ſpe munitũ, ipſumq; loquentem audiã. Et ſi in aliquam inciderit tentationem vnà ero, & idoneam conſolationem afferam. Eripiam eum,& glorificabo eum,ideſt,non modo à grauioribus rebus ipſum liberabo, verum etiam illuſtrem faciam. Ecce populus Iſraël in calamitate magna clamabat ad Deum, iuxta illud: Clamauerunt ad Dominum cùm tribularentur, & de neceſſitate eorum liberauit eos. Verum beneficium ingens Deus promittit, tàm vnicuique viro iuſto,quàm populo ſuo,dum ait: *Veni mecum de Libano*, ideſt. Neutiquã in tribulatione te deſeram,& tandem glorificabo te ſponſa mea, cùm reuerſa in terram tuam rex Cyrus tot diuitiis & libertate donaberit te. Ideò ſequitur in textu: *Reſpicies à principio fidei*, ideſt, reuerſa fueris de Babylone,quando ego ſum reuerſurus ad te proprio ore oſculandam,reſpicies,& conſiderabis,quę merces magna fuerit in opere tuo,à principio fidei patris tui Abrahæ,de quo ſcriptum eſt: Credidit Abrahã Deo, & reputatum eſt ei ad iuſtitiam. Et quæ merces tibi,ex eo quia ſequuta es me in deſerto,& ingreſſa es caput montis Senir,Hermon. Sub hæc, *reſpicies*, quæ merces tibi, *de abi taculis leonum*, ideſt, duorum regum, Seon regis Ammorreorum,& Og regis Baſan. *De montibus pardorum*, hoc eſt, velociſſimorum & fortium virorum, cum quibus mihi obſequens ingreſſa, debellaſti eos. De qua parta victoria teſtimoniũ mirabile extat Numerorum. 21. Et ad hunc ſenſum reſpexit latinus interpres, qui vertit, *coronaberis de capite Amana*, ideſt, à principio fidei patris tui Abrahæ, vti explicauimus. Græcè autem habetur: *Tranſibis à principio fidei*, ſed iam noſtram vulgatem tranſlationem ſequamur.

Pſalm. 90. Cant. 4. Geneſ. 15. Nume. 21.

Veni de Libano ſponſa mea. Per Libanum montem,qui

cæteris altior, fœcundior & amenior eſt, doctores intelligunt populum Iudæorum, qui per omnia terrarum climata primatum habuit, ſuo tempore, tùm ratione legis, quæ Deus ei dedit, tùm reſpectu miraculorum, quæ Deus optimus apud eum patrauit. Quamobrem in
Deut.4. ſuo Deuteronomio Moſes perſonuit: Non eſt alia natio tan grandis, quæ habeat deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt cunctis obſecrationibus noſtris. Significatur ergo in hoc excelſo monte Libano populus ille à Deo electus, quem vocat Saluator ad cognitionem ſanctæ Trinitatis: ita vt iam vulgus non modò vnum Deum, ſed etiam illum trinum in perſonis profiteatur. Per alios montes, quos ſtatim nominat, nationes variæ ſignificantur, quas etiam ſua gratuita dignatione ſpōſus accerſet ad eandem fidem, charitatem, & ſpem, ſicuti populum Hebræū vocare dignatus eſt. *Veni de Libano ſponſa mea.* Veni per fidem ſynceram, & charitatis deuotionem. Veni ſynagoga, quā ego olim tot beneficiis & ſignis inſigniui. Veni
Nota. ad lauachrum baptiſmi, vbi ſordes tuorum peccatorum depones, ita vt niue ipſa candidior euadas. Veni adora tuum verum Meſſiam & ſponſum, quem in ligno crucis eleuaſti: et quem inter prodigia, & illuſtria miracula patrantem non agnouiſti, nec adoraſti: in cruce pēdentem, & inter facinoroſos latrones exaltatū procliui genu adora. Et notandum, quòd primo Iudęos vocat, quia (vt diximus) primas tenebāt in toto orbe. Hinc gentium doctor
Roma.2. Paulus dixit: Gloria, & honor, & pax omni operanti bonum, Iudæo primū & Græco, ſiue Gētili. Itaq; Iudæo primo, quaſi ex debito, quoniā promiſſio Meſſię Iudęis facta eſt: Gētili autē ex gratia, eo quod nulla pręceſſerit pro
Rom.15. miſſio. Idq; pleniùs tractat Apoſtolus Romanis ſcribens. Quod autem non ſemel, ſed ter ſponſus dicat ſponſæ

veni,

veni, non myſterio vacat. Signat quidem verbi repetitio triplicem vocationem, quippe quæ ante legem per Patriarchas, ſub lege ſcripta per Prophetas, & ſub lege gratiæ per Chriſtũ & Apoſtolos facta fuit. Ij omnes ſynagogã vocarũt ad fidẽ Chriſti IESV, in quo vno ſalus totius mundi ſita erat. Huc tendit, quod Saluator noſter dixit in parabola de cœna magna, ad quam, qui inuitati fuerant, venire noluerunt. Eam ob cauſam, gentes vocatæ ſunt, ex quibus maxima Eccleſiæ pars conſtat. Vel de tempore gratiæ peculiariter intellegi poteſt. Vocati ſunt Hebræi per Ioannem Baptiſtam. Nam hic venit, vt teſtimonium perhiberet de lumine, & vt omnes crederent per illum, teſtante Ioanne Euangeliſta. Secundò vocantur Iudæi per Chriſtum IESVM: Quoties volui vos cõgregare, quemadmodum gallina congregat pulos ſuos ſub alas, & noluiſtis. En taxat eorum peruicatiam, & pertinatiam, & quidem rectè. Matth. 22. Ioan. 1.

Veni coronaberis. Mira res, ſolus rex gloriæ Chriſtus ſuos electos ad coronam æternæ fœlicitatis inuitat, & eos corona immarceſibilis gloriæ decorat, modò mandata eius opere compleant. Vndè Apoſtolus ait: Omnibus ſibi obtemperantibus factus eſt per paſſionem, & glorificatio nem ſuam cauſa ſalutis. Quod ſequitur, *de capite Amana, de vertice Sanir & Hermon. &c.* debet repeti verbum vocationis ſic. Veni ſponſa mea de capite Amana, veni de Sanir, & Hermon, & de ſummitate aliorum montium, qui ſunt in circuitu Libani, ſiue ad orientem, ſiue ad occidentẽ, ad meredianum, vel ad ſeptẽtrionem ſiti ſint. Ac ſi patenter dicat: Non tantũ electos meos voco, & ad ſalutẽ inuito ex populo Iudaico, ex quo natus ſum, vos etiã electi mei ex omnibus gentibus, populis & linguis, venite ad fidem, & agnitionem nominis mei. Ex erroribus venite Hebr. 2. Nota.

 ad veri-

ad veritatem,& pœnitentes coronam gloriæ æternæ ac-
2.Timo.4. cipietis.Bonum certamen certaui, curſum conſumaui,
de reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quã reddet
mihi in illa die iuſtus iudex.Ecce verba,quæ quotidie vi-
ri iuſti proferunt,non ſuis viribus,ſed Chriſti IESV me-
ritis fiſsi:quippe qui factus eſt nobis à Deo ſapientia,iuſti-
tia,ſanctificatio,& redemptio. Nolumus nunc lectorem
detinere de etymologiis nominum mõtium horum tra-
ctantes:ſat ſit ſcire,quòd mons Libani Hebræos, alij mon
tes gentes varias ſignificant, & vtroſque electos ſponſus
accerſet ad agnitionem fidei.Nullatenus acceptor perſo
narum Dominus eſt.

Cubilia leonum,& montes pardorum habitacula erãt
ferarum,quæ in iis locis habitabant.Vt intelligamus po-
teſtatem dæmonum quam tyrannicè exercebant ſuper
gentes infœlices,quæ ſub eorum miſera ditione degebãt
ante Chriſti IESV aduentum.At Saluatore nato, belluæ
iſtæ fugerunt,& fortis armatus,qui in pace atrium ſuum
poſſidebat,victus eſt,fortiore illo ſuperueniente,ceu Do-
minus de ſeipſo in Euangelio ſubindicat.

Summa. Vocat etiam ſponſus quamlibet animam piam, quæ
virtute ex alto freta,ferociſſimos leones, & pardos ſupe-
rauit:quæ etiam omnes montes, Amana, Sanir, vel Seir,
& Hermon,Domino patrocinante,cõculcauit, id eſt,o-
mniũ peccatorũ genera,generoſo animo ſuperauit. Hęc
de Libano aſcẽdit,quia ſcriptum eſt:Ij ſunt, qui venerũt
Apoca.7. ex magna tribulatione,& lauerunt,& dealbauerunt ſto-
las ſuas in ſanguine agni. Ecce de certamine cõſurgit co-
rona:quia non coronabitur,niſi qui legitimè certauerit.
2.Timo.2. Quid plura:Nõ ſunt condignæ paſsiones huius tempo-
ris ad futuram gloriam,quæ reuelabitur in nobis. Agite
fratres, de Libano aſcendite dealbati in ſanguine agni

immaculati, pœnitentiam agentes. Sic coronam margaritis fabrefactam accipietis, non palmę autem lauri floſculis contextam, vti Romani triumphantibus præbere ſolębant, vel corona illa inſtar fœni, quod priuſquā euelatur areſcet, & fumi in morem euaneſcit. *Coronaberis*, ait ſponſus. Iure caput triumphans de capite Amana coronatur: quia tentationum initium contriuit, & tribulationum vehementiæ non cedere voluit: iuxta illud: Beatus, qui allidit paruulos ſuos ad petram. Petra autē erat Chriſtus, in quo paruulos noſtros, cogitatus prauos frāgamus oportet: ne forſitam grandeſcant, & nos interficiant. *Pſal. 136.*

Per hos montes ſanctus Gregorius diuites huius ſeculi intelligit, quos Dominus humiliabit, & humiles ac pauperes ſpiritu exaltabit. Leones tyranni ſunt, qui ſanctam Eccleſiam perſequebantur, verumtamen conuerſi ad fidem coronas depoſuūt, ſpontè pœnitentiam agētes. Par di verò, qui maculas in cute habent hypocritas ſignant; quia vitiis ſuis virtutes aliquas admiſcentes hominū encomia aucupari conantur. De iis omnibus Eccleſia coronatur, quoniam per eius prędicationem, crudeles ad pietatem, & hypocritæ ad vitæ humilis vnitatem conuertuntur. Pro iis omnibus præmium magnum accipiet ſponſa. Cui iterum ipſe ait. *S. Grego.*

VUlneraſti cor meū, ſoror mea ſpōſa, vulneraſti cor meum, in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui. Hebraicè. *Vulneraſti cor meum cum vno monili colli tui.*

VERBA ſunt ſponſi, adhuc venuſtatem ſuæ dilectę ſponſæ laudantis. Quaſi diceret: Et ſi multa ſunt in te ſoror mea ſponſa, quę me alliciunt, & capiunt, &

adeò omnia maxima, vt quoduis eorum ſufficiẽs ſit, me in tuum amorem, & beneuolentiam rapere: quantò magis ergo me alliciunt omnia ſimul? Planè inter alia captus ſum, in vno oculo, vel monili tuo, hoc eſt, in vna tribu tua Iudæ, quæ ante alias tribus me dilexit: & ex ea, cùm ad te veniam, humanam carnẽ ſumpturus ſum.

Nota. Præterea fratres, vos obſecrò, vt toto pectore miſericordiam ſummi numinis omnes imploremus, quo verba tam mellita, tamque omni ſuauitate cæleſti referta, nedum exprimere valeamus, ſed quod plus ponderis habet, vt ea medullitùs internè ſentiamus, deguſtemuſque. Audeo aſſerere, quòd niſi quis amoris Dei ſagitta ſauciatum cor habeat, verba hæc intelligere nequibit: quin potiùs amanti mundum, & ea quæ mundi fallacis ſunt, vt parabola obſcura illi erunt. Ait ergo ſponſus amantiſ-

Cantic. 4. ſimus: *Vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa.* Sigillatim verba iſta expendamus: non enim fas eſt, raptim ea tranſire. Ecce magnitudo amoris, quem gerit Saluator ergà ſuam ſpõſam Eccleſiam: en profunditas dilectionis, quã verbis iis ſubindicare dignatus eſt. Ex cordis ſui intimo, & amore indelebili eam amat, ita vt illius nunquã poſſit, aut velit obliuiſci. Eam ob rem in corde ſe vulneratũ pro-

Nota. fiteri non erubeſcit. O rem mirabilem, & Angelis ipſis ſtupendam, veluti ſagittis amoris ardentiſsimi cor per foſſum geſtare ſe dicit. Enimuerò qui cor regis in bello vulnerat, is victoriam accipit, & regnum eius rapit. Ad eundem modũ qui amoris iaculo, & charitatis telo cor ſummi Dei ſauciauerit, triumphũ glorioſum adeptus, regnũ gloriæ æternæ ſibi vẽdicat. Planè de iis athletis robuſtiſ-

Matth. 11. ſimis Dominus ait: Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Qui ſibi ipſis violentiam inferunt, irã, inuidiam, & affectus prauos innatos coërcent: qui ſpe

bono-

bonorum cæleſtium tēporaria bona ſpernūnt:qui deniq; cū Apoſtolo ſeriò clamat:Omnia arbitratus ſum, vt ſtercora,vt Chriſtum lucrifaciā:ij profectò generoſo pectore ipſum regē regū vincētes,illius imperiū audacter rapiūt. Phil.3
Nónne latro in cruce ſua facinora vltrò profitens,& candorē vitæ Chriſti pendentis in ligno palàm annuncians, nec non & Saluatoris clemētiam ſuppliciter implorans, regis ſummi cor ſagitta amoris vulnerauit? Alioqui Dñs, tanquā victus,non ei cæleſte regnum polliceretur dicēs: Amē dico tibi,hodie mecū eris in paradiſo. Idque de beata Magdalena,quæ multū dilexit Dñm,dicendum,nemo dubitat. Lachrymis & gemitibus,velut acutiſsimis iaculis viſcera Chriſti I E S V ſauciās,audire meruit: Remittūtur tibi peccata tua,vade in pace. Quid hoc eſt, niſi dicere? *Vulneraſti cor meū ſoror mea ſponſa, vulneraſti cor meū*: viciſti inuincibilem,cuncti potentē ſuperaſti,nō armis ferreis, ſed ſingultibus & lachrymarum riuulis. Eam ob rē, tua eſt victoria,tuumque & cæleſte regnum : finitum eſt prælium , tranquilla ſunt omnia, vade in pace. Quæ quidem pax exuperat omnem ſenſum,& omnem intellectū. Luc.23. Luc.7.
Obſeruandum quòd non ſemel,ſed bis eadem verba repetit *Vulneraſti cor meum*:quod ideò ſponſus id fecit,vt facilius ſponſæ ſuadeat,tenatiuſque corde illius imprimat, quàm ſit ineffabilis magnitudo amoris in corde ſponſi ſui. Nec contemnenda eſt dictio illa,quā Græci ponūt dicētes:*Excordaſti me*,hoc eſt,cor meū rapuiſti, vel abſtuliſti. Amor hoc ſibi habet peculiare, vt cor amātis ad rē amatam trahat. Vndè in Pſalmo legimus: Diuitiæ ſi affluāt, nolite cor apponere. Et diuus Ioānes ait: Nolite diligere mundū,neq; ea,quæ ſunt mūdi:ratio, Nā trāſit mūdus & cōcupiſcentia eius. Dedit nobis hunc mundū, Deus vt eo vtamur,non vt fruamur. Ad filij Adæ contrà ſe habentes Nota. Pſal. 61. 1. Ioan. 2.

terre-

terrenis rebus frui volunt, æternis diuitiis poſthabitis, cũ nulla maior peruerſitas ſit, quàm frui vtendis, & vti fruendis, teſte diuo Auguſtino. Vetat ergo Deus, ne fugatia bona diligamus, ne vulnerent cor noſtrum, & à nobis illud auferant. Nam ſuapte natura, amor (vti diximus) transfert amantem in rem amatam. Hinc ſanctus Auguſtinus ait: Anima plus eſt vbi amat, quàm vbi animat. Et Plato penè eãdem ſententiam referens inquit: Amore captus, in corpore proprio mortuus eſt, viuit in alieno. Alludit ad hoc ſentẽtia illa Pauli, annotatu digniſſima: Viuo iã nõ ego, viuit autẽ in me Chriſtus. Ecce Chriſtus IESVS, quẽ maximopere diligebat, cor Pauli vulnerauerat, imò ab illo vitã & cor rapuerat. Vtinã nobis quàmprimũ donũ hoc contingeret, ita vt poſt hac nõ ipſi, ſed Chriſtus in nobis viueret. Fœlix & nimium fœlix ille, de quo verum foret, quod ſcriptum eſt, Ephraim vt columba ſeducta, non habens cor. Cæterum quòd ſponſus ſe vulneratum dicit, in vno oculorum, & in vno crine vel monili colli ſui, amoris teneritudinem notat, eſt quidem tantæ pietatis, & miſericordiæ, vt oculorum iactu & vno crine vulneretur. Hîc per vnitatem oculorum ſanctus Gregorius concordiam prædicatorum & prælatorum intelligit, in quã maximè gaudet ſponſus Chriſtus. Vndè Apoſtolis dixit: In hoc cognoſcent homines, quòd diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem inuicem habueritis. Quin & vbiq; nil magis eis cõmendat, quàm vnitatem, & pacem. Per capillos populus fideliũ intelligitur: quiq; dum in vna fide, & charitate vitã agit, mirabili gaudio afficit ſponſum Chriſtũ IESVM.

Vel in vno oculo vulneratur ſponſus, & in vno crine ſiue monili: quia in vita contemplatiua plus lætatur, quàm in actiua. Hinc de Magdalena Dominus dixit Marthæ: Turbata es erga plurima, porrò vnum eſt neceſſarium:

S. Auguſt. Plato. Gala. 2. Oſee. 7. S. Grego. Ioan. 13. Luca. 10.

Maria optimam partem elegit,quæ non auferetur ab ea. Capillus colli,ſiue monile aureum,obedientia mandatorum Dei eſt,ſine qua ſponſa placere Deo nequit. Vel vnus crinis colli vnica cogitatio eſt,& præcipua intentio, qua ſponſa laborat animas conuertere, & capiti ſuo Chriſto coniungere,collum corpus capiti coniungit. In hac gemina ſolicitudine dum ſponſa æterna contemplatur, & ſaluti animarum incumbit,amorem ſponſi ſibi vēdicat, & ad intima cordis eius penetrat. Prædicator.

Sed lubet iam de vnaquaque pia anima verba præaſſūpta lucidare. *Vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa, vulneraſti cor meum.* O tenerrimū,ô vehementer dulce cor,quod noſtris mouetur affectibus,ad rependendam viciſſitudinem dilectionis. O lapideum & quouis adamante durius cor,quod iis verbis charitate accenſis non emolliatur,ac vulneratur. Sororem vocat animam,vt agnoſcat neceſſitudinem,& ſponſam etiam eam appellat, vt viciſsitudinem amoris reddat ſponſo ſuo. Soror eſt,quia diuinæ cōſors naturæ:ſponſa eſt,quoniam in ſingularitatem aſſumpta perſonæ. O quantum amare oportet eam, quæ tantis affinitatibus fœderatā Chriſto ſe nouit. Diligamus Deū, quoniam ipſe prior dilexit nos: Ecce amor noſter,quantus quantus fuerit,non impenditur,ſed rependitur: debitus eſt,non gratuitus. Magna & violēta eſt charitatis vis, dum cor Chriſti vulnerare poteſt. Acutus, & efficax, & verè violentus affectus eſt, IESV bone,qui tranſfigere pectus tuum valet. O ſponſa benedicta,ô anima pia ne parcas obſecro, talibus telis ſponſum appetere. Aſpectibus piis,quaſi ſpiculis aſſiduè vtere: noli contenta eſſe dilectū vulnerare ſemel,ſed diu noctuque ipſum concide vulnere ſuper vulnus. Fœlix es,ſi ſagittæ tuæ infixæ ſunt illi,& amores tui militent in Chriſto, ſi oculus tuus defixus indeffeſ- Canti. 4. 2. Petri. 1. 1. Ioan. 4. Nota.

deſeſsè ſit in illo. O mirabile vulnus amoris, de quo virtus egregia egreditur. Tetigit mulier in firma fimbriam
Matt.9. Saluatoris, & ſtatim ipſe ſenſit de ſe virtutem ſanitatis exire. Quanto magis cùm cor eius non leniter tangitur, ſed vulneratur, gratiam emanare ipſe ſentiet? Reputa pre
Iob.16. cor illum quaſi ſignum ad ſagittam. Poſuit me pater (ait) tanquam ſignum ad ſagittam. Spicula vibra, oculos eleua, ingemiſce, ſuſpiria per aëra iacta, ecce in alto eleuatus eſt, in crucis ligno pendet, pro te vulneribus plenus, quæ ob amorem tui, ne dum patienter, ſed gaudenter paſſus eſt. Dic cum Dauide rogo: Oculi mei ſemper ad Dominum, quoniam ipſe euellet de laqueo pedes meos. Oculus tuus vnus eſt, ſi purus, ſi colūbinus fuerit: ſi amoris oculus eſt, in vnum Chriſtum tendat oportet. Cla-
Pſal.26. ma, & dic: Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini, omnibus diebus vitæ meæ. Atqui, ſicut vna eſt intentio, & vnus oculus, vnus ſit cri-
Pſalm.34. nis oportet: vnus cogitatus in mente. Iacta cogitatum tuum in Domino, & ipſe te enutriet. En non plures, ſed vnum cogitatum dixit: quia variæ cogitationes, vt crines diſperſi, viſum conturbant. Vndè ſcriptum eſt: Omnem
1.Pet.5. ſolicitudinem veſtram proiicientes in eum, quoniam ipſi cura eſt de vobis. Quid ni curam habeat bonus paſtor de ouibus ſuis: quippe qui, pluit ſuper bonos, & malos, ſuper orthodoxos, & Sarracenos, Turcas, & Hæreticos nomen ſanctum illius blaſphemātes? Dic obſecro, & corde & ore clama: Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco paſcuæ ibi me collocauit.

Sūma. Planè anima quę vulnerata charitate eſt, hæc vulnerat ſpōſum ardentiſſimis ſagittis amoris: cui blandiētis affectu ipſe loquitur, nę deficiat in tā præcellēti luctami-
Cant.4. ne amoris: *Vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa, vulneraſti*

cor

cor meū in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui. Nōnihil immorati ſumus chariſsimi, in expoſitione horum verborū, quæ vt ſagittas accutas, in corde noſtro geſtare frequēter nos oportet. Faxit optimus ſponſus, vt tāti amoris ſemper memores ſimus: alioqui ingratitudinis noxā euadere non poterimus. Et de violenta charitate, qua ſpōſi cor vulneratur hactenus.

Q Vàm pulchræ ſunt māmæ tuæ, ſoror mea ſponſa, pulchriora ſunt vbera tua vino! Hebraicè. *Quàm pulchri ſunt amores tui, ſoror mea ſponſa, quàm boni ſunt amores tui, pluſquam vinum!*

LAVDAVIT ſpōſa in initio huius epithalamij ſpōſum dicens: Meliora ſunt vbera tua vino. Nunc ſponſus retorquet eandem laudem in dilectam ſuam ſponſam, & ait: *Quàm pulchræ ſunt mammæ tuæ, ſoror mea ſpōſa, meliora ſunt vbera tua vino.* Miror planè, quomodo tanquam ebrius ſe habeat ſponſus, non vino, ſed charitate, & dilectione ſponſæ ſuæ. Ideò à laude illius nec deſiſtere poteſt. Equidem ſuprà vbera ſponſæ mirum in modū laudauit, nunc verò repetit commendationem. Sic contingit homini, qui valdè amat ſuam ſponſam, nam frequenter repetere ſolet encomia illius, quaſi ſatiari non valeat laudibus eius. Quàm pulchræ ſunt mammæ tuæ illę ſpiritales, quibus tuos lactas filios, quos mihi proginis: Verùm lōgè meliores ſunt vino pretioſo ac deffecato. Lac, quod ipſi ſugunt ex eis, omnem huius vitæ gaudium ſuperat. Itaque ſicut in vino, quod maximè palatum oblectat, & cor lætificat, vt in Pſalmo legimus, generaliter omne terrenum oblectamentum & ſolatium intelligitur: Nota.

ita

ita in lactæ doctrinæ ſanctæ, quod Eccleſia fidelibus exhibet, animas oblectat & exhilarat. Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua ſuper ori meo! Ecce regalis Propheta, qui experimento norat ſuauitatem verbi Dei, dulcedinem eius depingit hiſce verbis. Atqui ſanctus Gregorius, mammas ſponſæ, dicit, fore dilectionem Dei & proximi Quid per mammas conuenientiùs in hoc loco (ait) quàm dilectio Dei & proximi intelligitur? per quas mens ſancta omnes ſenſus ſuos ſuaui dilectione nutrit, dũ Deo ſuo charitatis tenacitate cõglutinatur, & proximis, ſiquid vtilitatis habet, quomodolibet libenter impendit. Notãdum, quod poſt continuationem & contemplationem exceſſus de conſolationis & doctrinæ vberibus contexitur. Dixerat paulò antè: *Vulneraſti cor meum ſoror mea ſpõſa, &c.* & ſubindè intulit: *Quàm pulchræ ſunt mammæ tuæ*: Ibi in vno oculorum, & in vno crine vulneratus eſt ſponſus, hîc non de vnitate ſed de pluralitate fit ſermo: quia varia debet eſſe vberum temperatura, & pro ſugentium qualitate diuerſa. Vndè Paulus Iudæis factus eſt Iudæus; & iis qui ſine lege erant, quaſi ipſe ſine lege, etiam infirmis infirmus: quia pietas ad omnia vtilis eſt, profeſſionem habens vitæ, quæ nunc eſt & futuræ. Hæc Apoſtolus magnopere commendat diſcipulo ſuo Timotheo. Vtinam perditi homines, qui ſe totos carnis lenociniis tradiderunt, dulcedinem hanc delibarent: profectò fel omnis peccati ſtatim abhorrerent. Etenim delectatio praua plus habet aloës, quàm mellis. Vndè Salomon ait: Extrema gaudij luctus occupat. Agite iam miſeri, venite ad vbera matris veſtræ, pœnitentiam ſequimini, vt ſatiemini ab vberibus cõſolationis veſtræ. Mira res: pulchritudinẽ mammarum laudat, & deindè virtutem, dum ait: *Meliora ſunt vbera tua vino.* Pulchritudinem pro ſe ſponſus cõmen-

Pſal. 118. *S. Gre.* *Canti. 4.* *1. Timo. 4.* *Prouer. 14.* *Eſai. 66.*

mendat, virtutem autem pro lactis doctrina. Dulciùs procul dubio ſugitur, vbi vita dicentis venuſtat doctrinam. Cæterùm, aliquando reſtringenda ſunt vbera, ne forſitã nimis exuberent. Imò purus & prudẽs ſit ſermo pro tempore. Accedat huc pietas, & pulchritudinis numeros teneat. Fugienda ſunt verba ſcurrilia: nam de omni verbo ocioſo reddenda eſt ratio, vt Saluatoris dogma nos docet. Nec eſt adulterandum verbum Dei, aut admixtione corrumpendum peregrina. Sat ſint duo illa vbera, quæ nos lactant, vetus & nouum teſtamentum: quanquã doctorum ſanctorum dogmata magni ſit eſtimanda. Infœlices hæretici, qui non ex his vberibus ſuaue lac accipiũt, ſed ex dæmonis doctrinis mendacibus bibentes, ſeipſos enecant. Obnixè oremus, vt Deus optimus ipſos trahat eoſque in obedientiam ſanctæ Romanæ Eccleſiæ conuertat. Matt. 12.

Quidam duo vbera ſponſæ compaſsionem temporalem & ſpiritalem dixerunt. De quibus Apoſtolus: Quis infirmatur, & ego non infirmor? & quis ſcandalizatur, & ego non vror? Ecce bifaria compaſſio, quam nos oportet habere, tùm de calamitate, quæ fratri noſtro imminet, tùm etiam de peccato, in quod ex fragilitate ſua incidit. Et quia compaſsio hæc vel maximè Deo placet, merito ait: *Quàm pulchræ ſunt mãmæ tuæ ſoror mea ſponſa.* 2. Cor. 11.

ET *odor veſtimentorum tuorum ſuper omnia aromata.* Hebraicè. *Et odor oleorum tuorum magis omnibus aromatibus.*

IN ſacra ſcriptura frequens eſt hic modus loquendi, vt per corporales res excellentiam ſpiritualium rerum intelligamus. Nam teſte Paulo: inuiſibilia Dei, per Roma. 1.

ea quæ facta ſunt à creatura intellecta, conſpiciuntur. Sic
Pſal. 118. in Pſalmo: Quã dulcia faucibus meis eloquia tua ſuper mel ori meo! Et alibi: Ideò dilexi mãdata tua ſuper aurũ & topazion. Nec non vt ſanctus Iob vbi inſigniter ſapiẽtiam commendat, variis rebus eam comparat ſecũdum earum præcellentiam: quæ res in maximo pretio haberi ſolent: Vt pote auro, obrizo, thopazio Ethiopæ, & tinctis Indiæ coloribus. Ad eundem modũ nunc ſpõſus ait:
Nota. *Odor vestimentorum tuorũ ſuper omnia aromata.* Tanquam diceret: Maior eſt gratia tua ratione chariſmatũ, virtutũ, & gratiarum ſpiritualium, quibus per Spiritum ſanctum interiùs vncta es, quàm ſi omnibus pretioſiſsimis vnguẽtis delibuta fores tota à capite vſque ad pedes peruncta. Quidam ad odorem bonæ famæ hoc referunt. Vndè Apoſtolus inquit: Bonus Chriſti odor ſumus in omni loco. En fragrantia, quam veſtimenta ſponſæ hac & illac emittat, ſalubre teſtimonium in cunctis operibus ſuis præbens, etiam eis, qui foris ſunt: Agite obſecro
Dogma. fratres, vt opera veſtra, quibus anima ornatur ceu veſtibus, thuris odorem habeant, quo alios ad benè operandum alliciant. Enimuerò, qui perperam agunt, non thuris fragrantiam, ſed ſulphuris fœtorem emittentes, ſuo iniquo exemplo alios enecant. Nónne cognoſcent omnes, qui operantur iniquitatem, quoniam deuorant
Pſal. 13. plebem meam, ſicut eſcam panis? O immanitatem diris plectendam ſuppliciis, paulatim ſummi Dei populum dilacerant, deuorant, atque prorſus conſumunt, palàm ſcelera ſua patrantes, abſque Domini timore. Notandum quòd impij, vt probè ſanctus Gregorius ait, aliquãdo habent aromata, quibus redolent: quia virtutes quaſdam poſsident, & bona opera perpetrant. Sed quoniam
S. Greger. in Canti. ſine charitate viuunt, in conſpectu Dei haud placent:

eam ob cauſam in iudicio extremo dicentes: Domine nónne in nomine tuo prophetauimus, & virtutes multas fecimus? Subindè audient iudicem iratum dicentem: Diſcedite à me omnes operarij iniquitatis, non noui vos. At contrà, iuſti, qui ex charitate opera ſua conficiunt, ſemper coràm Deo redolent: quam ob rem vocẽ illam omni mellita dulcedine ſuauiorem audient: Venite Patris benedicti, accipite regnum, quod paratum eſt vobis, &c. *Lucæ. 13.* *Matt. 25.*

Videtis fratres, quomodo ſine charitate aromata perfecta quis habere nequeat. Verùm charitas ipſa aſſeclas habet omnes virtutes, nam patiens eſt, benigna eſt: charitas non emulatur, nõ agit perperam. Et paulò poſt: Charitas nunquam excidit. Nempè ex charitate tanquam ex radice cæteræ virtutes odorem habent. Hinc de beata Magdalena aliud non legimus potiſsimè, quam eximiã dilectionem in Chriſtum. Dilexit multũ (ait Saluator) & ideò remiſſa ſunt ei peccata multa. Hinc lachrymæ, vnctio pedum Domini, & alia id genus dimanarunt. O quã bonus huius odor: cuius gratiâ veteris corruptelæ fœtorẽ penitus deleuit: hæc totam Eccleſiæ domum grata ſuauitate perfudit. Optimus inquam odor, qui cælos ipſos penetrauit, & non modo Angelos ipſos: ſed Angelorũ Dominum Chriſtum IESVM lætificauit. Nardus illa dedit odorem ſuum vehementer ſuauem, dabitque ad finem vſque ſeculi. O quàm bonum in ara pectoris Chriſti incẽdit aroma! Hanc mulierem fortẽ imitemur, ſcientes, quia tunc anima vnguẽto perfunditur, cùm Chriſti ſpõſi quẽ amat, copia potitur, & deſideria eius in dilectionẽ commutat. Aromata mihi videtur offerre, qui orat, & optat. Alioquin Pſalmographus non diceret: Aſcendat oratio mea ſicut incẽſum in cõſpectu tuo. Itaq; cũ cõdolet pro- *1. Corint. 13.* *Lucæ. 7.* *Pſalm. 140.*

ximo patienti mala, cùm gemit ſua & aliena delicta, cùm tandem ſubuenire omnibus cupit, & in omnibus virtutibus ſuauè olentibus exercetur: tunc ſuper omnia aromata odor vnguentorum eius in æthæra volat.

F*Auus diſtillans labia tua ſponſa, mel & lac ſub lingua tua: & odor veſtimentorũ tuorum ſicut odor thuris.* Hebraicè. *Dulcedinem deſtillant labia tua ſponſa: mel & lac ſub lingua tua, & odor veſtimentorum tuorum, ſicut odor Libani.*

VBI ſponſus laudauit ſuam dilectam Eccleſiam, tùm de virtutibus, tùm de operum bonorum fama quæ per vniuerſa mundi climata ſic volauit, vt etiam barbari tàm miro odore illecti ad ſacrum baptiſmatis fontem ſponte currerent: nunc de verbis eius & de odore veſtimentorum encomia depromit. Ait enim: *Fauus diſtillans labia tua ſponſa.* Quanta ſit ſuauitas in fauo, nemo adeò ſtupidus eſt, qui ambigat. Sapiens probè dixit: Breuis in volatilibus apis, initium dulcoris habet fructus illius. Ecce quaſi fons dulcedinis mel eſt, & inter omnes res ſuaues primas tenet. Exactè quidem labia ſpõſæ, fauo iugiter diſtillanti guttulas mellis ſuauiſsimi, quod nulla commixtione cum alieno liquore diſſutum eſt comparantur: imò purum & ſincerum in faui cellulis conſeruatur, ſicut apicula operoſa illic repoſuit. Ad eandem imaginem ſancta Eccleſia doctrinam puram ac ſinceram, minimè adulteratam, aut vllius erroris admixtione dilutam, filiis ſuis ſtillare per prædicationem aſsiduè nõ deſinit. Vndè cum Apoſtolo inquit: Non ſumus

Nota.

Eccleſ. 11.

ſicut

ſicut plurimi adulterantes verbum Dei: ſed ſinceritate, ſicut ex Deo, coram Deo in Chriſto loquimur. *2. Corint. 2.*

Mel & lac ſub lingua habet ſponſa. Nam quicquid docet, velut de fontis ſcaturigine limpidiſſima dimanat, dicente Domino: Non eſtis vos, qui loquimini, ſed ſpiritus Sanctus qui loquitur in vobis. Mel quidem profert perfectis, lac verò paruulis. Vndè Apoſtolus ait: Tanquam paruulis in Chriſto lac dedi vobis, non eſcam. At de hæreticis & improbis hominibus contrà: Venenum aſpidũ ſub labiis eorum eſt. Et in alio Pſalmo: Cuius maledictione os plenũ eſt, & amaritudine & dolo, ſub lingua eius labor & dolor. Cæterùm, quoniã ſuper omnem thuris odorẽ coram ſponſo Eccleſia fragrat, veſtimenta eius, ideſt, ſancta opera rectè odorifera dicuntur. Verùm fragilitas humana nuda eſt, niſi hiſce ornamẽtis veſtiatur. Alioqui erubeſcet corã ſponſo, vti de Adamo legimus. Par ergo erit, vt abiiciamus quàm ptimùm opera tenebrarum, & induamur arma lucis, ſicut in die honeſtè ambulemus. Sic nos admonet Paulus. Et poſt pauca: Induimini Dominum IESVM Chriſtum: hoc eſt, per bona opera illum nobis mereamur, ipſumq́; glorificemus. Rurſus: thus cultui diuino peculiariùs præ cæteris aromaticis rebus erat conſecratum. Et ſicut thus igne crematũ gratiſſimum ſurſum mittit odorem, ita bona opera, igne charitatis & feruidę deuotionis accenſa, quaſi ſuphitus fragrantiam mirabilẽ ad thronum diuinæ maieſtatis conſcendunt: ſuntq́; Deo gratiſſimum ſacrificium præ omnibus corporalibus holocauſtis. Quid quòd oratio thuri comparari ſolet? In pſalmo ſcriptũ eſt: Aſcendat oratio mea ſicut incẽſum in cõſpectu tuo. Et quia anima ſancta orationi ſemper inſtat, & in quouis opere Deum ipſum inuocat, eam obrem veſtimenta eius vbicunq; fuerit thuris odorem ſpirat. Oratio

Pſal. 13. *Pſalm. 9.* *Roma. 13.* *Pſal. 140.* *Pſalm. 34.*

mea in ſinu meo conuertetur,inquit Dauid.Et alibi:Semper laus eius in ore meo.Mira res,placet Eccleſia,ſiue anima ſancta vnguentis,placet etiã veſtimentis. Vnguẽta dona infuſa ſunt,veſtimenta opera ſancta:& ideò à ſpõſo de vnguentis & veſtimẽtis odoriferis magnopere laudatur.

S.Gregor. Obſeruandum , quòd in fauo cera patet, & mel latet. Rectè ergo(vt verbis Cregorij vtar)ſponſæ labia fauus vocantur:quia dum in carnis fragilitate ſapientia magna habetur,tanquam mel in cera conſeruatur. Quando verò electus quiſque prædicat,quãdo cæleſtia gaudia reuelat, tunc fauus diſtillat:quia quanta dulcedo ſapientiæ in corde lateat , per oris fragilitatem audientibus manifeſtat. *2.Cor.4.* Quam ob rem ſcriptum eſt: Habemus theſaurum iſtum in vaſis fictilibus. Notandum, quòd aliud eſt habere mel in lingua,quod etiam falſi prædicatores habent,dum bona loquuntur,& recta docent,nihilominus ipſi ſacræ ſcripturæ dulcedinem non guſtant, nec internè ſuauitatem eius habent: de quibus Saluator ait: Quæ dicunt vobis,facite,ſecundum opera eorum nolite facere. Sed iam quis roget: Si ſponſa labia habet fauo ſimilia, quorſum Apoſtolus docet increpare,& arguere improbos? Audite obſecro: Sponſa ſuapte natura legem clementiæ habet in lingua ſua,ceu de forti muliere Salomon ſcripſit.Nónne de ſponſo dictum eſt:Diffuſa eſt gratia in labiis tuis? Sponſa autem maximè ſpõſo ſuo ſimilis eſt,& propterea in labiis ſuis gratiam diffuſam habet.Veruntamen,ſi aliquãdo increpat , peregrinum opus eſt ab ea , & de longe aſcitum, non autem inſitum quaſi filij degeneres eam compellũt, aſpera & dura loqui,familiare & quaſi innatum eſt ei dulcia fari.Cùm ergo laudat ſponſus eam de labiis dulcedine,tãquam de proprio,& de familiari eam laudat: *Fauus diſtillans labia tua.* Non quidem ſeipſam commendat vnquam,

Prouerb.13. *Pſalm.44.* *Canti.4.*

quàm,non alios maledictis afficit, pacem ſuadet omnibus, pacem Turcis, & hæreticis quotidiè affert: ipſi verò pacis veræ oſſores malunt belligerare, quàm dono pacis cæleſti frui. Quid dulciùs, quàm de peccatore pœnitente, inſtar Angelorum exultare? Quid ſuauiùs, quàm pro inimicis orare, & in calamitatibus gratias inexhauſtas ſponſo ſuo dilecto agere? Purgentur Eſaiæ labia calculo ignito & forcipe: Ieremiæ os tactu quodam mundetur: ſponſa nō carbone aut digito purgatur, ſed oſculo oris ſponſus amantiſsimus gratiam ei infudit. Exaudita eſt eius oratio, Oſculetur me oſculo oris ſui, vbi Deus homo factus eſt, & habitauit in nobis. Fœlix anima, cuius lingua mel largitur, & lac doctrinam ſanctam vtriſque præbens, paruulis lac ſugit, & mel prouectis profert. Cauendum magnoperè eſt, ne labia meretricis, id eſt, carnis iniquæ audiamus. Fauus deſtillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur eius: non tamen mel & lac ſub lingua, non vtiq; in intimis eſt dulcedo, ſed nouiſſima eius amara: dicente Apoſtolo: Sapientia carnis mors eſt. Hæc fortitudinem Samſonis, ſapientiam Salomonis, & Dauidis ſanctimoniam euertit. Nos autem fratres ſi Chriſti ſponſa ſumus, ſi eius veſtigia pro noſtra virili ſectamur, eloquia dulcia, & ſancta habeamus in labiis, ſub lingua meditationes melleas, lacteaſque poſſideamus. Inſuper & veſtimenta noſtra, virtutes & opera, vt thus ſuaue olens in conſpectu Chriſti redoleant. Tunc concinere cū Propheta poterimus: Erunt vt complaceāt eloquia oris mei, & meditatio cordis mei in conſpectu tuo ſemper. Ecce vtrunque hîc ſubindicat Propheta ſanctus, eloquia bona in labiis, & meditationes in corde.

Lucæ.15. *Eſai.6.* *Iere.1.* *Prouer.5.* *Roma.8.* *Nota.* *Pſal.18.*

HOrtus concluſus ſoror mea, hortus concluſus, fons ſignatus. Hebraicè. *Hortus concluſus ſoror mea ſpōſa, fons ſigillatus, fons concluſus.*

PROCEDIT adhuc ſponſus, maioremque in modum ſponſam ſuam Eccleſiam magnificat. Et quæ labia inſtar faui deſtillantis habet, & fauos ſuos congerit ex ſacræ ſcripturæ floribus, quibus inſidet, & ex eis ſpiritalis dulcedinis ſuauitatem extrahit, & elicit, vt fidelibus eā
Pſal.91. impertiat: nec non ſanctorum exempla, & dicta ſpiritualia inueſtigat, menteque perluſtrat, qui planè flores erant, & ſicut palma florebant: hæc inquam, quæ florigera prata peruolans, ſub lingua mel, ſimul & lac, velut duplicem fontem continebat, iam horto concluſo, & fonti obſignato perſimilis apparet. Equidem hortus manu regia cōſitus, in quo parauit magnum cōuiuium principibus ſuis
Heſter.1. rex Aſſuerus, vt oſtenderet magnificētiam & gloriam ſuā, ſancta Eccleſia Romana eſt. Vndè Apoſtolus clamat: Dei agricultura eſtis, Dei ædificatio eſtis. Nónne in horto Saluator ſudorem ſanguineum paſſus eſt? En quo irriguo, & vnda, hortus hic irrigatur, vt fructus vberrimos gignat. In hoc horto gloriam & magnificentiam ſuam palàm fecit: tùm prodigia magna operando, tū Philoſophiam cæleſtem prædicando, tùm denique corpus ſuum ſacrum in cibum, & ſanguinem ſuum in potum nobis exhibēdo.
Nota Ecce hortus manu regia conſitus: nam filius Dei è cælo veniens plantaria multa, virtutes omneis in Eccleſia ſua poſuit. Circumſeptus eſt hic hortus, & tot mandatis vallatus, ita vt ſiluarum pecora, dæmones aut eorum alumni, fructus eius rapere nequeant. Videte arbores proceras, & fru-

frugiferas huius horti. Ecce ego poſui vos, vt eatis, & fru-
ctum afferatis, & fructus veſter maneat. Extat Domini ſen Ioan.15.
tentia & comminatio ſtupenda, contra arbores infrugife
ras: Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, exci- Matth.3.
detur, & in ignem mittetur. Væ fratres, & iterum vę, qui vt
ficus à Domino maledicta, dumtaxat folia habet. Enim-
uerò ſi quis ceremonias tantùm obſeruet, & externa ope
ra habeat, charitate egeat, is maledictus à Chriſto in infer
num mittetur, & pœnas dabit perpetim. Fons ſignatus di-
citur: quia donec Saluator venit, fons aquarum viuentiū
latebat: atqui, ipſo aduentante, vox illa mirabilis perſo-
nuit: Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit in Ioan.7.
me (ſicut dicit ſcriptura) flumina de ventre eius fluent
aquæ viuæ. Et ſequitur: hoc autem dicebat de ſpiritu, quē
accepturi erant credentes in eum.

Mirabile dictu: non ſemel hortum concluſum appel-
lat Eccleſiam ſanctam, ſed bis, quod ad maiorem aſſeue
rationem fieri ſolet. Vel quia ſponſa Domini intus & fo-
ris concluſa manet: timor ſummi Dei cogitationes pra
uas depellit: & etiam foris, eodem timore ſancto carnis
ſenſus mortificat. Quo pertinet illud Apoſtoli: Mortifica 2.Corin.4.
tionem Chriſti in corpore noſtro circunferentes, vt vita
IESV appareat in nobis. Quandoquidem verba hæc nō
vulgarem emphaſim habent. Et alibi: Quaſi morientes,
& ecce viuimus. Rurſus: bis concluſus eſt hortus hic, id
eſt, Eccleſia: quoniam Angeli eam circumeunt, & Ange
lorum Dominus ipſam tuetur. Huc attinet illud Pſalmi: Pſalm.124.
Montes in circuitu eius (hoc eſt, Angeli proteguntinſtar
muri ciuitatem Hieruſalem) & Dominus in circuitu po-
puli ſui. O fœlicem hortum, ô ſanctam Eccleſiam, quip-
peque nedum Angelorum auxilio, ſed ſponſi ſui cuncti
potentis præſidio vallata eſt. Quid obſecro hæreticorū Eccleſia.

cunei? quid dæmonum phalanges & exercitus potuerũt aduerſus eam? Nempè nil ei nocere poſſunt tyrãni, & aduerſarij illius. Hunc hortum quotidie multiformi gratia
Pſal.67. ſua Deus irrigat: ſicut ſcriptum eſt: Pluuiam voluntariã
Pſalm.64. ſegregabis Deus hæreditati tuæ, & infirmata eſt: tu verò perfeciſti eam. Et iterum: Viſitaſti terram & inebriaſti eã, multiplicaſti locupletare eam. Sic virgulta ſua Saluator rorat, vt germinent flores, & fructus bonorum operum. Quid multa? Tam eſt munita, & virtute ex alto roborata Eccleſia Dei, vt audacter Paulus dicat: Nihil damnatio-
Rom.8. nis eſt iis, qui in Chriſto IESV ſunt. Qui non ſecundum carnem ambulant, ſed ſecundũ ſpiritũ. Id eſt, nil periculi ſubeſt ei, qui in horto iſto degit, fideque per operationẽ operatur fultus, & gratia Dei roboratus.

Quòd autem fontem ſignatum eam appellat, alluſio eſt ad illud, quod in Geneſi legimus: Iacob pergẽs ad ter
Gene.29. ram Orientalem, puteum vidit in agro, ex quo adaquabãtur pecora, cuius os grãdi lapide claudebatur. Itaq; re fectis gregibus, rurſus lapis os putei occludebat. Eſt fons ſignatus Eccleſia, quia in ea adimpletum eſt, quod Za-
Zacha.13. charias multis retro ſeculis prophetarat: In die illa erit fons patens domui Iuda, & habitantibus Hieruſalem, in ablutionem peccatoris & menſtruatæ. Quod nõ tantum de ſalutari & limpidiſsima doctrina, ſed etiam de ſacramento baptiſmatis intelligendũ eſt: in quo peccator quãlibet criminibus oppletus ſuper niuem dealbatur: nec nõ
Gal.3. & meritis Saluatoris veſtitur. Hinc Apoſtolus lepidè ait: Quotquot baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. O dignitas magna orthodoxorum, nullis explicanda verbis, Chriſti ſanguine abluti, & eius meritis candidati, ab hoc ſacro fonte aſcendimus.

S. Grego. Non abſre ſanctus Gregorius de anima ſancta hæc

omnia

omnia explicat, & ſanè rectè. Vnaquaque anima ſancta (ait) hortus concluſus eſſe intelligitur: quia dum bona ſua intentione vitæ æternæ abſcōdit, dum humanas laudes omnino contemnit, ipſa bona intentione ſe circumſepit, ne ad interiora rapienda, hoſtis antiquus irrumpere poſſit. Fons etiam dicitur: quia dum cæleſtia aſſiduè cogitat: dum ſcientiam ſcripturarum ſemper in ventrem memoriæ congregat, quaſi aquas viuentes ſancta mens in ſe gignere non ceſſat: quas ſitientibus proximis præbere, vt reficiantur, valeat. Vnde ſcriptū eſt: Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum: ſed fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Fons ſignatus ipſa iure nuncupatur: quia ſenſus ſpiritales indignis mentibus abſcondit. Quis, obſecro, pro dignitate enarrare poterit delicias, quas hortus hic abſconditas habet? Verùm ſolus ſponſus eas adnumerare poteſt, quique ait: Deliciæ meæ cum filiis hominum. Veruntamen ipſe ſponſus, qui optimè haſce delicias nouit, iam inquit. *Ioan. 4.* *Prouer. 3.*

EMiſſiones tuæ paradiſus malorum punicorum, cum pomorum fructibus. Cypri cum nardo, nardus & crocus, fiſtula, & cinnamomum, cum vniuerſis lignis Libani, myrrha & aloë, cum omnibus primis vnguētis. Hebraicè. *Emiſſiones tuæ paradiſus malorū granatorum, cū fructu pulcherrimo. Cāphoræ cū nardis, nardus, & crocus, calamus, & cinnamomum, cū omnibus, arboribus thuris,*

exitus aquarum: & collocauit illic eſurientes,& conſtitue runt ciuitatem habitationis, & ſeminauerunt agros, & plantauerunt vineas,& fecerunt fructũm natiuitatis,& benedixit eis,& multiplicati ſunt nimis.Etenim ſingula annotatu ſunt digna.Sat ſit ex iis verbis elicere,quàm frugifera fuerint flumina quæ ex fonte limpidiſſimo Chriſto IESV exierunt,quorum laticæ deſerta,& terra ſine aqua, tot fructus parturierunt.

Emiſsiones tuæ paradiſus. Ita IESV bone,ita eſt. Emiſsiones iſtæ tuæ ſunt,emiſsiones per angelos bonos. Signatũ eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine, dediſti lætitiam in corde meo. *Pſal.4.* Signatũ eſt ſuper nos profectò, quod deſuper nobis impreſſum eſt. Cui diuini luminis imago deſuper imprimitur,intus in corde lætitiæ ſpiritualis vbertas exprimitur. Eam ob rem glorioſæ emiſsiones filiæ regis ab intus ſunt. Equidem exiguę non ſunt deliciarũ intrinſecus copiæ,de quibus integer paradiſus emittitur. Vtrũque habemus,& paradiſum incluſum,& paradiſum emiſſum. *Nota.* Illa eſt in puritatis affectibus, hæc in actibus pietatis. Illa intus,hæc de illa procedit,& probat illam. Vtraq; vehementer delectabilis eſt,& conſcientia & conuerſatio ſponſæ. Imò omnia proponit valdè vtiliter, & diſponit ſuauiter. Ideò quaſi paradiſum quandam cernas in eius habitu,& opere exteriori, dum honeſtas placet in ſingulis,& ſeries in collatis,& ſuauitas in diſpoſitis. Deniq; primo mala punica nominat, quaſi à verecundia ſponſæ initium ſummat. Poteſt etiam intelligi in malis punicis martyrum patientia: eo quod in ſanguine ſuo ſunt rubricati. O quàm bona pudicitiæ comes pátientia,quæ in laude ſapientiæ ſibi connectuntur, ſicut ſcriptum eſt: Sapiẽtia quæ de ſurſum eſt,primò pudica, deindè pacifica. *Iaco.3.* Pudicitia modeſtè ſe & pro dignitate temperat: patientia

alienam

alienam immodeſtiam æquanimiter fert. Illa proprios informat motus, hæc alienos impetus frangit. Illa decor
Prouer. 31. eſt, hæc fortitudo. Vnde lepidè Salomon dixit: Fortitudo, & decor indumentum eius. His duabus virtutibus coniunguntur pomorum fructus, quaſi conſummatio, & finis operum. O nimium fœlix anima, quæ vnitatem panis mordicus tenet, & ſub vno cortice, quaſi grana mali punici concordiam cum fratribus ſuis ſeruat. Pacem habete (ait Apoſtolus) & Deus pacis, & dilectionis erit vobiſcum. Ecce energia pacis, quæ potiſſimè principem
Pſal. 130. pacis IESVM trahit, & conciliat nobis. Ecce quàm bonum, & quàm iucũdum habitare fratres in vnum. Obſecro vt charitas nos vniat, & cortex muniat. Nónne legimus in ſeculo aureo illo, quòd erat illis anima vna & cor
Act. 4. vnum in Deo? En tota Eccleſia coadunata, & charitatis glutino adglomerata, veluti quodam malum punicum erat. Mira res, non tantum fideles ducebant bonum & vtile, ſed iucundum habitare in vnum. O mirabilem ſummi numinis potentiam, ex illis paucis granis, innumera malogranata prodierũt, adeò vt in toto mũdi ambitu Chriſtus IESVS agnoſceretur, diligereturq́; , idolis, quæ verè dæmonia ſunt ſpretis.

Emiſſiones tuæ paradiſus, malorum punicorum, cum pomorum fructibus, cypri cum nardo &c. En ſeptem arbores aromaticæ hîc annumerantur, quæ in horto concluſo, & de fonte ſignato emittuntur. Planè optimus ordo: nam poſt patientiam & vnitatem, in quibus vel maximè fulget humilitas, quid niſi ſublimitas ſequitur, quippéque in cypro
Luc. 14. adumbratur? Sicut ſcriptum eſt: Omnis, qui ſe humiliat, exaltabitur. Cypri (vt aiunt) ſemen decoqui oleo ſolet, vt vnguentum exprimatur ex eo. Alij ſeminant in lachrymis, ſponſa verò in oleo lætitiæ. Sanè noſtra ſemina opera bo-

ra bona ſunt, quæ ſi quis habet, hilaritate abundat. Nec ſateſt oleo intingi, niſi ſint in oleo cocta, & confecta, & tanquam in ipſum oleum conuerſa. Nempe, quod in oleo feruenti dequoquitur, olei ipſius imbuitur natura. Mira quidem confectio laboris, & lętitiæ, eoque mirabilior, quòd in labore non labor, ſed gaudium ſentitur. Alioquin Apoſtolus non aſſereret, ac diceret: Superabundo gaudio in tribulationibus. Et ſanctus Iob tanquā ſtupefactus ait: Qui dat carmina in nocte, ideſt, gaudia in tribulatione. Obſeruatione dignum eſt, quòd ipſa interior exultatio de opere capit augmentum; & ſic oleo ſemen confert, & oleum ſemini, quando cum exultatione operatur ſponſa, & de ipſo opere magis exultat. Hoc oleum regium eſt, quo I E S V S Dominus noſter libenter vngitur. Hilarem enim datorem diligit Deus. Non quòd ipſe non ſit vnctus oleo lætitiæ à Patre, ſed magnopere gaudet, & vult à conſortibus ſuis vngi, & deuotionis noſtræ affectat vnguentum. Si autem quis quærat, quos fructus hæc confectio recipit? Apoſtolum audiat: Fructus autem ſpiritus eſt charitas, gaudium, pax, benignitas, bonitas, longanimitas. &c. Nardus quietem ſignat, ideò hoc vnguento Chriſtus perunctus fuit in ſepulturam. Cypricum nardo, nardus & crocus, quā bona connexio! Crocus cuius flos quaſi aurei coloris, ad ſapientiæ rutilum colorem refertur. Accipite in cypro ſtudium, in nardo ocium, in croco vtriuſque fructum. Cæterùm ſponſa fiſtula eſt in altum tendens, dum æterna contemplatur. Cinamomum eſt, quando nobis ſe accommodat. Cinamomum dum frangitur, plus odoris emittit, ſic Eccleſia dum à tyrannis & hæreticis affligitur, plus patientiæ, & benignitatis manifeſtat. Hinc legimus de populo Dn̄i, quòd quanto magis verſutus Pharao cū labore opprimebat, eò

Nota. *1.Cor.7.* *Iob.35.* *2.Cori.9.* *Galat.5.* *Canti 4.* *Nota.*

ampliùs

ampliùs augebatur,& creſcebat. Quòd autem ſubnectitur, *De vniuerſis lignis Libani.*,ad incorruptibilitatē, & pulchritudinē fideliū attinet. Libanus cedrina ligna gignit, quæ corruptionis expertia ſunt. Sic fideles fide & charitate,& ſpe roborati corrumpi nequeunt. Vndè meritò
Pſalm.1. de viro iuſto ſcriptum eſt: Erit tanquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo. *Myrrha & aloe*, carnis mortificationem,& puritatem indicant. Ita vt cum Paulo orthodoxus quiſque dicat: Caſtigo corpus meum,& in ſeruitutem redigo: ne cùm aliis prædicauerim, ipſe reprobus efficiar.

S. Grego. Denique diuus Gregorius martyres mala punica vocat: poma verò ſanctos eſſe dicit, qui in pace & tranquillitate viuunt, quique bona opera facientes exempla præbent fratribus ſuis, vt ſummi Dei mandata impleant, mūdumque,& ea quæ mundi ſunt, ob Christi IESV amorē penitus relinquant. Sic viri iuſti, quandiu viuunt, in ſe paradiſum amenisſimam conſtruere non ceſſant. Huc
Ioan.14. pertinet, quod Dominus pollicetur amantibus ſe: Ad eū veniemus,& manſionem apud eum faciemus.

FOns hortorum, puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano. Ita in omnibus tribus linguis habetur, Latina, videlicet, Græca,& Hebraica.

NON quieſcit ſponſus, ſed laudes ſuæ dilectę ſponſæ amplificat. Ideò metaphoram ſummit à fonte plurimos hortos irrigante, perindè ac ſi dicat: Tu ſponſa es fons hortorum,& irrigabis totius mundi hortos. Etiā es pu-

es puteus aquarum viuentium, quæ manant ab alto monte Libano: vbi nulla perturbatio luti inuenitur. Sanè tales ſunt aquę ſacri baptiſmatis, quas Saluator Sanctificauit, quando in ripa Iordanis à beato Ioanne baptizatus eſt. Verùm ſi teſtibus oculatis fidem damus, quique terram illam ſanctam perluſtrarunt, in radice mõtis Libani fons ſcaturit, qui in fluuium ſic creſcit, vt multos terræ illius hortos rigare, & fœcũdare valeat. Eſt itaque ſancta Eccleſia fons hortorum, non modo (vti nuper attigimus) quoniam fontẽ limpidiſſimum habet, in quo quotquot baptizati ſunt Chriſtum induunt, ſicut Paulus teſtatur: ſed quia doctrinam Euangelicam mundiſſimam nobis filiis ſuis præbet. At contrà, hæreticorum caterua lutulenta dogmata propinat iis, quos decipit, & miſerè illaqueat. Adulterant verbum Dei, nõ abſimiles diabolo patri ſuo, cuius ſuggeſtui Eccleſiæ ſanctæ Romanæ filij obedire nollunt. Et quia experimẽto agnoſcimus, aquas mortuas inſipidas, & fœtidas fore, viuas verò contrà, ſalubres, atq; dulces: eas ob res ſtatim *puteus aquarum viuentium ſponſa* appellatur. Nónne omnis conſciencia munda cuiuſuis fidelis hortus quidam eſt, in quo deambulat Dominus? Habitabo in medio eorum ſemper, ait Deus. Et iterum: Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cũ eis. Videte aquas viuentes, quæ de Libano magno impetu fluunt, lucidas ac mundiſſimas, quas bibũt orthodoxi. Lex Dñi immaculata conuertens animas, teſtimonium Domini lucidũ ſapientiam pręſtans paruulis. Profectò aqua hęc potãtes viuificat, paſcit, & vehemẽter oblectat: Imò in vitã æternam cõfirmat: necnon (iuxta Saluatoris ſententiã) aqua iſta ſalit in vitam æternã. Mons Libani Saluator eſt: quin & mõs ſupra verticẽ montium in Eſaia vocatur. Ab hoc monte potiſſimè fluit omnis ſalutaris doctrina,

Baptiſmus. *Gala.3.* *Eze.43.* *Apoca.21.* *Pſalm.18.* *Ioan.4.*

ctrina,& omnis plenitudo gratiæ ſacramentalis, quæ in Eccleſia affatim impetu magno ſcaturit, dicente Ioãne: De cuius plenitudine omnes accepimus gratiam pro gratia. Quid quòd fons paruus creuit in fluuium magnum: velut in libro Heſter legimus? Equidē ſancta Eccleſia parua erat,& vbera haud habebat, antequā Spiritus ſanctus in Sion deſcēderet. At Paraclito veniēte fluuius magnus apparuit, vbi in omnem terram exiuit prædicatio Apoſtolorum, Chriſto IESV præcipiēte: Ite in mundum vniuerſum,& prædicate Euangelium omni creaturæ.

Ioan.1.

Marc.16.

Notandum, quòd ſi Salomon plures habuit hortos, par erat, vt qui pluſquā Salomō eſt, Chriſtus IESVS Dñs dominantium,& Rex regum multos hortos habeat Foelix anima, quæ hortus Chriſti eſt: procul dubio in horto ſapientiæ nihil ſterile, nihil non germinans: cuius typus in paradiſo terreſtri præceſsit, in qua omnes arbores pomiferæ erant. Vndè Dominus ad Adam: Ex omni ligno, quod eſt in paradiſo, comede. Ecce omnia ligna ſua pte natura fructus gignebant. Timeat ergo peccator, cui dictum eſt: Omnis arbor, quæ nō facit fructum bonum, erradicabitur,& in ignem mittetur. Mirabile dictu: quo modo fons ille Paulus hortos Chriſti rigare enitatur? Vxoratis dogmata ſalutaria exhibet: paruulis lac dat, non eſcam: infirmos ſuſcipere præcipit, puſillanimis conſolari iubet. Huius imitator ſit paſtor in Eccleſia,& concionator verbi Dei, vnicuique infirmo ſalubrem medelam imponentes.

Eccle.2.

Gene.2.

1.Cor.7.

Puteus aquarum viuentium, ſponſa eſt. Nā de profundis arcana eliciēs, abdita myſteria in lucē pandit. Enimuerò ſpiritalis & bonus doctor, de theſauro cordis ſui, ceu de alto quodam puteo, noua & vetera profert. Puteus quidem eſt, quia quæ Dei ſunt nemo nouit, niſi ſpiritus: quippe qui

pequi omnia ſcrutatur,etiam profunda Dei. Qui ergò ſi- 1.Cor.2.
tit veniat ad Eccleſiam, currat ad fontē,& puteum aqua
rum viuentium,accedat ad puteum ſeptimum Berſabe.
Berſabe puteus interpretatur,ideſt,puteus quietis,puteus
ſapientiæ.Nónne in Geneſi legimus, de puteo viuentis Gene.16.
& videntis? Quòd ſi cor tuum, quod puteus eſt, terra
inimici tui excecare contendunt: ſubindè fides laboret,
& aperiat puteum,quo aquæ impetu quodam è Libano
currant.O fœlix homo,qui vt alter Iſaac puteum calum-
niæ,& puteum inimicitiarum relinquit Philiſtæis, & pu-
teum altitudinis,& puteum ſatietatis fodit. Mira res:Iſaac Gene.26.
in torrente puteum fodit,& aquas viuas inuenit. Aquæ
viuæ nullatenus deficiunt.O Libanum candidiſſimū, à
quo aquæ viuæ dimanant.Equidem Chriſtus I E S V S
candor lucis æternæ eſt,ex quo(vt iā diximus) aquę gra-
tiæ,& virtutum ſemper effluunt.Iuxta illud Eſaiæ:Hau rie- Eſai.12.
tis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris.

Beatus Gregorius,*Fontem hortorum,& puteum aquarum* S. Gregor.
viuentium,quæ fluunt impetu de Libano ſacrā ſcripturam eſſe
dicit.Nam vbi moralia dogmata & omnibus conſpicua
nobis præbet, tunc fons patens eſt: quādo verò difficilia
intellectu oſtendit, & de myſterio ſanctæ Trinitatis re-
cenſet,tunc puteus eſt profundus. Et quia omnia,ſpiritu
afflante,non voluntate humana ſancti ſcripſerunt ſacrā
paginam,eam ob rem de Libano aquæ iſtæ hæc currūt,
nec lentè,ſed impetu magno. Vndè ſcriptum eſt: Flumi- Pſal. 45.
nis impetus lætificat ciuitatem Dei, Eſt etiam,*Fons hor-*
torum anima, quæ manat & fluit, ex qua ſemper nouum
quid oritur,quia ſemper in Deo renouatur.Fons iſte ebul
lire non ceſſat,& erumpere ad Dei amorē,ad proximum
dilatari dilectionē.Benedicam Dn̄m in omni tempore, Pſal.33.
& ſemper laus eius in ore meo. Ecce fons ebulliens, &

noua encomia Dei proferēs. Eſt rurſus *puteus aquarum viuentium,* profundam videlicet ſpiritus Sancti gratiam, atque ſcientiam conſecuta, quia & in ſe abundat, quo aliis
Ioan. 4. refundere poſſit. Non ſic ille puteus de quo Samaritana hauriebat aquam, ex qua, qui bibit, ſiciet iterum. Verùm delectatio iniqua nō ſatiat, ſed ſitim excitat. Cæterùm altus erat puteus ille, quia magno labore iniqui delicta per
Sapien. 5. petrāt. Ambulauimus vias difficiles, viam autem Dñi ignoramus, aiunt illi, ideò laſſati in via iniquitatis & perditionis gradiuntur. Nònne de Libano, hoc eſt de Chriſto, fluxerunt aquæ viuæ, quàndo ſpiritus Sanctus tanquam torrens ſe diſcipulis influxit, & ſuaui eos vbertate donorū inebriauit? Meritò de Chriſto dicuntur aquæ viuæ fluere, quia ab ipſo cœpit tempus gratiæ. De Libano cum impetu fluxerunt aquæ iſtæ, cùm Chriſto in cœna benedicēte panē, ſacramentum Euchariſtiæ celebrari cœpit, & vna paſſibili pręſentia ſublata, multis in locis vſq; ad conſuma
Dogma. tionē ſeculi, nobiſcū maneret. Dilatare ergo anima mea ad hunc fontem tā abundè currentē, circue omnia eius loca, quò multam haurias aquā gratiæ. Tantum de hoc fonte perenni hauries, quantū fuerit deſiderium tuū, & fides charitati cōiuncta. Iam obſecro procliui genu, IESV bone, qui tanto impetu fluis, vt ſic ad te fide integra, ſpe firma, charitateq; flammigera curram, quatenus plenè te hauriā, profundè poſſideā: ſicq; puteus aquarū viuentiū fiā, vt te mihi cum impetu influentē, aliis refundere valeā.

SUrge Aquilo, & veni Auſter, perfla hortum meum, & fluent aromata illius. Hebraicè. *Suſcitare Aquilo, & veni Auſter.*

CHriſtus IESVS verbis iis Gentes conuocat, & ait: Ex quo ſponſa mea frāgrantiſſimus eſt odor tuus, propte-

propterea ego præcipio ventis Aquiloni & Auſtro, vt ſimul hinc atque hinc ſpirent in horto meo, & fluant aromata illius: ita vt ex eis egrediatur foras odor tuus valdè ſuauis ad omnes gentes. En ſignat Catholicam Eccleſiã apertè ex gẽtibus: quippe quę ad odorem Chriſti currẽtes inſerendæ erant, cum gente Iſraëlitica per Apoſtolos conuertendæ. Itaque per Aquilonem, qui ſuapte natura frigidus, & perindè conſtrictiuus eſt, flatus aduerſitatum & perſequutionum contra Eccleſiam ad probationem & meritum electorum intelligitur. Eſt ſanè vehementer frugifera calamitas, quæ conſurgit, tùm ex infidelium rabie, tùm ex hæreticorum obſtinatione. Planè tumentibus vndis aquarum in diluuio, arca Noë proximior cælo fiebat: at contrà, fluctibus illis ſedatis, in terra quieuit. Et ad eandem imaginem ſancta Romana Eccleſia, creſcentibus inimicorum præliis, mirum in modum adaucta tenatiùs adhæret ſponſo ſuo Chriſto: cum Dauide clamãs: Reſpice vineam iſtam, quam plantauit dextera tua, & perfice eam. Et iterum inſtanter clamat. Domine vim patior, reſponde pro me: Et quia ſine Spiritus ſancti ope nemo calamitates ferre poterit, ait ſponſus: *Veni Auſter*, Hic vẽtus calidus eſt & lenis, & ideò reſolutiuus. Veniat Spiritus ſanctus, qui paraclitus appellatur, id eſt conſolator, & aduerſus Aquilonis duritiam muniat Eccleſiã, roboretq́;. Hiſce flantibus ventis contrariis magnopere aromata, & virtutes, chariſmataq́ue omnia fragrant, & copioſè fluũt in horto Eccleſiæ. Quid multis immoror? Veluti in nocte ſtellæ omnes apparent, & cælum ipſum maximè decorant: ſic, tentatione ingruente, virtutes omnes Eccleſiæ, vel animæ ſanctæ irradiantes, animam ipſam ornãt. Exemplo nobis ſit Abraham, Tobias, & Iob, cæteriq́ue ſancti, quorum tolerantiam, benignitatem, & charitatem

Nota

Geneſ. 8.

Figura.

Pſal. 79.

Canti. 4.

Collatio.

non agnoſceremus, niſi tanquam aurum in fornace probaret eos Deus optimus. Mirãda res: Toties anima coronatur, quoties tentationi reſiſtit, & gratia Dei ſuffragante illi reluctatur. Vndè Apoſtolus inquit: Quod momentaneum eſt, & leue tribulationis noſtrę, ſupra modum in ſublimitate, æternę glorię pondus operatur in nobis. O verba aurea pectoribus noſtris inſcribenda. Ni fallor, ſingula annotatione ſunt digna.

Nota.

S. Grego. Veruntamen longè aliter diuus Gregorius locũ hunc explicat. *Surge Aquilo, & veni Auſter.* Quid per Aquilonem, qui in frigore conſtringit, & torpentes facit, niſi immundus ſpiritus deſignatur? Is reprobos omnes dũ poſſidet à bono torpere facit. Per Auſtrũ verò ventum calidũ ſpiritus Sanctus ſignatur: qui dũ mentes electorum tãgit, ab omni torpore relaxat, & ferueñtes facit, ita vt bona quæ deſiderant, operentur. Quamobrem de ſpiritu nequam ſcriptum eſt: Ab Aquilone pandetur omne malum. Et in Eſaia: Fumus ab Aquilone veniet. De ſpiritu Sancto quidẽ legimus: Conuerte Dñe captiuitatem noſtram, ſicut torrẽs in Auſtro, ideſt. Sicut torrens, qui flante Aquilone ſiccus fuit, & ſine aqua, ſurgente Auſtro, & pluuias gignẽte, impletur aquis fluentibus: ita fac miſeriã noſtræ captiuitatis conuerti in plenitudinẽ gratiæ, & libertatis. Surgat ergo Aquilo, abſcedat ſatanas, qui corda ſuorũ gelida efficit, & ſpiritus Sãctus adueniat, qui veniens charitatis ignẽ mentibus noſtris infundat, necnon & torporẽ negligentiæ noſtrę diſſoluat. Emitte Spiritum tuũ Dñe, & creabuntur, & renouabis faciem terræ. Quod ſanè geſtum legimus, dum ſpiritus Sanctus repleuit Apoſtolorũ corda, & eo afflante palàm loquebantur magnalia Dei. Tunc virtutum odores apparuerunt, & fluxerunt fidei & charitatis, & ſpei aromata. Tunc hortus mirabiliter floruit, & flores fru-

Eſai. 14. Pſal. 125. Actor. 2.

tes fructus ſuos parturierunt. O IESV bone & noſtri amãtiſſime: Frigidus eſt ventus Aquilo & ad flatum eius aromata hortus tui congelantur. Quandiu Dñe aduerſitatis Aquilo regiones noſtras præmet? Quandiu incũbet hortulis noſtris? Parce Dñe, parce populo tuo, & ne des hęreditatẽ tuam in opprobrium. Cũmulata nos vndiq; vrget calamitas, hinc hęreticorũ phalanges, illinc Turcarũ cunei. Abundant tabernacula prædonũ, & audacter prouocant Deum. Succenſa iam pridem eſt olla à facie Aquilonis, ſed tu Dñe Auſtrum emitte, qui faciat medium fornacis quaſi ventũ roris flantem, quemadmodũ olim in Babylone feciſti. Eſto Dñe zelotes, emulare ſpõſam vnicè dilectã, & à quibuſuis erũnis brachio tuo extẽto eam eripe. Iob. 12. Iere. 1.

CAPVT QVINTVM CANTICORVM.

Veniat dilectus meus in hortum ſuum, & comedat fructum pomorum ſuorum. Hebraicè. *Veniat dilectus meus in hortum ſuum, & comedat fructum pulcherrimorum pomorum ſuorum.*

NVNC ſponſa inuitat ſponſum ad hortũ pomorum, vt veniẽs, ſicut ei ſæpe pollicitus eſt, comedat fructũ horti ſui. Vndè datur intelligi, ſponſum Chriſtum cũ venit ad gentem Iſraëliticam comediſſe de fructibus horti, hoc eſt, de fructibus

bonorum operum,& non de ſacrificiis animalium:quip
peque in Aduentu eius abolenda erãt. Hinc multis retrò
Pſalm.49. ſeculis per Dauid Deus optimus dixit: Non in ſacrificiis
tuis arguam te,holocauſta autem tua in conſpectu meo
ſunt ſemper.Quod verò ſacrificium ipſe vellet, ſubindè
oſtendit: Sacrificium laudis honorificabit me. Et alibi;
Pſal.50. Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus; cor contritum,
& humiliatum Deus non deſpicies.Quid quod per Eſaiã
clamabat?Ne offeratis mihi ſacrificium fruſtrà,incẽſum
Eſai.1. abominatio eſt mihi.Quo mihi multitudinem victima-
rum veſtrarum?plenus ſum,holocauſta arietum, & adi-
pem pinguium,&ſanguinem vitulorum,& agnorum,&
hircorum nolui.Ecce ſacrificia antiqua Dominus nole-
bat,quia inuolucra erant,atque vmbratica: quam ob rẽ,
luce aduentante,meritò euanuerunt.Rogat ergo ſponſa
ſuum dilectum ſponſum,vt ad ſe veniat,digneturque eã
Nota. ſæpe numero inuiſere.Nam ſolet vnuſquiſque in ſuo hor
to libenter ambulare,& ſingula virgulta conſiderare,nec
non fructus arborum ſpontè guſtare.Ait igitur: Cùm me
nuper hortum concluſum apellaſti ſponſe dulciſsime,
iam ſuppliciter obſecro , veni in hunc hortum per aſsi-
duam viſitationem,& conſiderationem profectus quoti
diani.Sic omnium virtutum germina accreſcent,& dul-
cia poma generabuntur: fideles omnes in mandatorum
tuorum humili obedientia tibi ſeruient. Etenim fratres
hortus hic,Saluator mundi,qui in horto Mariæ Magda-
lenæ apparuit,vt hortulanus,ipſe illum plantauit, atque
conſeuit ingenti labore: & quos ad ſalutem prædeſtina-
uit,in hoc viridario poſuit. Alioquin non ore ſuo bene-
Ioan.15. dicto diceret:Non vos me elegiſtis,ſed ego elegi vos, &
poſui vos,vt eatis,& fructũ afferatis, & fructus veſter ma-
neat.Profectò hortus pomiferus hic non ſolùm planta-

tus

tus eſt à Chriſto primùm, verùm etiam quotidie ipſum plantat, & ab illo rigatur, purgatur, colitur, & mirum in modum fœcundatur. Nec abſre hortus eius nominatur; equidem nulli alij quàm ipſi ſeruit: vt potè cuius fructus omnes, & germina ad gloriam & honorem ſponſi ſolius creſcunt, & proficiũt. Hinc Apoſtolus nos hortatur. Qui gloriatur in Domino glorietur, non enim qui ſeipſum cõmendat, ille probatus eſt, ſed quem Deus commendat. Et iterum: Soli Deo honor & gloria in ſecula ſeculorũ. Par enim eſt, vt ad ſummi Dei honorem cuncta operemur, à quo nimirum omnia bona vltrò ſuſcepimus. Quid habes, quod non accepiſti (ait Paulus) & ſi accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis? Et in Eſaia: Nunquid gloriabitur ſerra contra eum, qui ſecat in ea? Nempè Dominus gratiam præuenientem nobis largitur, vt bonum velle poſsimus; itidem gratiam cooperantem tribuit, vt benè operari valeamus. Quod disertè probant Theologi ex illa Pauli ſententia: Non eſt volentis, neque currentis, ſed Dei miſerẽtis. Ecce nec velle bonũ, nec currere, quod eſt in mandatis Dei, nos exercere neutiquam poſſumus, niſi gratia Dei omnipotentis roborati. Ipſe enim dat velle, & perficere pro bona voluntate. Admonet nos ipſe ſponſus omnia bona nobis ex gratia eius dimanare, nihilque boni ſponſæ ineſſe, quod non ab ipſo omnium bonorũ fonte oriatur: vbi teſtatur; Sine me nihil poteſtis facere. Hîc iam ſupercilioſi agnoſcant oportet, nullum ſe habere bonum, quod non à largitore beneficio ſponſo IESV, gratis acceperint. Meritò ergo ad ſua bona edenda nunc inuitatur à ſponſa,

Et comedat fructus pomorum ſuorum. Ad quos fructus edendos Eccleſiæ ſuæ, vel animæ fidelis inuitetur, partim iam expoſuimus. Sed palàm ipſemet ſpõſus eos inſinuat,

2. Cor. 10.
Eſai. 10.
Magis. 2. d. 26.
Roma. 9.
Ioan. 15.
Cant. 5.

Ioan.4. dum ait: Meus cibus & meus potus eſt, vt faciam voluntatem Patris mei, hoc eſt, vt quàm plurimos ad me conuertam, meoſque diſcipulos faciam: quorum bona opera tã quam fructus ſuauiſsimos ſponſus edit, hiſque maximè delectatur. Cuius vox ea eſt: Hoc eſt refrigerium meum, *Eſai.28.* reficite laſſum. O fœlix anima quæ ſuis bonis operibus, cuius fides per dilectionem operatur, menſam ponit ſpõſo ſuo Chriſto: & quaſi venientem à longè eum reficit in *Matt.5.* ſuis pauperibus. Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. Quandoquidẽ poma ſua ſunt, nam gratia eius, cooperante libero arbitrio, fiunt bona *1.Cor.15.* opera. Plus omnibus laboraui (ait Paulus) non ego, ſed gratia Dei mecum. Quid lucidiùs dici potuit contra hæreticos noſtræ tempeſtatis? Verùm ſatanas per eos peſsimum errorem Pellagij ſuſcitauit. Dubio procul, tunc ſpõſus noſtræ ſalutis auidus opera noſtra edit, quando ea ac*Nota.* ceptat, gaudetque, & complacentiam habet in eis: ita vt paſci eiſdem, & oblectari magnopere videatur, quemadmodum homines pomorum ſuauium eſu oblectari & refici ſolent. O ineffabilem Chriſti IESV erga nos charitatem, qui cibus eſt Angelorum, & panis viuus de cælo deſcendens, & dat vitam mundo: qui tandem aperiens manum ſuam implet, ac ſatiat omne animal benedictione: is inquã pomis noſtris, operibus ſanctis vult delectari atq; paſci. Sed quid ni opera noſtra bona veluti poma dul*Prouer.8.* cia comedat, qui per Salomonem clamitat: Delicię meæ cũ filiis hominum? Hinc perbellè ſanctus Gregorius inquit: In hortũ dilectus venit, & fructum comedit, quãdo Chriſtus mentes viſitat, & bonorum operũ delectatione *Collatio.* ſatiatur. Obſeruãdum quod pomũ, nedum dulcedinem internè habet, ſed ſuapte natura externè odorem mittit. Et ad eundem modũ, quodcunque opus bonũ interiùs

ſuauitatem

ſuauitatem poſsidet,& exteriùs exemplum proximis præbet,ad ędificationem,quod magni exiſtimandum eſt.

Vę autē animę,quę IESVM ad deliciandū inuitat nihilominus hortū non habet pomis plenū,ſed ſpinis & peccatorū tribulis conſitum. Hortus tuus peccator ſentibus horret,& ſterileſcit.Inuita illū,non vt delectetur,ſed euellat,& deſtruat primò iniqua plantaria, vt ſubindè cælicas virtutes plantet. Inuita eū, quia hortulanus eſt,& in corde Magdalenæ omnium virtutū ſemina ſpargens,vepres delictorum ex illa radicitùs euulſit. *Veniat dilectus meus in hortum ſuum.* Quid ipſa Auſtrum vocat dicens: *Veni Auſter*? Ipſe veniat dilectus meus, ipſe mihi Auſter meus, ipſe aromata mea. Auſter meus Chriſtus meus: nam ipſe ab Auſtro veniet, qui ſerenus illuſtrat, & nimis ſuauis illabitur, Auſter meus eſt. Ipſe planè hortum perflat, ipſe poma comedit. Venit iam plenitudo temporis, ideò veniat dilectus meus in hortum ſuum. Venit ſanè IESVS, & ficulneam inuenit ſecus viam, in qua poma nō inuenit, ſed folia: quia non erat in horto clauſo, ſed ſecus viā. Synagogam inuenit ceremoniis ornatam: operibus ſanctis decoratā non inuenit. Nihilominus arborem pulcherrimā offendit in Nazareth, quæ fructum virginalem dedit, ſub cuius vmbra, in cuius ſacroſancto vtero nouem menſibus requieuit, dicens: Sub vmbra illius, quem deſiderabam, ſedi, & fructus eius dulcis gutturi meo. Cæterùm alma virgo obnixè orabat, & orando inuitabat filiū Dei, vt dignaretur venire ad hortū ſuū. Cuius oratio ſcripſit Lucas: Ecce ancilla Dñi, fiat mihi ſecūdum verbum tuū. Nos verò fratres, qui innocentiæ fructus non habemus, ſaltim fructus dignos pœnitentiæ agamus: delicta noſtra gemitibus, & lachrymis diluētes: nec nō per exomologeſim corā cōfeſſore animę noſtræ maculas expiantes, quo

Abac. 3.

Matt. 21.

Canti. 2.

Luc. 1.

ſpon-

ſponſum Chriſtum I E S V M inuitare valeamus,dicentes:*Veniat dilectus meus in hortum ſuum,& comedat fructum pomorum ſuorum.*

V*Eni in hortum meum ſoror mea ſponſa, meſſui myrrham meam cum aromatibus meis.*

VOX illa *Veni* non eſt imperatiui,ſed præteriti temporis:ponitur more prophetico præteritum pro futuro.Sic in Pſalmo legimus: Dederunt in eſcam meam fel,& in ſiti mea potauerunt me aceto. Quod beatus Ioānes de Chriſto explicat:cui in cruce verſuti aduerſarij dicenti:Sitio,vas aquæ denegantes,ſpongiam aceto plenā appoſuerunt. O immanitatem diris plectendam ſuppliciis,Saluatori mundi,qui fontes, & flumina, nec non & maria in obſequium hominum dedit,puſillum aquæ denegarunt. *Veni in hortum meum ſoror mea ſponſa.* Ac ſi dicat:Non valdè poſt inuitatus à te venturus ſum in hortū meum,congregationem Iſraël.*Collegi myrrham meā* pro colligam myrrham meam cum aromatibus meis. Hoc eſt:Summam ex Iſraël mihi qui ſunt myrrha,& aromata pretioſa.Eoſque igne Spiritus ſancti,quem miſſurus ſum, comburam redolereque faciam illos per totum orbem: Quod,ni fallor,ad literam in Apoſtolis geſtum legimus, & in cæteris,qui crediderūt de Iſraël in Chriſtū I E S V M: Itaque non fit viciſsitudinaria inuitatio ſponſi ad ſponſam,vt nonnulli Latinorum intellexerunt. Hæc veritas maximè ex Hebræo,& Græco apparet.Ait ergo ſponſus: Tu me inuitas ſponſa mea chariſsima, vt in hortum meū veniam,& fructum edam pomorum meorum:placet vtique mihi hæc tua inuitatio.Ecce præſto ſum:iam veni in

Pſalm.68. *Ioan.19.* *Actorum.2.* *Nota.*

hor

hortum meum,iam in illo ſuauiſsimè verſor, & lætanter ambulo,ſingulas arbores conſiderans, & de ſingulis me vehementer oblectans.In horto iam ex parte aliqua fructum collegi mei laboris,myrrham meſſui,cum reliquis aromatibus meis,ideſt:Opera pœnitentiæ, ac mortificationis carnis,cum aliis operibus virtutum benignè acceptaui,& velut in manipulos redacta in ſinum meum collegi:ne forſitam aliquid eorum depereat, quod non ſuo tempore condignam remunerationem,ex mea liberalitate accipiat.De me regalis Propheta ſcripſit: Qui extendit manum ſuam in retribuēdo. Si quidem veluti digito tango,dum afflictionem dilectis meis immitto: iuxta illud:Manus Domini tetigit me.At contrà,dum commeritam mercedem tribuo,manum meam magnificè extēdere ſoleo.Cæterùm in hoc meo horto tantis ego reficior deliciis, vt mihi videar,in paradiſo ameniſsima habitare. Mirabile eſt fratres, quas delicias parauerit ſponſus in hoc horto Eccleſię,vel in qualibet anima ſancta.O quā refertus eſt omnium florū copia,& pomorum abundantia!Myrrham ſuam meſſuit,quando tam atrocem mortem pro nobis immeritis ſubiit. Ideò myrrha conditus ſepultus fuit: vt amaritudo paſsionis eius memoriæ noſtræ adhæreat. *Meſſui myrrham meam cum aromatibus meis.* Hoc eſt: Sepulturam cum vaticiniis prophetarum de me aſſerentium adimpleui. Vel myrrham meſſuit ſuam, dū immortalitatem reſurgendo induit.Verùm myrrhæ virtute corpora à corruptione liberantur,& illeſa permanēt. Et benè ſua eſt hæc myrrha, quia primò ipſe ſurrexit, & virtutem reſurgendi aliis impertiuit. Chriſtus primitiæ mortuorum,ait Paulus.Et rurſus:Si credimus,quòd Chriſtus mortuus eſt,& reſurrexit:ita Deus eos,qui dormierūt per IESVM, adducet cum eo. O myrrham myrabilem,

Pſal.54. *Paſsio Chriſti.* *1.Theſſa.4.*

quæ

quæ non corpora mortua à corruptione ſeruat, ſed carnem immortalem efficit. Eatenus caput noſtrum Chriſtus ſurrexit, vt nobis myrrham hanc exhiberet. Volo Pater, vt vbi ego ſum, & illi ſint mecum: vtique reſurrectionis gloria mecum fruantur. Iterũ: meſſuit Saluator myrrham ſuam cum aromatibus, vbi tot martyres, confeſſores, & virgines poſtquam in cruce obierit, ſecum in cælũ euexit. Nam in eius glorioſa aſcenſione, vti magnificus triumphator, captiuam ſecũ duxit captiuitatem, tot millia ſanctorum è limbo eripiens. Hæc omnia geſta ſunt
Lucæ.1. ipſo veniente in hortum ſuum: dũ per viſcera miſericordiæ ſuæ, viſitauit nos oriens ex alto. Alludit ad hoc, quod
S. Grego. ſanctus Gregorius ſcripſit. Myrrham dilectus cum aromatibus metit, quando Chriſtus mortificatione vitæ ad perfectionem perductus, electum ſuum ab hac vita ſuccidens, ad cæleſte horreum cũ ſancta opinione inducit.

COmedi fauum cum melle meo, bibi vinũ meum cum lacte meo.

NVLLATENVS de ſacrificiis & holocauſtis antiquis hoc intelligẽdum eſt, vt quidam Hebræi falsò exponunt. Vmbratica erant illa, vt nuperrimè attigi
1. Corin. 10. mus. Quod ſanè Apoſtolus non tacuit: Omnia (ait) cõtingebant illis in figura, ſcripta autem ſunt propter nos, in quos fines ſeculorum deuenerunt. Et alibi: Lex vmbram habet futurorum. Sed quoniam magnoperè ſponſus delectatur in edendis ſponſæ ſuæ operibus, & pomorũ fructibus, eã ob cauſam ſic loquitur: Perindè dicat: In hoc horto meo ego iam reficior deliciis, vt mihi videar, non aliud quã fauũ mellis puriſsimi comedere. Imò non poteſt quiſquã mellis dulciſſimi, vel ad ſaturitatem vſq; co

meſtione,

meſtione,& vini optimi, ſuauiſsimiq́ue lactis potatione oblectari,quã ego oblector mirificè in eſu pomorũ iſtorum,in benigna acceptatione bonorum operum,quæ ex meo munere creſcunt in arboribus horti mei.Nónne cũ adhuc in hoc exilio eſſet,delicatiſsimum cibũ fore teſtatus eſt?Meus cibus eſt, vt faciam voluntatem Patris mei, qui in cælis eſt.Et ſtatim ſubnectit:Ego cibum habeo mã ducare,quẽ vos neſcitis.Quis autẽ cibus iſte fuerit,palàm faciens dixit:Operamini cibum,nõ qui perit,ſed qui manet in æternum,quẽ filius hominis dabit vobis.At inquirentibus de hoc cibo reſpondit:Hoc eſt opus Dei, vt credatis in illum,quem miſit ille.Quo verbo indicauit, opera fidei noſtræ charitate formata,quibus Deũ nobis meremur,cibum illum eſſe,ad quẽ docebat fore aſpirandum, ipſumq́ue præ omnibus,& ante omnia quærẽdum.Hãc profectò iucũdiſsimam cœnam rurſus ipſe patefacit, vbi inquit:Ego ſto ad oſtiũ,&pulſo:ſi quis aperuerit mihi,intrabo ad eũ,& cœnabo cum eo,& ipſe mecũ.Deniq; gratuita acceptatio fidei,& operũ,quę ipſa per dilectionem operatur in Eccleſia,ipſi ſpõſo mãducatio eſt faui mellis &vini cũ lacte dulcis potus,id eſt illius omnes delicię.Aperitur ei,cùm per opera proficit charitas,augetur gratia, & conſeruatur.Sanè magis operando,magis Chriſto aperimus,vt ad nos intret,& nobiſcum cœnet. O fœlix conuiuiũ:ô beata anima cũ qua & in qua Saluator mundi conuiuatur.Sub hæc vinum & lac bibit in anima ſponſus, cũ gemina eius contẽplatione,diuinitatis ſcilicet, & glorificatæ humanitatis gaudet ac delectatur. *Ioan.4.* *Ioan.6.* *Apoc.3.*

Sanctus Gregorius ſic ait:Fauum mellis comedit ſpõſus,quando deſiderium ſanctũ in ſanctis operibus latens perficit,& ad ſanctorum terminum ſanctam animã ſua delectatione impinguãdam tranſigit.Vinum verò ſuum *S.Gregor.*

cum lacte bibit quando & perfectione quorundam ſe reficit, & innocentiam aliorum cum pietate diligens, vtroſque ad æternum terminum ingerit. Sed iam quid ſubeſt

Queſtio. cauſæ, IESV bone, quòd non fauum tuum dicis: ſicut & mel tuum appellas? Quorſum hac diſtinctione nunc vteris? Audite obſecro, Chriſtus vtrunque eſt, mel & fauus Deus & homo. Et quia peculiare ſibi eſt, & ſuapte natura

Ioan.1. ab æterno eſt Deus, nam in principio erat verbũ, & Deus erat verbum, humanitas ei non eſt naturalis, ſed magis aſſumpta, & dignatione affecta eſt illi naturalis, eam ob cauſam ſic loquitur. Mira res: donec Deus homo factus eſt, mel ſuaue erat. De quo Dauid: Quàm magna eſt mul

Pſal.30. titudo dulcedinis tuæ, quam abſcondiſti timentibus te! Et alibi: Guſtate & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus. Nunc verò, vbi in virginis ſacerrimæ aluo noſtræ humanitatis trabem induit, mel in fauo eſt: quia verbum caro

Nota. factum eſt, & habitauit in nobis. O admirabile ſacramentum: quamdiu Chriſtus IESVS in hoc exilio vixit, mel abſcondebatur in fauo, Deus deliteſcebat in homine: at poſtquam ſurrexit, & nec moritur, neque illi mors vltrà dominabitur, quaſi fauus latet in melle, ſic ſanè glorificata eſt caro illa, vt iam ceu ſpiritualis ſit, infirmitatis nil habens. Quin & de reſurrectione ſanctorum Apoſto-

1.Corin.15. lus differens ait: Seminatur corpus animale, ſurget ſpirituale. Et fortaſse Dominus propter hoc fauum mellis mã ducauit cum diſcipulis, reſurrectionis gloria parta. Quẽ triumphum mirabilem Apoſtolus inſinuans ait: Si nouimus

2.Corin.5. Chriſtum ſecundum carnem, ſed iam nõ nouimus. Curramus ad hoc conuiuium iam, in quo fauus mellis, & vinum cum lacte cibi ſunt delicati. Ille guſtauit vinum cũ felle mixtum in cruce, non autem bibit, velocem amari-

Matt.26. tudinis tranſitum ſignans: bibit autem reſurgendo vinũ

nouum

nouum in regno Patris ſui, cum lacte ſuo. Nos ergo, veſti gia eius imitantes, patienter aduerſa feramus: nã momentaneum eſt quod cruciat: æternum erit quod delectat. Vndè lepidè ſanctus Petrus nõs hortatur. In quo exultabitis modicum, ſi oportet contriſtari in variis tentationibus: vt probatio veſtræ fidei multò pretioſior ſit auro, quod per ignem probatur. Enimuerò vita hac tranſacta, bibemus vinum noſtrum cum lacte noſtro: bibemus & inebriabimur, obliti priſtini laboris, & anguſtiæ præteritæ, nouæ reſurrectionis dulcedinem deguſtantes. Sicut ſcriptum eſt: Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. *S. Auguſt.* *1. Petri. 1.* *Pſalm. 35.*

Nec deſunt, qui hunc locum explicent de illo maximo ſacrificio iuſtitiæ, quod de ſeipſo Deo Patri Chriſtus obtulit, pro totius mundi delictis. Quod quidem perindè ei dulce fuit facere, ſicut comedere fauum mellis, & bibere vinum cum lacte. Ipſe oblatus eſt, quia voluit. Quin ad hoc tantum naſci voluit, vt veniret in hortum ſuum, & comederet fauum mellis, & biberet vinũ cum lacte, id eſt, vt pro nobis pateretur. Bonè Deus: tanto deſiderio, tamque flammigero affectu noſtræ ſalutis ardebat, vt vehementiſsimè patiendo pro nobis, non pati, ſed mel comedere, & lac bibere ſibi videretur. Quo pertinet illud, quod diſcipulis in vltima cœna dixit: Deſiderio deſideraui, hoc Paſcha manducare vobiſcum, antequàm patiar. Ecce flammas, quæ ex pectore illo ſacroſancto prodibant. Ni fallor, rogus ingens charitatis in corde eius ardebat, cuius ſcintillæ ardentes verba hæc erant. Fœlix & nimium fœlix anima, quæ ab altari diſcedens, & ſacram euchariſtiam ſuſcipiens clamat: *Comedi fauum meum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo.* Fauus mellis hoc ſacramentum eſt, in quo mel diui- *Eſai. 53.* *Matth. 26.* *Euchariſtia.*

O nitatis,

nitatis, & cera humanitatis adeſt. Et benè fauus noſter? Quia paruulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis. *Eſai.9.* Rurſus: qui gratiam ſacramenti ſimul cum ſacramento recipit dignus accedens, is fauum cum melle comedit: qui verò indignè ſummit, non niſi fauum, ideſt, ſacramẽtum recipit, effectum autem ſiue gratiam ſacramenti nõ edit. Ideò reus erit corporis, & ſanguinis Chriſti: ſicut Apoſtolus admonet.

COmedite amici & bibite, & inebriamini chariſsimi. Hebraicè. *Comedite ſocij, et bibite, & inebriamini dilecti.*

NVSQVAM non ſponſus charitatis flammas ſpirat, potiſſimè erga orthodoxos ſuos ſymbola magna amoris oſtendit. Ecce quàm vnicè nos amet. Nõ ſanè vult ſine nobis cœnare, epulari, & deliciari, aut ſolus agere feſtum. *Comedite amici* (inquit) *& inebriamini chariſsimi.* Nil de cibariis aut vino deffecato loquitur: eo quod ad eaſdẽ delicias nos ſpõſus Chriſtus inuitat, quibus ipſe paulò ante, ſe dixit mirificè refectum, quaſi mellis eſu, & vini potuq; cum lacte. Attendite, cùm largitatẽ, tùm bonitatẽ ineffabilem inuitantis, & inexhauſtas grates ei agite. *Nota.* Equidem vti Chriſtus Dominus noſtris operibus, quippeq; in fide & dilectione ob eius gloriã operamur, reficitur, & ea ſuas delicias & epulas facit: ita nos viciſſim ipſius opera, quæ pro noſtra ſalute operatus eſt, ſuauiſſima, & miſericordiæ, ac pietatis plena noſtras debemus eſtimare epulas, atque nectarea cibaria. Adeò vt de eis comedamus & bibamus, imò ſaturemur & ebriemur, per aſſiduam meditationem ea mandendo, ac rumi-

minando: nec non per deuotam affectionem gratitudinis, vſq; ad intima traiiciendo: haud ſecus quàm cibum corporis quotidiè manducamus, & ad intima eum mittimus, idq; de poru facimus. Nónne in lege animalia, quæ non ruminabant, tanquã immunda habebantur? Notandum, quòd non omnes ad hoc lautum & opiparum conuiuium vocãtur, ſed illi duntaxat, qui ſunt amici, vel chariſſimi. Iis planè arcana ſua reuelat, & manifeſtat, quæ à Patre audiuit. O quanta, quamque mirabili ſuauitate electi Dei reficiuntur, dum creationis opera, & redemptionis myſteria, tota ſui intellectus indagine contemplantur! Delectaſti me Domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum meditabor. Factura Dei omnipotentis totus mundus eſt, cuius contemplatione etiam Philoſophi delectati hominum conſortia, diuitias, & honores ſpernebant. Opera manuum Dei redemptionis noſtræ myſteria ſunt: in quibus pia mens ſuper omnem faui, vini, & lactis dulcedinem deliciatur. Hiſce inquam nectareis cibis mirum in modum ſatiatur, atque inebriatur. Inebriatur inquam ſic, vt eorum quæ retro ſunt obliuiſcens, ad ea quæ anteriora ſunt, cum Apoſtolo ſe extendat. Quid multis immoror? Ceu ebrius clamat, & ait: Omnia arbitratus ſum vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciam.

Simile.

Ioan. 15.

Pſal. 91.

Philip. 3.

Cęterum amicos vocat Patriarchas, & Prophetas, qui tanquam propinqui, & amici lõgiùs abfuere, de verbo vitæ & paſſione Domini, nihiloſecius, de ſpiritus Sãcti profluuio comederũt, & biberunt. Hinc Dñs ait. Multi reges & prophetæ deſiderauerunt videre, quæ vos videtis. Et iterum, Abraham vidit diem meum: vidit, & gauiſus eſt. Atqui Apoſtoli Chriſti & Martyres, qui illum contrectare ex diuina beneuolentia meruerunt, vti chariſſimi ine-

Lucæ. 10.

briati ſunt. Vel amici illi ſunt, qui mādata Dei opere adim-
Ioan. 15. plent. De quibus Saluator noſter teſtatus eſt: Vos amici mei eſtis, ſi feceritis, quæ ego præcipio vobis. At qui conſilia ſectantur, cuncta relinquentes pro Chriſto, & perfectè adhærent, ij chariſsimi ſunt, quia charitate pleniſſimi. Sed quid eſt inebriari, niſi amoris Dei dulcedine perfectiſsimè repleri? Mirabile dictu: in hoc cōuiuio non diui-
Pſal. 21. tes, ſed pauperes ſaturantur: iuxta illud: Edent pauperes & ſaturabuntur, & laudabunt Dominum, qui requirunt eum. Ecce paupertas & vbertas ſimul: nā ſpiritu pauperes beati ſunt, & eorū mentes dapibus ſpiritualibus ſatiātur: Diuites eguerunt & eſurierunt. Quid ni ſaturētur, & inebrientur, quos Rex regum Chriſtus introduxit in cellam vinariam, & ordinauit in eis charitatem?

Denique, verba hæc quotidie nobis Chriſticolis Dñs noſter, vt potè miſericordiarū pater loquitur, & in ſacroſancta hoſtia ceu in throno realiter exiſtens clamat: *Come-*
Eucharistia. *dite amici, & bibite, & inebriamini chariſſimi.* Etenim qui optimè fragilitatem noſtram norat, & nos peregrinos in hac calamitoſa vita eſſe viderat, viaticum hoc nobis reliquit, corpus ſuū omni melle ſuauius, & ſanguinem ſuū, quouis vino præſtantiorem magnificè tribuens. Non ſat ei fuit, vt ſe in ſocium daret nobis, ex alma virgine naſcēdo, in pretium atrocem mortem obeundo, niſi ſe ſe in cibum impertiret. O ineſtimabilem Chriſti IESV er-
Nota. ga nos amorem. O ineffabilem regis noſtri charitatem. Quis pro dignitate verbis eloqui poteſt, tàm præclarum, tamque mirificum donum? Stupet intellectus, & prorſus hebeſcit, lingua quamlibet diſerta balbutit in contemplatione huius ſacramenti. *Comedite amici, & bibite*, ait. Alluſio eſt ad illud, quod in cœna vltima, con-
Matthæ. 26. ſecratione facta, ſuis Apoſtolis dixit: Accipite, & comedite

dite, hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur. Et ſubindè intulit: Bibite ex hoc omnes: Hic eſt calix ſanguinis mei noui & æterni teſtamẽti. Amici tantùm accedãt, & hoc pane viuo, qui de cælo deſcendit veſcantur. Qui verò inimici ſunt, & ſceleribus coinquinati abſtineant oportet: ne vt Iudas ad damnationem hunc panem Angelorum edant. Qui autẽ chariſsimi ſunt, quique omnino mundo & carni, diaboloque vale fecerũt, & toto corde Deum optimum diligunt, inebrientur ad ſufficientiã, & ſi non ad plenitudinem: quippe quam in ętthereis aulis habere expectamus. De qua in Pſalmo habetur: Satiabor dum apparuerit gloria tua. Et alibi: Inebriabũtur ab vbertate domus tuæ, & torrẽte voluptatis tuæ potabis eos Domine. Sed de fructu huius ſacramenti, deque præparatione, qua opus habent conuiuæ, fuſiùs tractauimus in feſto Corporis Chriſti, in ſancturali noſtro. Poterit prudens lector ibi, nõnulla inuenire, quę aliquid frugis prę ſe ferunt. Et quanquam quidam verba ſponſi hæc ad cæleſtem beatitudinem referant (de qua Dominus pollicitus eſt dicẽs: Vt edatis, & bibatis ſuper menſam meam in regno meo) ſatis congruè exponuntur, vt iam attigimus. *Pſal. 16.* *Pſal. 35.* *Lucæ. 22.*

Ego dormio, & cor meum vigilat.

POST tot cæleſtia cibaria, & poſt potum vinum defęcatum, nec non tali ambroſia ſponſa inebriata: quid ſupereſt niſi quies, & ſomnus? *Ego* (ait) *dormio, & cor meum vigilat.* Multifariè verba hæc à doctoribus exponuntur. Quidam de ſynagoga illa interpretãtur: quippeque tunc dormiebat, quãdo idolis thura offerebat, & dęmoniis litabat, Deum verum non adorabat, nec mandata eius implebat: de qua Dominus ait: Tu autem fornicata es cum amatoribus multis: veruntamen reuertere ad *Iere. 3.*

me,&ego ſuſcipiam te. Vbi fornicationem Deus appel-
lat ſcelus nefandum idolatriæ. At ſponſus optimus Deus
vigilabat, cogitans de ſalute ſponſæ, ne in delicto tã atro-
Pſal. 120. ci perſiſteret, & periret. Vndè regalis Propheta dixit: Ec-
ce non dormitabit, neque dormiet, qui cuſtodit Iſraël.
Ipſe vtique, vt vt ſanctus, & ſuapte natura bonus, ſemper
cogitat cogitationes pacis, & non afflictionis. Cor ſpon-
ſæ Deus eſt: nam ſedes vitæ cor dicitur. Si ergo Deus opti
mus fons omnium viuentium iure vocatur: non abs re
ſponſa inquit: *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Alij ſic
locum hunc elucidant. Ego, ait ſpõſa, dormio, quia cor
pus quod corrumpitur aggrauat animam, & deprimit
Sapi. 9. terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem. Imò pon
Rom. 7. dere hoc prægrauatus Paulus exclamauit: Infœlix ho-
mo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Sed
quamuis ſic ex parte corporis craſsi huius, ad omne ma-
lum facilis, & ad omne bonum difficilis & oſcitabun-
da ſim: ſecundum ſpiritum, qui promptus eſt, & ſemper
aduerſus carnem certat, ad diuina alacris & vigilãs ſum.
Itaque ſi ex parte fragilitatis meæ aliquando dormio,
ſpiritus meus vigilare nititur pro virili ſua. Hinc beatus
S. Gregor. Gregorius ait: Dum à mundanis tumultibus exteriùs
dormio, in interiori cogitatione quæ ſunt cæleſtia con-
ſidero. Quia ſancti viri dum terrena omnia deſpiciunt,
dum tumultus falacis mundi omnino fugiunt, dum de-
nique ſanctum ocium in via hac ſumunt, nequaquam
vt torpori vacent, ea dimittunt: ſed interiùs laborantes,
quæ ſint illa, ad quæ facti ſunt, in corde aſpirare conten-
dunt. Sic, vt liberiùs æterna contemplari queant, à tranſ-
Pſal. 4. itoriis rebus quieſcũt, cũ Pſalmographo dicẽtes: In pace
in idipſum dormiam & requieſcã. Vel ſi volumus, ſpon-
ſa dormire ſe fatetur, ratione imperfectorum: qui non

ſatis vigilant pro cuſtodia cordis ſui, de quo teſte Salomone vita procedit, & ideò omni vigilantia eſt cuſtodiendum. Diabolus tanquam leo ſemper rugiens circuit, quærens quem deuoret, vti nos hortatur Petrus. *Nota.*
Cor autem ſponſæ, ideſt, perfecti viri indeffeſsè vigilant orantes, ieiunantes, & aliis exerciciis id genus vacantes: ita vt ſi ob neceſsitatem aliquando corpore dormiāt, deſiderio flagranti, & ſpiritu feruenti inuigilēt. Quin & quotidie antequam dormiant, & lectulo decumbant, ingemiſcentes cum Dauide genuflexi orant: Domine Deus *Pſal. 24.*
meus de neceſsitatibus meis eripe me. Et iterum: Educ *Pſal. 141.*
de carcere animam meam, vt inceſſanter confiteatur nomini tuo. Beatum dixerim eum, qui toto corde ſic orans cubiculum intrat. Quod verò perfecti in Eccleſia iure cordis nomen ſortiantur, in propatulo ratio eſt. Enimuerò, ſicut cæteris membris cor præcellentius eſt, & ab illo virtus & fortitudo dimanat: ſic per viros iuſtos Eccleſia dona multa recipit à Chriſto. Vndè orante Moſe in mōte Sina Dominus placatus eſt, & pepercit populo ſuo per- *Exod. 32.*
peram idolatranti. Rurſus, ad Heliç precationem, ne dū puer quidam ſurrexit, ſed cæli cataractæ apertæ ſunt, & aquarum abundantia deſcendit. Quid quod orāte Chriſtifera Maria, Deus homo factus eſt? Ecce ancilla Domi- *Lucæ. 1.*
ni (ait) fiat mihi ſecundum verbum tuum: & ſubindè verbum caro factum eſt.

Mitto lubens, quòd ſanctus Gregorius etiam verba Chriſti ſponſi dicit hæc fore. Dormit ergo ſpōſus, & cor vigilat, inquit, quia Chriſtus in dextera Patris glorificatus quieſcit: vigilat tamē, quoniā omnes electos adiuuat, ne ſuccūbant: quo triūpho victoriç adepto, ad aulas cæleſtes eos deducat. Ego vt verum fatear, ſponſæ vocē hanc dixerim, non ſponſi. Faxit Deus optimus, vt quiſque no-

ſtrum ſeriò dicere valeat: *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Amor Dei vehemens vnit & inebriat: & quemadmodũ in ebrietate, ſic in ſomno animum abalienat amoris vis. Exemplo nobis ſit Paulus: Viuo iam non ego, viuit verò
Gala.2. in me Chriſtus. Quaſi diceret: *Ego dormio & cor meum vigilat.* Ab aliis negotiis obdormio, imò mundo mortuus, viuo autem Chriſto IESV: cor meum vigilat, ad ſectandam ebrietatem, ad quam ſponſus me inuitat. O mirabilem ſeriem, de ebrietate conſurgit dormitio, & de dormitione vigilia. Sponſus dicit: Ebriemini. Sponſa dicit: Ego dormio. Bonus ſopor mentis alienatio ab affectibus carnis, ne dicam aliquando à ſenſibus corporis. In corpo
2.Corint. 12. re an extra corpus, neſcio, Dominus ſcit, aiebat Apoſtolus. Miranda res: tunc magis viget, & inuigilat amor ſanctus, cùm conſopitur penitùs omnis affectus animalis. *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Dormio propter amici requiem: vigilo propter raptum. O dulcem ſomnũ, & ſuaue ſomnium neſcire alia, & ſolùm te Domine ſentire, vacare tibi, vti hîc datur per extaſim, & ænigma. Væ autem,
Ierem.2. qui corde dormiũt, carne verò vigilant. Nempè tales fonte aquæ viuę relinquentes, ciſternas diſsipatas foderunt, quæ (proh dolor) non valent continere aquas. Ad hos cla
Eſai.51. mat Dominus: Expergiſcimini, qui eſtis ebrij, & non à vino. Audi paupercula & ebria, & non à vino, ait Do-
Ioelis.1. minus, Et in Ioële: Expergiſcimini ebrij, & flete. Cui ſententiæ adſtipulatur Paulus, vbi ait: Surge qui dormis, reſurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus. Nos quidem cum ſponſa dormiamus iis quæ ſunt mundi, & corde Chriſto IESV vigilemus. Beatus ſeruus ille, quem cùm ſponſus venerit, inuenerit vigilantem: proculdubio, ſuper omnia bona ſua conſtituet eum: Sicut ore ſuo ſacro pollicitus eſt.

V*Ox dilecti mei pulſantis: Aperi mihi ſponſa mea, columba mea, immaculata mea.* Ita ferè in omnibus tribus linguis.

DORMIEBAT ſpõſa, vti ipſa fatebatur, nihilominus cor eius vigilabat, & ideò vocem ſponſi extemplò audire potuit. Dormiebat mũdo, vigilabat Deo: tanquam audiret vocem illam dicẽtem: Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem. Itaque ipſa dormiẽte, ſimul & vigilante, ſponſus eam alloquitur. Ecce ad oſtium eius clamans & pulſans: *Aperi mihi ſponſa mea*, nam tãto amore in te ardeo, vt me non poſsim continere, quin amantium more, per rorem in nocte non veniam ad te. Ros benedictionem, quam præ ſe fert ſponſus inſinuat. Venit quidem cum magna bonorum & chariſmatum retributione. At, guttę noctium terrorem inducũt, niſi ipſa aperiat dilecto pulſanti. *Et cincinni mei guttis noctis* pleni ſunt: ideſt, Niſi mihi aperias in manu mea ſunt plurima ſupplīciorum genera, & ea de te ſummam, necnon de omnibus qui mihi pulſanti aperire noluerint. Vbi notandum, quòd Deus pulſat non ad oſtium ligneum, ſed ad oſtium cordis: iuxta illud: Audiam quid loquatur in me Dominus: quoniam loquetur pacem in plebem ſuam, & ſuper ſanctos ſuos, & in eos qui conuertuntur ad cor. Vocula illa (in me) emphaſim habet, Non modo loquitur Dominus ad ſponſam per Angelos, per totius mundi pulchritudinem, & creaturas, ſed per ſeipſum internè inſpirando, & arcana reuelando ſua. Loquitur pacem in plebem ſuã: quia princeps pacis in Eſaia vocatur. Ad quid ergò pulſet in Apocalypſi palàm eſt. Ego (ait) ſto ad oſtium, & pulſo, ſi quis aperuerit mihi, intrabo ad eum, & cœnabo cum eo, &

Nota. *Pſalm. 84.* *Apoca. 3.*

co,& ipſe mecum. Ecce per internas inſpirationes vocat, ad vitæ emendationem, vel ad ampliorem profectum, vel ad firmiorem amoris cum ipſo adhęſionem. Qua de re blandiſſimè loquitur amicam ſponſam, columbam, immaculatam ſuam appellans. Quid obſecro tot titulis dicere vult ſponſus, niſi quòd vnico verbo per Salomo-
Prouer.23. nem dixit: Fili præbe mihi cor tuum. Equidem aliud non eſt Chriſto IESV pulſanti aperire, quàm ei ſpontè cor noſtrum hilari fronte præbere, ipſius ſaluberrimis inſpirationibus locum dare, atque obedire At contrà, oſtium ei occludere, vocationi illius non acquieſcere, imò eam
Nota. repellere eſt. Obſeruandum verò, quòd ſponſa ſancta Eccleſia vocem alienorum hæreticorum, & infidelium nõ agnoſcit, ſed ſpõſi ſui, paſtoris optimi. Huc pertinet illud:
Ioan.10. Oues meæ vocem meam audiunt, & ego agnoſco eas. Sed Domine, quorſum ad ianuam cordis pulſas? tu Rex gloriæ fingis corda noſtra ſigillatim, opus manuum tuarum cor noſtrum eſt: intra ad illud, non opus eſt vocatione, aut pulſatione. Audite fratres obſecro, & liberi arbitrij dignitatẽ expẽdite. Fecit Deus hominem rectũ, & reliquit
Eccle.5. eum in manu conſilij ſui. Filios libertate ornatos creauit Deus, non mãcipia, aut ſeruos. Vndè ſanctus Auguſtinus:
S.Auguſt. Qui fecit te ſine te, non ſaluabit te ſine te. Suũ eſt cor noſtrum, & cor regis in manu ſua eſt: tamen ſapientia attingit à fine vſque in finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter. O admirabilẽ, & votis omnibus laudabilẽ ſummi numinis dignationẽ, quàm maximè requieſcere, & cubare
Prouer.8. in corde noſtro cupit, cuius ſunt delicię cũ filiis hominũ. Quandoquidẽ ineffabilis ſponſi charitas pateſcit, quod cũ ipſe noſtro cõmercio nihil indigeat, & nil illi poſsit cõmodi accedere: dignatur nihiloſecius vltrò ad nos venire, noſtriq; cordis oſtium pulſare, velut in eo magnopere

cupiens

cupiens habitare. Dubio procul valde mentes pias oble-
ctat, quod tam amiciſsimè ſponſam ſuam compellat ſpō
ſus, blandiſque demulcet titulis, cùm aperiri ab ea ſibi
oſtium poſtulat. Sic qui aliquem regem rogant amicitię
nominibus, & appellationibus vtūtur, quo impetrare poſ
ſint quod cupiunt. Scriptum eſt: Sermo durus excitat fu-
rorem, mollis verò frangit iram. Nec vult Deus obſequiū *Prouc.15.*
noſtrum ex neceſſitate oriatur, ſed ex vltronea volunta-
te. Sic ait Paulus: Hilarē enim datorē diligit Deus. Quin *2.Cor.9.*
& vehementer gaudet, quando corde ſincero dicimus:
Voluntariè ſacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo,
quoniam bonum eſt. Cæterùm indefeſſa pulſantis perſe-
uerantia apparet, vbi caput ſuum rore noctis plenum ſe
dicit, & in cincinnis guttas noctis portare videtur, hoc di
ctum ad ſimilitudinem eius, qui per multas horas in tem-
peſta nocte pulſans perſeuerauit ad oſtium: ita vt guttulæ
per cincinnos capillorumque complexiones deffluant.
Verum caput Eccleſiæ Chriſtus eſt, & is plenus rore gra-
tiæ ad nos venit: vt mentes noſtras virtutum omnium
chariſte locupletet. Cincinni illius omnes electi ſunt, ad
quos guttæ huius roris & gratiæ abundè deſcendit.

Sub hæc diuus Gregorius eatenus dicit ſponſum ſuā *S.Grego.*
ſponſam vocare, vt non ſibi ſoli in cōtemplatione vacet,
ſed ad ſpiritalem doctrinam exhibendā, & peccatores cō
uertendos ſe accingat. Quia dum viri perfecti ſibi tantū
incumbunt, multi in ſeculo fallaci ad ſcelera patranda
currunt. Vndè Apoſtolis præcepit: Ite in vniuerſum *Marci.vlt.*
mundum, & prædicate Euangelium omni creaturæ.
Quod autem ſpōſus propterea ſponſam excitet, vt dog-
mata ſancta peccatoribus præbeat, & ad pœnitētiam quā
primū conualere vellint, ex iis quę ſequuntur probat hic
ſanctus doctor: *Quia caput meū plenū eſt rore, &c.* Quid per
caput

caput,ait,niſiDeus?&quid per rorẽ,rectè in hoc locò,niſi
Heb.6. frigora mentium carnalium accipiuntur? Scriptũ eſt, de frigore carnalis mẽtis:Sicut ciſterna frigidam facit aquã, ſic frigidam fecit malitiam ſuam.Caput ergo Chriſti ple num eſt rore:quia multi in Eccleſia Deum credunt,& ta men frigidi perſiſtentes,ardore charitatis non accendun tur.Per cincinnos eoſdem populos intelligimus: quos in fide diuinitatis,quaſi in capite Chriſti pendentes, & opprimentes ſcimus.Heu pleni ſunt guttis noctium: quia iis viſibilibus rebus dediti,magis ac magis ſtillationibus iniquitatis fluunt.Ad hos accendendos ſpõſa excitatur, dũ ſpiritualis quilibet pro ędificatione plurimorum ad prædicationem,vel prælationem vocatur.Apoſtolus ait:Nemo ſibi ſummat honorem,ſed qui vocatur tanquã Aarõ.
Dogma. Et alibi:Quomodo prædicabunt,niſi mittantur?

Nos verò chariſsimi,ſtatim vt ſponſus pulſauerit,ei lubenter aperiamus. Sponſa ſumus eius,columba & immaculata illius:Si ergo tot titulis nos ille poſsidet,par eſt, vt nõ ſatanæ verſuto,non mũdo fallaci,ſed Chriſto cuius nos ſumus aperiamus.In carne ſoror,in ſacramentis ſpõſa,in peccatorum remiſſione colũba Saluatoris appella-
Eſai.26. mur.Etenim ros eius,ros lucis eſt, Eſaia teſte. Eò dubio procul,virentes herbas,vernantes flores, nec non poma dulcia anima progignere,ac offerre ſpõſo ſuo poterit.Si-
Oſee.14. cut ſcriptum eſt:Ero ei ros,& Iſraël germinabit.

EXpoliaui me tunica mea , quomodo induar illa? laui pedes meos,quomodo inquinabo illos? Sic in omnibus tribus linguis.

NONNVLLI ſynagogam loqui aſſerunt: ita vt quaſi vaticinium ſit ſceleris futuri:nam Chriſtum venien-

venientem,& vociferantem,totque miraculis facientem, ſuſcipere nolluit,dicente Ioanne:In propria venit, & ſui eum non receperunt.Pulſabat igitur ſponſus ad oſtium dormiētis ſynagogæ, ipſa verò friuolas excuſationes adducens reſpondebat: *Expoliaui me tunica mea, &c.* Enimuerò verba ſunt mulieris adulteræ,alium amatorem ſecū habens in lecto,tergiuerſatur aperire viro ſuo.Miſſam me fac,inquit,alios deos colo,& illis inſeruio, ideò ianuam aperire nollo. Quamobrē expoliata fuit duplici tunica, regali ſcilicet,& ſacerdotali dignitate.Et vaticinium Chriſti completum eſt:Amē dico vobis relinquetur vobis domus veſtra deſerta.Et rurſus: Auferetur à vobis regnum, & dabitur genti facienti fructus eius.Hinc geſtum eſt, vt Iudæi vbique manent vti captiui,ſine lege, ſacerdote, & rege,mordicus tenentes literam,quæ,vt teſtatur Apoſtolus,occidit,ſpiritus autem, quem Eccleſia noua Romana habet, ille eſt qui viuificat.

Ioan.1.

Matth.21.

Ad hæc,quàm ſit ſponſa, vel mens noſtra tepida ad aperiendum ſponſum nobiliſsimum Chriſtum, quique ad oſtium cordis noſtri pulſare aſſolet ingenti amore tactus,verbis hiſce notum eſt:Ipſe,vt potè ditiſsimus,ac nobiliſsimus,ad mentem venire dignatur, quo eam omnigenis virtutibus ditet: ipſa verò paupercula, & ignobilis aliquando amore alicui creaturæ adhærens, è lectulo in quo quieſcit affectus eius,ſurgere moratur. Mira res: quā nullius momenti ſint excuſationes quas prætendit! *Expoliaui me tunica mea, laui pedes meos.* Quodam modo alludit ad illud,quod de amico narrat Dominus,qui tres panes petebat.At homo moras trahens,dicebat:In tempeſta nocte ad me veniſti,oſtiū clauſum eſt,pueri mei mecum ſunt in lectulo. Veruntamen ob importunitatem, tandem ſurrexit.Non abſimiles ſunt excuſationes haſce,

Nota.

Lucæ.11.

quas

quas præſe fert ſponſa. O tarditatem noſtram: ô inutiles excuſationes, quas prætendimus trahentes moras, & cor- uino cantico vtentes: cras, cras, cras, à peccato ſurgam, & ad pœnitentiã conuolabo. Mãda, remanda: modicũ ibi, modicũ ibi: expecta, reexpecta, expecta reexpecta: modicũ ibi, modicũ ibi: tale eſt verbũ Dñi, vt in Eſaia legimus, iis, qui pigritia magna laborant. Sed timendum valdè eſt, quod ſequitur. Vt vadant, & cadant retrorſum, & conterantur, & illaqueentur, & capiantur. Sanè Apoſtoli in mõte, voce Patris audita (Hic eſt filius meus dilectus) ceciderunt in facies ſuas, & ſtatim I E S V S tetigit eos, & eleuauit à terra. Verſutus Iudas, & qui cum illo erant in horto, volentes comprehendere I E S V M, voce illa diuinitatis tonante, Ego ſum, retrorſum abierunt. Ideò eò dementiæ venerunt, vt manus ſacrilegas iniicerenr in I E S V M. Vos fratres mei ſponſo pulſanti extemplò aperite ei, ſiue media nocte venerit, ſiue in gali cantu, vigilate, & beati eritis, ſi cunctis creaturis poſthabitis, illi cordis oſtium aperieritis. Ne obſecro aliqua ſenſualitatis affectio in vobis ſit. Ocyſsimè precor ianua cordis ſponſo aperiatur, etiam ſi in tẽpeſta nocte pulſauerit. O nimiũ fœlix, qui ita fecerit, diu noctuq; euigilans, vt cõfeſtim ſpõſo pulſanti aperiat.

Eſai. 28.

Matth. 16.

Vel vt ſanctus Gregorius enarrat: Sponſus ſuam dilectam ſponſam vocat, vt à ſomno contemplationis ſurgat, & vitæ actiuę incumbat. Noui, ait, quàm laborioſæ ſunt partes Marthæ, quæ quidem turbatur erga plurima, Dño autore. Oneroſam tunicam dimiſi, iã veſtita ſum ſubtilibus, graue nimis eſt mihi, rurſus ad prælationẽ, vel prædicationẽ deſcendere. Non poſſum de Maria, quæ optimã partẽ elegit, in Marthã degenerare. Nuda à quouis mũdi onere ſum, reuelata facie gloriã cæleſtẽ contẽplor, quomodo delicias has relinquã, haud video. Verba diui Gre

S. Grego.

gorij iam lubens referã: Tunica ſua ſpõſa expoliauit, quia omnia exteriora quibus honorabatur, & onerabatur abiecit: de qua tunica dicitur: Nũc autem qui habet tunicã vendat eam, & emat gladium. Gladiũ quippe, vendita tunica, emit, qui pro æternis tẽporalia abdicat, & in ſancta conuerſatione viuẽs, verbum prædicationis ſibi acquirit. De quo dicitur: Et gladiũ ſpiritus accipite, quod eſt verbũ Dei. Hunc gladium venit mittere ſpõſus in terrã, quo abſcindũtur omnes mentis praui affectus. Pedes autem ſuos ſponſa lauit: quia dũ in ſancto ocio anima viuit, opera ſua ſtudioſè ad memoriam reducit. Et quicquid in eis ſordidũ examinãdo inuenit, lachrymis & gemitibus quotidianis plãgit, cũ Dauide clamans: Lachrymis meis ſtratũ meum rigabo. Pedes inquam lauit: quia præterita opera, quibus per hũc mundũ diſſolutè ambulauit, deplorat, hos pedes iterũ inquinare metuit: quoniã valdè ſolicita eſt, ne ſi in prælatione ponatur, per terrena ambulans, iterũ ſuſcipiat quod dimiſit. Iccirco ab ocio ſuaui inuita recedit: quia dũ à maximis fluctibus aliena eſt, quaſi in littore poſita ſecuriùs viuit. Sed dilectus non leuiter mortem proximorum ferens, propius accedens, eam excitare nititur. Ideo ait ſponſa.

Nota. Lucæ. 22. Pſal. 6.

DIlectus meus miſit manũ ſuam per foramẽ, & venter meus intremuit ad tactũ illius: Hebraicè. *Dilectus meus miſit manũ ſuam de foramine, & viſcera mea reſonuerunt ſuper ſe.*

VIDETE ſolicitudinem ſponſi, & quanto amore cupiat, vt ſponſa ſurgat. Quippe quo excuſare ſe ennitens, iam ſponſus manum mittit per foramen

oſtij,vt ſaltim iam ſurgat à lecto, & operibus vitæ actiuæ operam det. De foramine cæli manum miſit Deus: quando filium ſuum miſit factum ex muliere, factum ſub lege, vt eos qui ſub lege erant redimeret. Sponſa cùm manum patris, ideſt, filium eius vidiſſet in hoc mundo, viſcera eius ſuper ſe commota fuere, ideſt, mox recordata eſt amoris priſtini in ſponſum ſuum: eas ob res decreuit ſurgere, & aperire ei. Mirabile eſt, quàm perſeueranter ſponſus vocet dilectam ſpōſam! Voce, & pulſu priùs vocauit: & moras inutiles illa prætendens, iam manum per feneſtram, ſiue foramen portæ extendit, vt ſic peſſulū eleuet. Ad hunc ſanè modum cum ſpiritali ſponſa ſponſus Chriſtus agit. Cùm enim videt nos, nō ſtatim ſuis ſanctis inſpirationibus obedire, quibus nos ad meliora euehere conatur, ſed excuſationes vanas prętendere, inaneſque proponere quærelas, ob quas morā facimus aperire illi oſtiū cordis noſtri, ſegnitiem noſtram & tarditatem euincere decernens, deindè manum ſuam validam immittit, cuius virtute intima noſtra mouere laborat: vt impedimenta, & obſtacula introitus amoueat. Quæquidē impedimenta, niſi ſua potenti manu, & efficaci operatione ſponſi fuerint ablata, quaſi oſtium cordis noſtri clauſum tenēt. Primo peſſimum peſſulum amouendum eſt, ita vt non carni conſentiamus. Si enim ſecūdum carnem vixeritis, moriemini. Hanc tenerè quidem amant, molliter eam tractātes. Secundò, quælibet inordinata affectio, quamuis non ſit mortifera, auferenda eſt: vt intima cordis noſtri ſponſus vltrò inhabitet. Si quis venit ad me, & non odit patrē ſuum, & matrem, & vxorem, &c. adhuc autem & animā ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Ait ergo ſpōſa, dilecto manum ſuā extendente, & per foramē intus mittēte, ad remouendum repagulum, & impedimentum ingreſſus

Gala.4.

Nota.

Lucæ.14.

greſſus auferendum,omnia viſcera mea peculiari quadã immutatione commota ſunt,& ſtupefacta,atque inimutata:adeò,vt iam moras trahere minimè audeam,quin illi pulſanti libenter aperiam.Notandum,quòd ad tactum peſſuli venter intremuit,quod in Hebræo dictum eſt: *Viſcera mea ſonuerunt in me*,vel intra me, tãquam ſponſi præſentiam magis agnoſcens,quã perpulſum.Nempè Chriſto IESV tangente ventrem animæ,ideſt,memoriam,affectus,& mens,quæ ſunt velut viſcera,intremiſcunt: & ſic nos ex pigris alacres & agiles ad obediendum efficit. Vel foramẽ dicere poſſumus intellectũ,per quẽ manũ mittit Chriſtus,dũ gratię ſuæ lumine eũ perluſtrat.Quo illuminato,cęterę potẽtię cõtremiſcũt, & in meliùs mutantur.

Inſuper,annotatu dignũ eſt, quòd ſponſa nón aperuit oſtiũ,niſi priùs manum mitteret ſponſus per foramẽ,Neque ſponſus ſolus aperuit,ſed ipſo tangente peſſulũ, ſiue ventrem,ipſa ſurrexit ad aperiendũ. Vbi neceſſitas diuinæ gratiæ in primo palàm eſt,in ſecundo facultas magna liberi arbitrij.Etenim gratia ſummi Dei, & voluntas noſtra ſimul cooperantur,ita vt ſine Deo nil poſſimus facere,velut ipſe conteſtatus eſt.Eòdem pertinet quò Paulus aſſerit:Non quòd ſimus ſufficiẽtes cogitare aliquid à nobis,quaſi ex nobis: ſed omnis ſufficientia noſtra ex Deo eſt.Ecce quã fragiles,quamque ſerui inutiles ſumus. Vndè ſanctus Auguſtinus: Qui fecit te ſine te,non ſaluabit te ſine te.O nos pauperes & miſeros,cogitare aliquid boni ex nobis non poſſumus,tantũ abeſt,vt operari bonũ valeamus noſtrapte natura. Precandum ergò indefeſsè eſt,& cũ regali Propheta clamandum:Miſerere mei Domine,quoniam infirmus ſum:ſana me Domine, quoniã conturbata ſunt oſſa mea. Gratias inexhauſtas Deo agamus,quòd adiutores eius ſumus, modò ipſe dono ſuæ

Libertas hominis.

Ioan.15.

1.Corint.3.

Pſalm.6.

Pſalm.69. gratiæ adiuuet nos. Quod optimè ſciebat, qui dixit: Dñe adiutor meus es tu. Id quòd adũbrabat olim, vbi Eliſeus
4 Reg.13. manũs ſuperpoſuit manibus regis Iſraël, & ambo ſimul
Figura. tenebant arcum, eiecerunt que ſagittas ſalutis contra Syriam. Hoc, ni fallor, nobis contingit in omni bono opere, Quandoquidem IESVS noſter Eliſeus manus ſuas manibus noſtris ſuperponit: alioqui nec mundi vanitaté, nec ſatanæ technas, neque carnis ſubdolæ lenocinia ſuperare potuiſſemus. Quid multa? Tanquam imperator omnipotens ad ſuos commilitones, & athletas clamat:
Ioan.16. Confidite, ego vici mundum. Nónne forti duce vincente, totus exercitus vincit, & partæ victoriç eſt particeps? Planè Saluator certamen forte certauit: ſed nobis vicit, & triumphum ſuum glorioſum nobis impertiuit, quo vel maximè egebamus.

Quæſtio. Sed bonè Deus: quid ſibi vult, quòd ſpõſa, quæ clauſerat oſtium cubili ſui, nõn hoc obturauit foramẽ, ne quis ad illã ingrederetur incautè? Forte in ſeipſa minùs nouit. Quis enim in ſe omnia poteſt ſcire foramina? Profectò ſolus ille nouit, qui in lápide pretioſo foramina præpara-
Ezech.28. uit, Ezechiele teſte. Ipſe ſpõſus foramina præparat, qui vbi vult ſpirat: ipſe inquam mittit manũ ſuam per foramẽ, per aptũ aditum, dans inſpirationis virtutẽ. Arcta eſt, & quaſi per foramen cognitio Dei in hac vita, & quaſi tactus manus, non viſio faciei, & vultus eius. Ex parte enim cogno-
1.Corint.13. ſcimus, & ex parte prophetamus. Cũ venerit, quod perfe-ctũ eſt, euacuabitur quod ex parte eſt. Eſt etiã tria aduer-
Nota. tere in ſpõſa: primò, quòd tremuit: & in hoc nihil egit, ſed paſſa eſt illũ tremorem ad tactum ſponſi: ſecundò ſurre-
Pſalm.76. xit: & in hoc vocationi ſponſi ſui conſenſit: tertiò, aperuit oſtium: & in hoc voluntatem vocantis ſe impleuit. Vtinam & nos quàm ocyſsimè lectum dimittamus, ideſt,

omnem

greſſus auferendum, omnia viſcera mea peculiari quadã immutatione commota ſunt, & ſtupefacta, atque immutata: adeò, vt iàm moras trahere minimè audeam, quin illi pulſanti libenter aperiam. Notandum, quòd ad tactum peſſuli venter intremuit, quod in Hebræo dictum eſt: *Viſcera mea ſonuerunt in me*, vel intra me; tãquam ſponſi præſentiam magis agnoſcens, quã per pulſum. Nempè Chriſtò IESV tangente ventrem animæ, ideſt, memoriam, affectus, & mens, quæ ſunt velut viſcera, intremiſcunt: & ſic nos ex pigris alacres & agiles ad obediendum efficit. Vel foramẽ dicere poſſumus intellectũ, perquẽ manũ mittit Chriſtus, dũ gratię ſuæ lumine eũ perluſtrat. Quo illuminato, cęterę potẽtię cõtremiſcũt, & in meliùs mutantur.

Inſuper, annotatu dignũ eſt, quòd ſponſa non aperuit oſtiũ, niſi priùs manum mitteret ſponſus per foramẽ. Neque ſponſus ſolus aperuit, ſed ipſo tangente peſſulũ, ſine ventrem, ipſa ſurrexit ad aperiendũ. Vbi neceſſitas diuinæ gratiæ in primo palàm eſt, in ſecundo facultas magna liberi arbitrij. Etenim gratia ſummi Dei, & voluntas nõſtra ſimul cooperantur, ita vt ſine Deo nil poſſimus facere, velut ipſe conteſtatus eſt. Eodem pertinet quòd Paulus aſſerit: Non quòd ſimus ſufficiẽtes cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis: ſed omnis ſufficientia noſtra ex Deo eſt. Ecce quã fragiles, quamque ſerui inutiles ſumus. Vnde ſanctus Auguſtinus: Qui fecit te ſine te, non ſaluabit te ſine te. O nos pauperes & miſeros, cogitare aliquid boni ex nobis nõ poſſumus, tantũ abeſt, vt operari bonũ valeamus noſtrapte natura. Precandum ergò indefeſſè eſt, & cũ regali Propheta clamandum: Miſerere mei Domine, quoniam infirmus ſum: ſana me Domine, quoniã conturbata ſunt oſſa mea. Gratias inexhauſtas Deo agamus, quòd adiutores eius ſimus, modò ipſe dono ſuæ

Libertas hominis. Ioan. 15. 1. Corint. 3. Pſalm. 6.

 gra-

omnem voluptatem temporariam relinquentes Chriſtũ vocantem ſequamur. Proculdubio cōfeſſim cũ Dauide concinere inciperemus: Renuit cōſolari anima mea: memor fui Dei, delectatus ſum, & exercitatus ſum, & defecit ſpiritus meus. Singula magnã habent emphaſim. Memoria ſponſi delectationem affert: delectatio verò exercitationem in lege Dei præſtat: exercitatio denique admirationem tribuit. Et ideò ait: Defecit ſpiritus meus, perindè atque in extaſi iam mens poſita. Pſal. 76.

SVrrexi, vt aperirẽ dilecto meo: manus meæ ſtillauerũt myrrhã, digiti mei pleni myrrha probatiſſima. Hebraicè. *Digiti mei ſtillauerunt tranſeuntẽ myrrhã ſuper palmas peſſuli.*

EN quãtæ virtutis, & efficaciæ fuit tactus manus ſpõſi, quã miſit per foramẽ portæ. Iã nõ inanes excuſationes ſpõſa profert, ſed ipſa de lecto ſurrexit, ad aperiẽdũ dilecto. Vndè ait: *Surrexi vt aperirem dilecto meo.* Ac ſi patẽter dicat: Poſtea quàm vidi manũ ſponſi mei, quippè quã per foramẽ portæ miſit, vt me apprehẽderet, viſcera charitatis, & priſtini amoris mei erga eũ cõmota ſunt, Eã ob cauſam mox ſurrexi ad aperiendũ ei. Et dũ ſurgerem, manus meæ ſtillauerũt myrrhã, & digiti mei myrrhã probatiſsimã, hoc eſt, optimum ſpirabãt odorem. Loquitur ad ſimilitudinẽ ſponſæ delicioſæ, quæ manus habet vnguẽto myrrhæ perunctas, ita cõpiosè, vt tàm de manibus, quã de digitis gutatim defluat, dum ad aliquid operandũ cæperit eas extendere. Quid autem per myrrham, quæ amara eſt, & odorifera ſancti doctores intelligãt, cõpertiſsimũ eſt. Equidem carnis mortificatio, & pœnitẽtia amara atque difficilis ſemper fuit carni noſtræ fragili:

Figura. Ea namq; eſt, quæ reluctatur ſpiritui: & ſicut Saul hoſtilia bella excitat contra Dauid, virum ſecundùm cor Dei. *Iudi.16.* Quin Dalida ſubdola eſſe aſſolet, fortem Samſonē Nazareum, & Deo dicatum euertens. Atqui, quamuis pœnitentia vehemēter amara ſit carni; nihilominus quauis ſuſ‍fitu grata eſt Deo. Hinc ipſe poſt Baptiſtā ore ſuo benedi‍*Matth.4.* cto dixit; Pœnitentiam agite, & appropinquabit regnū cælorum. Idque Baptiſta ſanctificatus conteſtatus eſt: Facite, ait, fructus dignos pœnitentiæ. *Luce.3.* Nec non & Petrus Spi‍*Acto.2.* ritu ſancto plenus clamauit: Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque. Itaque tam eſt pretioſa myrrha hæc, vt pereant, nedum inferni tormenta quis euadat, ſed quod plus ponderis habet, qui verè pœnitet, ad æthereum regnum conuolabit. Quod Saluator noſter nunc ſpontè pollicitus eſt, aſſerens pœnitenti cælorum regnū appropinquare. O ſummi numinis largitatem ſtupēdam: *Pœnitentia.* parum ei viſum eſt nobis pœnitentibus tot delicta cōdonare, niſi copioſum ac pretioſum munus impertiret, regni cælorū participes nos efficiēs. Mirātur Angeli, ſtupēt Seraphim, magnificentiam Dei noſtri erga nos exhibitā contemplantes. O nos infœlices, & valdè ingratos, ſi tā præcellenti dono indigni ſimus: ſi pœnitentiam & carnis mortificationem ſpernentes, voluptatibus vacare velimus. Nónne myrrhā manus Apoſtoli Pauli, nec non & *1.Cor.9.* digiti eius diſtillabant, auſterrimam pœnitentiam agētis? Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutē redigo (inquit) ne cū alijs prædicauerim, ipſe reprobus efficiar. Quàm optimus Euangelij concionator, qui pœnitentiam agens, eā *Seneca.* audiētibus ſuadebat! Plus ſuadent exēpla quā verba, dixit quidā ſapiēs abſque Christo. Imò per verba longa nimis eſt via ad virtutes capeſſendas: breuis verò & cōpendiaria via per exempla. Sciebat vtique Apoſtolus, & benè

omnem voluptatem temporariam relinquentes Chriſtũ vocantem ſequamur. Proculdubio cõfeſtim cũ Dauide concinere inciperemus: Renuit cõſolari anima mea: me mor fui Dei, delectatus ſum, & exercitatus ſum, & defecit ſpiritus meus. Singula magnã habent emphaſim. Memoria ſponſi delectationem affert: delectatio verò exercitationem in lege Dei præſtat: exercitatio denique admirationem tribuit. Et ideò ait: Defecit ſpiritus meus, perindè atque in extaſi iam mens pòſita. Pſal. 76.

S*Vrrexi, vt aperirẽ dilecto meo: manus meæ ſtillauerũt myrrhã, digiti mei pleni myrrha probatiſſima.* Hebraicè. *Digiti mei ſtillauerunt tranſeuntẽ myrrhã ſuper palmas peſſuli.*

EN quãtæ virtutis, & efficaciç fuit tactus manus ſpõſi, quã miſit per foramẽ portæ. Iã non innanes excuſationes ſpõſa profert, ſed ipſa de lecto ſurrexit, ad apeiiẽdũ dilecto. Vndè ait: *Surrexi vt aperirem dilecto meo.* Ac ſi patéter dicat: Poſteà quàm vidi manũ ſponſi mei, quippe quã per foramẽ portç miſit, vt me apprehẽderet, viſcera chiaritatis, & priſtini amoris mei erga eũ cõmota ſunt, Eã ob cauſam mox ſurrexi ad aperiẽdũ ei. Et dũ ſurgerem, manus meç ſtillauerũt myrrhã, & digiti mei myrrhã probatiſsimã, hoc eſt, optimum ſpirabãt odorem. Loquitur ad ſimilitudinẽ ſponſæ delicioſæ, quæ manus habet vnguento myrrhæ peruńctas, ita copioſè, vt tàm de manibus, quã de digitis gutatim defluat, dum ad aliquid operandũ cæperit eas extendere. Quid autem per myrrham, quæ amara eſt, & odorifera ſancti doctores intelligãt, cõpertiſsimũ eſt. Equidem carnis mortificatio, & pœnitẽtia amara atque difficilis ſemper fuit carni noſtræ fragili

 Ea nam-

norat,quòd qui fecerit,& docuerit, hic magnus vocabitur,non in regno calamitoſo & terreſtri, quod citiſsimè euaneſcit,ſed in regno cælorum, magnus vocabitur, & magnus erit. *Matth.5.*

Aſtipulatur noſtræ aſſertioni ſanctus Gregorius, & ait: Tacta ſurgit ſponſa,vt aperiat:quia dum plus ſolito ſpiritū dilectionis accipit,mox de ædificatione proximi cogitat,& prædicando agit:vt apertis cordibus,ſponſus ad inhabitandos proximos veniens,aditum intrādi inueniat. Quæ etiam,cum prædicatione exempla mōſtrans,auditoribus dicit: *Manus meæ ſtillauerunt myrrham.* Quid per manus niſi operationes?quid per myrrham niſi mortificatio carnis accipitur? Manus ergo ſponſæ prædicantis myrrham ſtillant:quia quicunque aliis prædicant, neceſſe eſt,ſi proficere velint, vt in omni opere ſuo carnalem vitam mortificare contēdant.Quod cum magna diſcretione fieri debet.Vndè perbellè ſequitur. *S.Greg.*

Digiti mei pleni ſunt myrrha probatiſſima.

Ecce quanta diſcretione pollere debet in operando ſponſa,vel queuis anima.Verùm vt manus opera ſignant, ita digiti diſcretionem in operando ſubindicant. Adeò debent manus noſtræ plenæ eſſe myrrha pœnitentiæ, vt quaſi per ſingulos digitos,id eſt,per ſingulas actiones ſtillare videatur.Oportet ſanè,vt in ſingulis operum noſtrorum actibus pœnitentia ſplendeat, carniſque mortifica-tio redoleat.Quæ omnia omni librata ratione, & diſcretionis pondere fieri decet.Eſt quidem prudentia,nedum virtus,ſed virtutū auriga ac dux, Philoſopho teſte. Hinc Dominus ait:Bonum eſt ſal. Et iterum: Habete in vobis ſal.Cui Paulus lepidè aſtipulatur,vbi inquit: Omnis ſermo veſter ſale ſit conditus.Huc attinet illud:Omne ſacrificium ſale condies.Equidem vt cibus abſque ſale inſipi- *Lucæ.4.* *Figura.* *Leui.2.*

Figura. Ea namq; eſt, quæ reluctatur ſpiritui: & ſicut Saul hoſtilia bella excitat contra Dauid, virum ſecundum cor Dei: Quin Dalida ſubdola eſſe aſſolet, fortem Samſonè Nazareum, & Deo dicatum euertens. Atqui, quamuis pœnitentia vehemẽter amara ſit carni: nihilominus quauis ſuſ fitu grata eſt Deo. Hinc ipſe poſt Baptiſtã ore ſuo benedicto dixit: Pœnitentiam agite, & apropinquabit regnũ cælorum. Idque Baptiſta ſanctificatus conteſtatus eſt: Facite, ait, fructus dignos pœnitentiæ. Nec non & Petrus Spiritu ſancto plenus clamauit: Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque. Itaque tàm eſt precioſa myrrha hæc, vt per eam, nedum inferni tormenta quis euadat, ſed quod plus ponderis habet, qui verè pœnitet, ad æthereum regnum conuolabit. Quod Saluator noſter nunc ſponte pollicitus eſt, aſſerens pœnitenti cælorum regnũ apropinquare. O ſummi numinis largitatem ſtupẽdam: parum ei viſum eſt nobis pœnitentibus tot delicta cõdonare, niſi copioſum ac pretioſum munus impertiret, regni cælorũ participes nos efficiẽs. Mirãtur Angeli, ſtupẽt Seraphim, magnificentiam Dei noſtri erga nos exhibitã contemplantes. O nos infœlices, & valdè ingratos, ſi tã præcellenti dono indigni ſimus: ſi pœnitentiam, & carnis mortificationem ſpernentes, voluptatibus vacare velimus. Nónne myrrhã manus Apoſtoli Pauli, nec non & digiti eius diſtillabant, auſterrimam pœnitentiam agẽtis? Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutẽ redigo (inquit) ne cũ aliis prædicauerim, ipſe reprobus efficiar. Quàm optimus Euangelij concionator, qui pœnitentiam agens, eã audiẽtibus ſuadebat! Plus ſuadent exẽpla quã verba, dixit quidã ſapiẽs abſque Chriſto. Imò per verba longa nimis eſt via ad virtutes capeſſendas: breuis verò & cõpendiaria via per exempla. Sciebat vtique Apoſtolus, & benè

Iudi.16.

Matth.4.

Lucæ.3.

Acto.2.

Pœnitentia.

1.Cor.9.

Seneca.

norat,quòd qui fecerit,& docuerit, hic magnus vocabitur,non in regno calamitoſo & terreſtri, quod citiſsimè euaneſcit,ſed in regno cælorum, magnus vocabitur, & magnus erit. *Matth.5.*

Aſtipulatur noſtræ aſſertioni ſanctus Gregorius, & ait: Tacta ſurgit ſponſa,vt aperiat:quia dum plus ſolito ſpiritũ dilectionis accipit,mox de ædificatione proximi cogitat,& prædicando agit:vt apertis cordibus,ſponſus ad inhabitandos proximos veniens,aditum intrãdi inueniat. Quæ etiam,cum prædicatione exempla mõſtrans,auditoribus dicit: *Manus meæ ſtillauerunt myrrham.* Quid per manus niſi operationes?quid per myrrham niſi mortificatio carnis accipitur? Manus ergo ſponſæ prædicantis myrrham ſtillant:quia quicunque aliis prædicant, neceſſe eſt,ſi proficere velint, vt in omni opere ſuo carnalem vitam mortificare contẽdant.Quod cum magna diſcretione fieri debet.Vndè perbellè ſequitur. *S.Grego.*

Digiti mei pleni ſunt myrrha probatiſſima.

Ecce quanta diſcretione pollere debet in operando ſponſa,vel queuis anima.Verùm vt manus opera ſignant, ita digiti diſcretionem in operando ſubindicant. Adeò debent manus noſtræ plenæ eſſe myrrha pœnitentiæ, vt quaſi per ſingulos digitos,ideſt,per ſingulas actiones ſtillare videatur.Oportet ſanè,vt in ſingulis operum noſtrorum actibus pœnitentia ſplendeat, carniſque mortificatio redoleat.Quæ omnia omni librata ratione, & diſcretionis pondere fieri decet.Eſt quidem prudentia,nedum virtus,ſed virtutũ auriga ac dux, Philoſopho teſte. Hinc Dominus ait:Bonum eſt ſal. Et iterum: Habete in vobis ſal.Cui Paulus lepidè aſtipulatur,vbi inquit: Omnis ſermo veſter ſale ſit conditus.Huc attinet illud:Omne ſacrificium ſale condies.Equidem vt cibus abſque ſale inſipi- *Lucæ.4.* *Figura.* *Leui.2.*

dus eſt: ſic operatio omnis ſine prudentia facta, nihil habet pulchritudinis. Vndè optimè ſanctus Gregorius dixit: Sicut ab vna manu plures digiti diuiduntur, ſic in vna ſancta conuerſatione per diſcretionem diuerſæ virtutes inueniuntur. Alia eſt virtus largitatis, alia parcitatis, alia virtus humilitatis. Aliud opus eſt, dum ſilemus, ob propriam ædificationem: aliud verò, quãdo proximis loquimur propter illorum vtilitatem: in quibus omnibus prudentia ſiue diſcretio primas tenet.

Nota. Illud tamen obſeruatione dignum eſt, quòd non modò digitos ſuos plenos myrrha ſponſa ſe teſtatur habere, ſed probatiſsimã eã vocauit. Ratio, quæ eſt myrrha, quę minimè ſponſus aprobat, ſed potius reprobat, profectò mortificatio, & pœnitẽtia hipochrytarum ſanctimoniæ ſpeciem præ ſe fert, vera autem pœnitentia non eſt. Sanè

Lucæ.18. Phariſæus ille ſuperciliosus, qui in templo orabat, bis ſabbatho ieiunabat, eleemoſynas faciebat: nihilo ſeciùs, Publicanus, qui inibi orabat, ob ſuã humilitatẽ iuſtificatus deſcendit, Phariſæus verò ſuperbia turgidus nõ ita. Quid plura? Omnia opera ſua faciebãt oſſores virtutũ, vt ab hominibus viderentur, & laudẽ ab illis vendicarent. Qui ergo fucatã ſanctitatem oſtendunt myrrhã habere dicũt: non quidem probatã, qualem ſpõſa habebat. Quin teſte

S.Hiero. Hieronymo, ſimulata ſanctitas duplex eſt iniquitas. Hinc iure Deus cignum ad ſacrificium ineptum in lege vetere indicauit. Eſt planè auis illa externè alba vt nix, internè verò nigra: itaque exterius candet, pennis ſublatis coruo ipſo tetrior apparet, in quo volatili typus hipochrytarum erat depictus. Cæterum, iure de manibus loquitur, quæ aperire dilectum inſtituit, ſuggerere volens, quibus manibus nos oporteat aperire dilecto noſtro Chriſto, nempè operibus ſanctis aditum cordis noſtri ei præparemus;

Nec

Nec abſurdè hæc verba aptari poſſunt ſancto Thomæ. Enimuerò,vbi latus Saluatoris,& clauorum loca tetigit, ſic intremuit cor eius, ſic ſtupuit, vt clamitans diceret: Dominus meus,& Deus meus.Quiq́ue rectè aſſerere potuit:*Manus meæ ſtillauerunt myrrhā, & digiti mei pleni ſunt myrrha probatiſsima.* Myrrham ſanè ſtillabant benè olentem,poſtquam Chriſti vulnera contrectauerat. Et benè tranſiens myrrha in Hebræo dicta eſt: nam quæ probata fuerit myrrha pretio & odore plena eſt, & tranſit longè lateq́ue odorem ſuum tranſmittens.Sic ſanctus Thomas vbique terrarum,tàm mortem, quàm reſurrectionē Domini nuncians,quaſi myrrham ſalutarem manus eius diſtillauerunt,ad cuius fragrantiam plerique cōuerſi ſunt. *Notā.* *Ioan. 20.*

Peſſulum oſtij mei aperui dilecto,at ille declinauerat,atque tranſierat. Anima mea liquefacta eſt, vt dilectus loquutus eſt. Hebraicè. *Aperui dilecto meo,& dilectus meus reuerſus eſt,tranſiuit. Anima mea egreſſa eſt, in loqui ipſum.*

NARRAT nunc ſponſa,quòd dum aperiret portam,ſpōſus conuerſus eſt,tranſiuit,& abſcōdit ſe. *Anima eius egreſſa eſt in loqui ipſum*,ideſt,Dum antequam recederet,loqueretur ei,dicēs:Nō intrabo in domū tuā, quia à principio noluiſti aperire mihi. Mirabile dictu fratres: Poſt quam ſponſus ſic perſeuerauit clamans, & pulſans ad oſtium ſpōſæ:poſtquā manum ſuā miſit per feneſtram portæ,vt repagulum amoueret: denique vbi ipſa ſurrexit,& peſſulum oſtij aperuit,ſpōſus declinauit.Quid ſibi vult quaſi ludus iſte? Niſi fallor, ſuaue myſterium *Quæſtio.*

in hoc nobis ludo myſterium latet. Ludus inquam (ſi ita
Nota. loqui fas eſt) ſanctus & ſpiritalis, quo cum ſua ſponſa fide
li anima ſponſus Chriſtus ludere conſueuit in Eccleſia.
Ipſe nos inuiſere dignatur, vti iam meminimus, & ad o-
ſtiũ cordis ſanctis inſpirationibus pulſare non ceſſat. Nos
verò prætexentes pigritiæ noſtræ ſuperuacuas excuſatio-
nes, non ſtatim aperimus ſponſo: in cuius aduentu, tùm
gratia, tùm virtutes omnes creſcant augeanturq́ue. Ipſe
verò magna ſedulitate, vt potè noſtræ ſalutis auidus pul-
ſat ad oſtium, cupiens nobiſcum habitare, & manſionẽ
Ioan. 14. apud nos facere. Iuxta illud: Ad eum veniemus, & man-
ſionem apud eum faciemus. At qui, quando ad aperien-
dum ei ſurgimus, & ad pœnitentiam amplexandam nos
accingimus, ſubito ſe abducit, & quaſi ſe abſcondit. Hoc
fit, quando ad vtilitatem noſtram, & probationem præ-
ſentiæ, ſuam dulcedinem internam ad tempus ſubtrahit.
Tunc mens quaſi terra arida manet, & inſtar pueri lacte
defficiente, gemitus emittit innumeros. Cauendum ta-
men, ne tunc quis deſpondeat animum, nam abſque di-
ſpenſatione diuina id non fit. Primò ſic ſponſus, ſic ſe ha-
bet, vt priſtinam tarditatem puniat: non extemplò illi pul-
ſanti obediuimus: imò eum diu pulſare fecimus, longas
Prouer. 1. moras trahentes. Vocaui, ait ipſe, & renuiſtis, extendi ma
nus meas, & nõ fuit, qui aſpiceret: deſpexiſtis omne cõſi-
lium meum. Cogatur ergo quærere cum labore ſpõſum
ius eſt, quia ſpontè ad eam venientem recipere noluit. Se-
cundò ob id ſponſus ſe abſcondit, ne fortè præſentia eius
Simile. vileſcat, ſi tàm facilè acquiri poſsit, & teneri. Regnũ quod
abſque labore habetur, non æque magnifacimus, ſicut il-
lud quod ingẽti bello, & inſudatione adipiſcimur. Quid
quod cautiùs cõſeruamus id, quod maximo labore ade-
pti ſumus. Vt igitur ſponſa dilectum ſponſum pluris fa-
ciat

ciat,eumq; maiori cuſtodia ſeruet,rectè ſe ſimulat & fugit. Vndè ipſa querimoniam faciens,ait: *Peſſulum oſtij mei aperui dilecto meo,at ille declinauerat, atque tranſierat.* Hoc eſt,ſuauitatem ſuæ præſentiæ mihi ſubtraxit,& inter quęrendum ſolitariam me reliquit & in ariditate magna ad tempus. Quantum fructum attulerit ſponſæ hæc ſponſi abſentia,ipſa palàm nunc facit.

Anima mea liquefacta eſt,vt dilectus loquutus eſt.

En iam recordatur,quaſi derelictam ſe agnoſcens verbi ſponſi pulſantis ad oſtium. Quippe qui ſponſam,& columbam,atq; immaculatam eam appellauerat: vt agnoſcamus,quomodo in labore poſita ſponſa non nihil profecerit. Huc expectat,quod Apoſtolus conteſtatur: Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Planè niſi frugi nobis foret pati, cæleſtis Pater, vtpotè miſericors & pius,nullatenus calamitates nobis immitteret. Mira res:nunc laborioſè quærit dilectum,quę in lecto vocē illius audiens moras traxit. Verùntamen in hoc labore ſpiritaliter roboratur: & dum viriliter agit, confortatur cor eius:ceu in Pſalmo legimus,idque efficere valet virtute ſponſi vocantis eam. Quippe qui quamuis faciē non oſtendat,in ipſa mente manet. A dextris eſt mihi,ne commouear,ait Propheta: hoc eſt, ne à bono cœpto deffíciam,& fortè labaſcam,à me non recedit Deus optimus. Memoria ergo præteriti verbi,quod lecto decumbēs audierat,anima eius liquefacta eſt. Verùm cùm in mente ſponſus loquitur,fortia emolleſcunt,& quæ priùs dura videbantur,propter terrena oblectamenta, cùm liqueſcit anima,ita calefit, vt aſpera emolleſcant, & delectabilia fiant. Ideo Iob ait: Quæ priùs nolebat tāgere anima mea, nūc præ anguſtia cibi mei ſunt. Ecce amara fiunt dulcia: quia anima ita liqueſcit per amorem, vt parum ſentiat, quod

Rom. 8. Pſal. 26. Pſal. 15. Iob. 6.

quod corpus cruciat. Reſoluitur in lachrymas præ amoris magnitudine, & ſicut in Pſalmo ſcriptum eſt: Fiunt ei lachrymæ panes die ac nocte, dum non illi datur contẽplari, & contemplando ſentire ſui dilecti præſentiam. Itaque prę magno deſiderio anima liquefacta ferè extra ſe facta ſit. Quod Gręcè ſignificatur, *Anima mea egreſſa eſt in ſermone eius.* Et in Hebræo. *Anima mea egreſſa eſt in loquendo ipſum*: hoc eſt, in eo quod loquebatur ipſe. Nec

Nota. abſimile eſt, quod duo diſcipuli in Emaus euntes poſt

Luce. 24. abſceſſum Domini aiebant: Nõne cor noſtrũ ardẽs erat in via, dum loquæretur nobiſcum? En qualiter ignitũ ſit eloquium Domini, ideo ſeruus eius diligit illud. Si enim Helię Prophetę verba vt facula ardebant, vt ſapiens recẽſet: quanto magis filij Dei eloquia, qui prophetarum Dominus eſt, corda hominum accendere poſſunt?

S. Grego. Ad verbum ſponſi, inquit Gregorius, liquefactã ſe dicit ſponſa: quia dum per ſpiritum ſuũ animæ deſideranti ſe infundit, omnẽ duritiã cordis mox diſſoluit, & aliquãdo mentẽ in lachrymas liquefacit, vt vix ſe capere poſsit. Quẽ liquorẽ dum ſentit, perfectiùs apprehẽdere concupiſcit: & aliquãdo dum hoc ipſum cogitat, quod modo ſentiebat, iã non ſentit: vndè ſolicitior fit, ad quærendum ſponſum, quem vnicè amat. Sed quid, obſecro, eſt dicere, Liquefacta eſt anima mea ad vocẽ ſponſi, niſi dicere, creſcẽs, currẽs, clareſcens, facta eſt. Creſcens ſuper ſe, currẽs ad ſpõſum, & ex ipſo clareſcẽs. Virtute creſcit, currit feſtinanter votis, virtute clareſcẽs. Ni fallor cera ad ignẽ dum liqueſcit creſcit, currit, & clareſcit. Quæ omnia ſpõſi amãtiſsimi pręſentia pręſtat. Nõne liquefacta erat anima eius,

Pſal. 118. qui dicebat? Viã mandatorum tuorũ cucurri, cũ dilataſti cor meũ. Et iterũ: Defecit in ſalutare tuum anima mea, & in verbũ tuum ſuperſperaui. O mira vis verbi, & ignita vehemen-

hementer,inflammat cor,tenes commutat in nihilum,& mentem rapit,vt iam ferè nō ſit ſecū, ſed tota pendeat à Deo,cum Apoſtolo clamans:Viuo iam non ego,viuitve rò in me Chriſtus.I E S V bonè & hominū amātiſsimè,obſecro,vt ad verbū tuum ſanctū mens mea liquefacta,currat in via mandatorū tuorū,feſtinet ad ſubueniendū pauperi, currat inquam & non laboret,aſſumat pēnas vt aqui læ,volet & nō deficiat: vti de ſperantibus in te ſcriptum eſt.O bis, ter,quaterq́; beatus homo,qui ſeriò dicere valet: *Anima mea liquefacta eſt,vt dilectus loquutus eſt.* Gal.2. Eſai.40.

Q*Væſiui,& non inueni illum, vocaui et non reſpondit mihi.* Sic ferè in omnibus tribus linguis.

QVAMVIS capite tertio huius epithalamij verba hęc iā expoſita ſint, nonnihil ſubnectemus, vt vim amoris,quo ſponſa ardet,cupiens ſponſum inuenire, lucidior appareat.Quęrit ſpōſa pacē in tentationibus ſuis, duriſq; flagellis,quibus maximè affligatur,in hac lachrymarū valle,ſic per regium Prophetam vocata.Nec inuenit in caducarum vſu tranquillitatem,& columbæ Noë inſtar, vbi pedes figat,neutiquam offendit. Quod ad maiorem charitatis profectū Deus optimus diſponit.Mirabilis res: nunc fortunarū incommodis, nunc corporis valetudine priuatur,nec non ſæpe tentatur,vt pugnare diſcat,& pugnando viriliter triumphet,ac vincat. *Quæſiui illum,& nō inueni.* Quæſiui legendo, meditando, operibus ſanctis incūbendo,ieiuniis & orationibus inſtādo, & tamē non inueni illū,ideſt,non ad votū eum adinueni, vt lætitia ſpiritali, vti aſſolet me afficiat. Et quod plus admirationis habet, vocat eum,nec reſpondet.Vocat planè ſponſa Pſal.83.

dile-

dilectum ſuum, ne dum orando feruenter, ſed operando fideliter, nec exauditur aliquando, ita vt ſponſi deſiderabilem præſentiam ſentiat. Vellet enim cæleſti alimonia aſſiduè paſci, interna illa ſuauitate frui, iiſque deliciis æternis impleri, quibus ſe beari poſſe intelligit poſt exhalatam

Matth. 15. animã. Huc attinet quod de muliere Cananea legimus, cui bis oranti, Chriſtus non reſpondit ei verbum. Verùntamen dum tertio orauit, ſe ſe humiliãs, eam alloquutus magnoperè fidem eius laudauit, & quod petierat, fuſiùs conceſſit. Ad eandem imaginẽ contingit quotidie nobis. Si infracto animo clamamus orantes, tandem quod rectè petebamus adipiſcimur.

S. Grego. Quærit ſponſa dilectum, inquit beatus Gregorius, ſed non inuenit: quia à Deo inſpirata mens, aſſidua ſuauitate illa intima perfrui concupiſcit: ſed corruptio carnis prohibet, quam in hac vita gerit. Vocat ergo, & ille non reſpondit: quia in operationibus, & orationibus ſuis, dulcedine illius præſentiæ ſatiari appetit. Sed ad votum ſuum, hoc quod inuocat, non occurrit. Reſtat ergo, vt in ſe reuertens ſeipſam agnoſcat, & per ſanctas ſcripturas, & exẽpla ſanctorum, nec non per opera bona dilectum ſuum magis ac magis illius guſtu adiuta perquirat. Fœlix ille, qui vti Cananea orando non deficit, ſed perſeuerando clamat: Domine adiuua me. O nimiũ beata anima, quæ continua quadam dulcedine ſponſo loquente liqueſcit, vel aut feſtinanter eum quærens, anhelat ad illum. O fratres quantus dolor, tunc vexat mentem, dum dulcedine ſponſi orbata eum quærit. In ſacerrima Virgine exem-

Luce. 2. plum accipite: Dolentes (ait) quærebamus te. Ecce martyrium abſque ſanguine, ſed non abſque lachrymarũ pro-

Prouer. 1. fluuio. Verùm iniquos hac pœna plectit Deus: Quærent me, & non inuenient, clamabunt, & non exaudiam. At-

qui

qui ſponſa confidit quærendo, quod tandem inueniet dilectum, mali autem diffidunt. Orandum ergo eſt cum Iob: Bone Deus, reſponde mihi, quantas habeo iniquitates, & ſcelera oſtende mihi. Abſconde pauliſper faciem tuâ, vt mihi fœditas innoteſcat, vel in lectione ſcripturarum, vel in meditatione mea: vt me agnoſcendo pœnitētiam agam, & deffectus quamlibet paruos, dolore & confeſſione integra extergere queam. Iob.13.

INuenerunt me cuſtodes, qui cuſtodiunt ciuitatem: percuſſerunt me, & vulnerauerūt me: tulerunt pallium meū cuſtodes murorum.

QVIDAM Hebræorum hoc totum referunt ad captiuitatem Babylonicam: ita vt cuſtodes, qui ciuitatem cuſtodiebant, Nabucdonoſor milites forè aſſerant, ij percuſſerūt ciuitatem Hieruſalem, & multos eius ciues vulnerauerunt, atq; occiderunt: inſuper & pallium ſponſæ tulerunt, ſanctuariū diſſipantes, quod erat velluti pallium, quo ſponſa operiebatur. Alij de Angelis locum hunc exponunt: eo quod ſemper adſunt animæ deuotæ ſponſum Chriſtū quęrenti. Vndè Eſaias ait: Super muros tuos Hieruſalē cōſtitui cuſtodes, tota die ac nocte in perpetuum non tacebunt. Eodē pertinet, quod in Pſalmo legimus: Angelis ſuis Deus mandauit de te, vt cuſtodiant te, in omnibus viis tuis: in manibus ſuis portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Eſai.67. Pſal.90.

Nōnulli de malis prælatis, & prædicatoribus hāc ſponſæ querimoniam explicant. Nempè cùm non rectè ſuo miniſterio, ad quod eos acerſiuit Dñs, funguntur, ſed gulæ & luxui ſe tradunt, & tyrannidem quandam in ſubditos ſuos exercent ſimplices, qui ad Chriſtū ſe conuertere Prælati mali.

cupiunt,

cupiunt, ſcandalizare non verentur. Quin & ij abſimiles non ſunt, ſeruo iniquo, qui dicebat: Moram facit Dñs meus: quapropter male tractare cœpit, & percutere ſer-
Luce.12. uos & ancillas: non erubuit edere, & bibere, & inebriari. Et ſequitur: Veniet Dominus ſerui illius in die, qua non ſperat, & hora qua neſcit, & diuidet eũ, partemq́; eius ponet cum infidelibus. O ſeueram, nimiſq́; ſtupendam ſententiam. Quis adeò ſtupidus, qui non cõtremiſcat? Quæ
Eze.34. omnia breui methodo Dominus per Ezechielem deprõpſit: Ecce ego ſuper paſtores, qui paſcũt ſeipſos. Cuſtodes murorum eſſe debent, quia nomẽ Epiſcopi cuſtodiam, & vigilantiam deſignat. Epiſcopus (ideſt) ſuperintendens, ab verbo epiſcopeo dimanat: væ illis ſi non vigilauerint. Tales ſunt, qui ſponſam ſuum dilectum ſponſum Chriſtum quæritantem percutiunt ſuis prauis exemplis, & vulnerant ſuis verbis duris, tollunt pallium eius, cũ pauperes & nudos veſtire non curant.

Prælati boni. Nos autem contrà, cum diuo Gregorio de optimis prædicatoribus, & prælatis hunc locum illuſtrabimus. Profectò prælati, qui diligenter commiſſam ſibi plebem & ciuitatẽ circumeunt, & vigilanter oues ſuas cuſtodiũt, ſuaq́; paterna vigilantia eas tutantur, ij percutiunt, & vulnerant, ſalutari verbere, & vulnere, imperfectos & ſimplices, ad Chriſtum peruenientes. Etenim eis prędicant, quę carni ſunt duriora, & docent, quæ ad mortificationem acommodantur: vt potè de contemptu mundi, de continentia, abſtinentia, aliiſq́; virtutibus acquirendis, necnon de contrariis vitiis fugiendis. Nónne verba ſancta quaſi
Pſal.119. ſagittæ acutæ ſunt, Dauide teſte? Sagittæ tuæ acutæ, popu
Pſal.44. li ſub te cadent, in corda inimicorũ regis. Ecce de Meſſia
Ephe.6. Chriſto IESV quid vaticinatus fuerat Propheta. Quid quod verbũ Dei gladium ancipitẽ Paulus appellat? Et quidem

qui ſponſa confidit quærendo, quod tandem inueniet dilectum, mali autem diffidunt. Orandum ergo eſt cum Iob: Bone Deus, reſponde mihi, quantas habeo iniquitates, & ſcelera oſtende mihi. Abſconde pauliſper faciem tuã, vt mihi fœditas innoteſcat, vel in lectione ſcripturarum, vel in meditatione mea: vt me agnoſcendo pœnitẽtiam agam, & deffectus quamlibet paruos, dolore & confeſſione integra extergere queam. *Iob.13.*

INuenerunt me cuſtodes, qui cuſtodiunt ciuitatem: percuſſerunt me, & vulnerauerũt me: tulerunt pallium meũ cuſtodes murorum.

QVIDAM Hebrçorum hoc totum referunt ad captiuitatem Babylonicam: ita vt cuſtodes, qui ciuitatem cuſtodiebant, Nabucdonoſor milites forè aſſerant, ij percuſſerũt ciuitatem Hieruſalem, & multos eius ciues vulnerauerunt, atq; occiderunt: inſuper & pallium ſponſæ tulerunt, ſanctuariũ diſipantes, quod erat velluti pallium, quo ſponſa operiebatur. Alij de Angelis locum hunc exponunt: eo quod ſemper adſunt animæ deuotæ ſponſum Chriſtũ quçrenti. Vndè Eſaias ait: Super muros tuos Hieruſalẽ cõſtitui cuſtodes, tota die ac nocte in perpetuum non tacebunt. Eodẽ pertinet, quod in Pſalmo legimus: Angelis ſuis Deus mandauit de te, vt cuſtodiant te, in omnibus viis tuis: in manibus ſuis portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. *Eſai.62.* *Pſal.90.*

Nõnulli de malis prælatis, & prædicatoribus hãc ſponſæ querimoniam explicant. Nempè cùm non rectè ſuo miniſterio, ad quod eos acerſiuit Dñs, funguntur, ſed gulæ & luxui ſe tradunt, & tyrannidem quandam in ſubditos ſuos exercent ſimplices, qui ad Chriſtũ ſe conuertere cupiunt, *Prælati mali.*

dem exactè dictū eſt, eo quòd verbum Dei ſic animam mori mundo efficit,quomodo gladio ferreo corpus vulneratum à vita deficit. Pallium ab anima cuſtodes muro rum tollunt,quando prauam conuerſationem vitę præteritæ per bona conſilia auferunt. Verùm cæcus ille, quē vocauerat Saluator,pallium reliquit, vt expeditiùs & citiùs veniret ad Chriſtum Dñm. Vtinam & nos Domino vocāte pannoſum palliū relinqueremus,vitam veterē abdicantes,& nouā incipientes. Expoliantes veterē hominem (ait Paulus) & induentes nouū. Faxit optimus Deus, vt relicta hydria curramus,vocātes fratres noſtros, vt ſtatim veniāt ad IESVM abdicato mūdo,& omnibus,quæ mundi ſunt : ſicut de fœlici Samaritana in ſacra pagina memorię proditum eſt. Ait enim diuus Gregorius: Cuſtodes percutiūt ſponſam,& vulnerāt,quia prędicatores ſancti & paſtores dum cæleſtia loquuntur, amantem animā afficiunt,& maiore amore ſagittant:pallium tollūt, quia ſi quid pompæ ſecularis reſiduum erat in corde,exortationibus ſuis ab animo auferunt. Pallium tollunt:quia aliquando ante prędicationem nos non cognoſcimus,ipſi verò,omne quod interius latebat, dum loquuntur detegunt. Quod dum fit,amplius diligendi ſunt,& vt pro nobis dilecto loquātur deuotiùs exorādi. Cæterùm chariſſimi vltrò palliū relinquamus,vt faciliùs ad ſpōſum deuenire nobis cōtingat. Ioſeph ſpontè palliū reliquit in manibus peccatricis mulieris, quo gemmā caſtitatis ne amitteret. Quid plura? Helias raptus curru igneo in paradiſum pallium dimiſit. Nudū obſecro Chriſtū in cruce pendentē ſequamur,vt caſtis amplexibus illius potiri mereamur. O nos beatos ſi corde & ore ſimul cum Petro canamus: Ecce nos reliquimus omnia,& ſequuti ſumus te.

Mar. 10. *Ephe. 4.* *Ioan. 4.* *Nota.* *Gene. 39.* 4. *Reg. 2.*

Adiuro

dem exactè dictũ eſt, eo quod verbum Dei ſic animam mori mundo efficit, quomodo gladio ferreo corpus vulneratum à vita deficit. Pallium ab anima cuſtodes murorum tollunt, quando prauam conuerſationem vitę præteritæ per bona conſilia auferunt. Verùm cæcus ille, quẽ vocauerat Saluator, pallium reliquit, vt expeditiùs & citiùs veniret ad Chriſtum Dñm. Vtinam & nos Domino vocãte pannoſum palliũ relinqueremus, vitam veterẽ abdicantes, & nouã incipientes. Expoliantes veterẽ hominem (ait Paulus) & induentes nouũ. Faxit optimus Deus, vt relicta hydria curramus, vocãtes fratres noſtros, vt ſtatim veniãt ad IESVM abdicato mũdo, & omnibus, quæ mundi ſunt: ſicut de fœlici Samaritana in ſacra pagina memorię proditum eſt. Ait enim diuus Gregorius: Cuſtodes percutiũt ſponſam, & vulnerãt, quia prędicatores ſancti & paſtores dum cæleſtia loquuntur, amantem animã afficiunt, & maiore amore ſagittant: pallium tollũt, quia ſi quid pompæ ſecularis reſiduum erat in corde, exortationibus ſuis ab animo auferunt. Pallium tollunt: quia aliquando ante prędicationem nos non cognoſcimus, ipſi verò, omne quod interius latebat, dum loquuntur detegunt. Quod dum fit, amplius diligendi ſunt, & vt pro nobis dilecto loquãtur deuotiùs exorãdi. Cæterùm chariſſimi vltrò palliũ relinquamus, vt faciliùs ad ſpõſum deuenire nobis cõtingat. Ioſeph ſpontè palliũ reliquit in manibus peccatricis mulieris, quo gemmã caſtitatis ne amitteret. Quid plura? Helias raptus curru igneo in paradiſum pallium dimiſit. Nudũ obſecro Chriſtũ in cruce pendentẽ ſequamur, vt caſtis amplexibus illius potiri mereamur. O nos beatos ſi corde & ore ſimul cum Petro canamus: Ecce nos reliquimus omnia, & ſequuti ſumus te.

Mar. 10. *Ephe. 4.* *Ioan. 4.* *Nota.* *Gene. 39.* *4. Reg. 2.*

Adiuro

ADiuro vos filiæ Hieruſalem, ſi inueneritis dilectum meum, vt nuncietis ei, quia amore langueo.

ECCE ſpōſa ſpoliata, & vulnerata à cuſtodibus, quęrere ſponſum non deſinit, imò ſagitta charitatis percuſſa, ampliùs affectat eũ quærere. Sagittas ſuas Dominus ardentibus effecit, ideſt, amantibus effectibiles ipſe fecit. Amantes quidem penetrant, à torpentibus verò reſiliunt, eo quod adamantinum cor habeant. Eas ob res ſponſa, quæ per ſe dilectum quærebat, cùm eum non inueniat, filias Hieruſalem rogat, eaſque obnixè compellat, perindè atque ſolamen ab eis, & adiutorium poſtulans: *Adiuro vos filiæ Hieruſalem*, ait. Itaque, poſteà quàm per comiſsã idolatriam à regibus Iudæ in prima domo ſancta percuſſa fuit Hieruſalem, & data in manu regis Babyloniæ, atq; humiliata nimis, reſipiſcens tandem, & cupiens reconciliari ſponſo ſuo, adiurat filias Hieruſalem, hoc eſt, omnes tribus, & vniuerſum populum Iſraëliticũ, quippe qui habitabat in finitimis locis, & ciuitatibus Iſraël, erant quippe omnes ciuitates tanquam filiæ Hieruſalem metropoli: Ideò ait: *Adiuro vos filiæ Hieruſalem, ſi inueneritis dilectũ meum* ſponſum Chriſtum, *vt nũcietis ei, quia amore lãgueo.* Ad hæc, Eccleſia ſancta Romana cæli ciues adiurare videtur Prophetas, Apoſtolos, Confeſſores, ac Virgines, quique in ciuitate Hieruſalem triumphanti Deo optimo maximoque fruuntur, vt tanquam mater honeſtiſsima ſponſo vehementer dilecto narrent languorem, quẽ ipſa patitur, non vtique corporis, ſed ex nimio amore obortũ. Loquitur cum obteſtatione, vt vehementiam dilectionis inſinuet. Obmuteſcant nunc hæretici veſani, ſanctorum ſuffragia

Pſalm. 7.

Contra hæreticos.

ſuffragia abnegantes:ecce Eccleſia militans cæleſtium ci-
uium precationem expoſcit. Leuaui oculos meos in mon- *Pſalm.120.*
tes (ait regius Propheta) vndè veniet auxilium mihi: Vbi
montes, diuo Auguſtino teſte, ſanctos appellat. Quòd
autem langorem amoris pati ſe fatetur; exceſſum quen-
dam ſignificat, tanquam præ amore ferre ſe non valeat,
iamque deffectura videatur, niſi tempeſtiuè ſuccurratur
amori. Sed de hoc fuſiùs tractauimus ſupra, capite 2. *Canti.2.*

Vel ſi malumus, filiæ Hieruſalem nedum animæ bea-
tæ, ſed Angeli ſunt, qui indeſinenter mirabili pace fruun-
tur, facie ad faciem Deum videntes. Hos interpellamus,
orantes, vt dilecto ſponſo nuncient ſancta deſideria no-
ſtra, necnon & amoris vehementiam, quo mens noſtra
accenſa ſponſo ſuo frui aſpirat. Oramus itidem animas *Nota.*
pias, quæ & ſi in mortali corpore hactenus degunt, tamē
charitatis metam, & perfectionem attigerunt. Hinc San-
ctus Gregorius: dum enim ſanctis viris cogitationes no- *S. Grego.*
ſtras referimus: dum eis, ſiue viuentibus nobiſcum, ſiue
iam vitam æternam ingreſſis, deſiderium noſtrum expan-
dimus, & per Deum oramus, vt Domino Chriſto nobis
orando afferant deſiderium, quo afficimur, quid aliud
agimus, quàm filias Hieruſalem adiuramus? vt dilecto,
cui nobis proximiores ſunt, nuncient, quia amore lāgue-
mus. Obſeruandum, quòd humilitatis inſigne eſt, alienas
orationes expetere: nam anxia vota ſuis neſciunt eſſe con-
tenta meritis: eas ob res alienæ precis mendicant ſuffra-
gia; quandoquidem perfecta humilitas ſemper de me-
ritis alienis præſumit. *Adiuro vos filiæ Hieruſalem, ſi inuene-
ritis dilectum*, Ideſt, cùm inueneritis, quem tantoperè ego
diligo, mementote mei, obſecro, vt ſuggeratis illi, &
dicatis, quanta anxietate ipſum inuenire cupio. Verùm
niſi Paulus humilitate polleret, non ſæpe fideles roga- *Rom.15.*

ret, vt ſuis orationibus eum adiuuarent: qui ad tertium cę-
lum vſque raptus, arcana verba audiuit, quæ non licet ho-
mini loqui, precationibus alienis ſe indigere profitetur:
tantum abeſt, vt nos puſilli, & herinacij inſtar pecca-
tis obſiti, fratrum noſtrorum orationes flocipendamus.

Amore langueo, ait, non amor languet, ſed indies for-
tior fit, ego ipſa magnitudine charitatis langueo, atque
Deute.14. deficio. Scriptum eſt: Deus noſter ignis conſumens eſt:
hoc igne viſcera mea ardent, cor meum liqueſcit. Con-
Pſal. 38. caluit cor meum intra me, & in meditatione mea exar-
deſcet ignis. Annunciate medico ſalutari languorem
meum: ipſe medicus, ipſe medicamentum, ipſe ſalus,
ſponſus meus languere me fecit, ipſe me inuiſat, ille non
alius infirmitati meæ medeatur. O me fœlicem I E S V
bone, ſi mihi adſit alter Centurio, qui ad te veniens di-
Matth. 8. cat: Puer iacet in lecto, & male torquetur: dic Domi-
ne obſecro, ſtatim reſponde: Ego veniam, & curabo
eum. O potentiſſime Saluator, ſaltim dic verbo, & ſa-
nabor. Sicut ſcriptum eſt: Sana me Domine, & ſana-
bor, ſaluum me fac, & ſaluus ero. Etenim languor
meus à te non eſt abſconditus, quia gemitus meus à te
Nota. non eſt abſconditus. Sanè gemitus, ſingultus, lachry-
mæ, ſuſpiria quæ orantes iactamus, precationes ſunt fer-
uentes, quas Chriſto I E S V offerimus. Quin & cala-
mitates, & labores ipſi, quos pro eius amore æquanimi-
ter ferimus, preces ſunt, quas in conſpectu cæleſtis ſponſi
Exod. 3. effundimus, Alioqui ipſe non diceret: Vidi afflictionem
populi mei, & deſcendi, vt liberem eum. En calamitates
noſtræ preces ſunt, cælos rumpentes.

Qualis eſt dilectus tuus ex dilecto, ô pulcherrima mulierum? qualis eſt dilectus tuus ex dilecto, quia ſic adiuraſti nos? Hebraicè. *Qualis eſt dilectus tuus præ dilecto.*

NON fruſtrà ſponſa ſuffragium petiit à filiabus Hieruſalem, ſed magno cum commodo eis loquuta eſt. Ecce eam alloquentes, & pulcherrimam vocantes, de ipſo dilecto interrogant, non vt illæ ignorent ſponſi pulchritudinem, ſed vt occaſionem ei præbeant laudes dilecti depromere. Nec latebat filias Hieruſalē, quod in Pſalmo multis retrò diebus prophetarat Dauid de Chriſto: Specioſus forma præ filiis hominum, diffuſa eſt gratia in labiis tuis. Quod autem non ſemel, ſed bis interrogant, ex nimio affectu conſurgit. Notandum, quòd dilectum ex dilecto Chriſtū dicunt: eo quod ex Patre natus ſit ante omnia ſecula, Deus de Deo, lumē de lumine. Quo attinet illud Ioānis: Verbū erat apud Deū, & Deus erat Verbū. Sub hæc pulcherrimā ſponſam dicuntfore nā ſpōſus pulcherrimus eā decorauit, & ſacroſancto ſanguine ſuo ſole ipſo pulchriorē effecit. Verū Moſes qui Æthiopiſam duxit, nō potuit ab illa nigredinē innatam auferre. At cōtrà, Saluator mundi adeò dilexit Eccleſiam, vt traderet ſeipſum pro ea: vt exhiberet ſibi ſponſam non habentem maculam neque rugam. *O pulcherrima mulierum*; hoc eſt præ cunctis mulieribus ſpecioſa. Pſal. 44. Ioan. 1. Nume. 12.

Quia ſic adiuraſti nos. Nihil ſanè eſt, de quo auidiùs percunctemur, & lubentiùs audiamus, quā de eo, quod mirificè cupimus, & vehementer amamus. Gaudent in cælis beati, nec aliud contendunt, niſi encomia celebrare de Deo. Et ad eandem imaginem Eccleſia ſan-

ſta, piæque animæ nihil aliud dies ac noctes agunt, quã de ſponſo diuino abſente, deſenſioneque præſente interrogare, audire, & loqui. Ex quo ſanctiſsimo deſiderio & orandi ſtudio: pulchra & honeſta inter mulieres nominatur. Et verè ſancta Eccleſia hanc nomenclaturam iure optimo ſibi vẽdicat, eo quod indiſſolubili ſanctitatis vinculo, ſponſo IESV copulata, nunquam ad idola cucurrit: quod planè nõ ſemel ſynagoga, magno ſuo malo, fecit, idolis ſeruiens, Deo optimo, vtpotè vero ſponſo deſerto. Dilectus Eccleſiæ ex dilecto Chriſtus eſt, & de illo filiæ Hieruſalem perquirunt, eadẽ verba inculcantes. Quia quò ardentiùs quis diligit, eò dulciùs, ac mellitiùs verba de dilecto repetit: vti ſanctus Gregorius teſtatur. Et ſubdit: Dilectus ex dilecto ſponſus dicitur, vt videlicet, per repetitionem dilectionis maximus amor loquentis oſtẽdatur. Vel dilectus ex dilecto benè Chriſtus vocatur, quia ſi filiũ diligimus, & patrem ex quo eſt, conſequenter amamus. Qui videt me, ait Dominus, videt & Patrem meum: ſic fieri non poteſt, vt non amet patrem, qui toto pectore diligit filium. Mira res: animæ ſanctæ de Deo audientes, magis ac magis in illius amorem exardeſcunt: ideò non tepidæ, ſed amoris flamma accenſæ filię Hieruſalem de dilecto ſponſo interrogant. O fœlix anima, quæ ſpecie, & decore virtutum venuſtata, ſponſum ſemper quærit, & quærendo non laſceſsit, imò amore nimio languet. Hæc pulcherrima eſt, nam Nazarea, & ob id candidior niue, nitidior lacte, ſaphiro pulchrior. At contrà, infœlices eos dixerim, quorum facies ſuper carbones denigratæ ſunt: quos vltimis ſuſpiciis deplorat Hieremias. Cæterùm quid ſponſa reſponderit filiabus Hieruſalem, attentiùs nunc auſcultemus, ſunt, haud dubiè, verba notatu digna.

Margin notes: *Nota.* — *S. Grego.* — *Ioan. 15.* — *Treno. 4.*

Dilectus meus candidus, & rubicundus; electus ex millibus. Hebraicè. *Vexillatus ex millibus.*

IAM ſponſa adfabrè mirabilē pulchritudinem ſponſi ſui depingit, filiabus ſuis reſpondens: Quo quiſquis eius decorem inſpexerit, toto corde eum diligat, totis niſibus & illi inſeruiat. *Dilectus meus candidus, & rubicundus,* ait. Ni fallor, ſponſa vicißim dilectißimum ſponſum laudans, ſicuti ipſe primo eam vniuerſaliter, & deindè particulatim commendauit, quarto capite: ſic ipſa vniuerſaliter eum collaudat, dicens: *Dilectus meus candidus, & rubicundus, electus ex millibus.* poſteà ad partes tranſit. Per hos duos colores duplicem naturam in Chriſto ſponſa indicat, diuinam, videlicet, & humanam. De primo colore ait Sapiēs: Candor eſt lucis æternæ, ſpeculum ſine macula, imago bonitatis illius. Etenim lux æterna eſt Pater, Filius verò lux de luce, & candor Patris eſt, coæternus illi. Hic eſt, quem Daniel antiquum dierum nominat, cuius veſtimentum candidum erat, & capilli capitis, tanquam lana alba. Et quia verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis, non modò candidus dicitur, ſicut Pater æternus candidus eſt, ſed etiam rubicundus. Vnde Angeli, Chriſto aſcendente in cælum, ſtupefacti dicebant: Quare rubrum eſt veſtimentum tuum, & veſtimēta tua, quaſi calcantium in torculari? Ille autem dicebat: Torcular calcaui ſolus: tanquam paßionis ſuæ & mortis memoriam faciens. Huc pertinet, quod in Apocalypſi Ioannes veſtimentum eius ſanguinem aſperſum vidit.

Canti. 4. *Sapi. 7.* *Danie. 7.* *Eſai. 63.* *Apoca. 19.*

Vel ſic: candidus eſt Chriſtus IESVS, ſiue lacteus, ob miram pietatem, & dulcedinem, quam electis ſuis, etiam

in hoc exilio viuentibus largitur. Cui non ſuauis IESVS, qui in cruce pendens, pro crucifixoribus ſuis orauit? Pater (ait) ignoſce illis, quia neſciunt, quid faciunt. O verba omni mellita dulcedine plena, à planta pedis vſque ad
Nota. verticem in eo ſanitas non erat, & nihilominus Patrem obnixè precatur, vt aduerſariis ſuis ignoſcat. Quid obſecro ſuauiùs? aut quid dulciùs oratione hac inueniri poteſt? Qui ergo tàm eſt ſuauis perſecutoribus, quanto ſuauior erit ſuis dilectoribus? Ego diligentes me diligo, inquit ipſe. Rurſus, rubicūdus eſt, & quaſi igneus, propter terrorem iuſtitiæ ſuæ, qua impiis terribilis ac metuendus erit. Nónne igneo vultu, & oculis videri ſolent, qui vehementiùs ira afficiuntur? Equidem flāmeum gladiū Che-
Gene. 3. rubim habet, ad cuſtodiēdam viam ligni vitæ. Vbi auſtera ſummi Dei iuſtitia in gladio igneo adumbratur. Calca
Eſai. 63. ui eos in furore meo, & conculcaui eos in ira mea, dicebat Angelorum Dominus. Hinc in Græco rectè ſcribitur: *Dilectus meus candidus, & igneus.* Vos fratres timete eum, cuius ſpiritus eſt in naribus eius. Agnus eſt, & etiam leo: lacteus & igneus: dulcis & ſeuerus. Horrendum eſt, incidere in manus Dei viuentis. Ad hæc candidus eſt & rubicundus Saluator, eo quod peccatū non fecit, nec inuen-
S. Grego. tus eſt dolus in ore eius. Vnde Sanctus Gregorius: Candidus & rubicūdus Chriſtus eſſe dicitur, quia nullū omnino peccatū faciens, iuſtitiæ pulchritudinē ex integro tenuit: & tamē tanquam peccator eſſet, ad mortis paſſionē acceſſit. Cui per Prophetā dicitur: Quare rubrū eſt indumentū tuum. Electus ex millibus eſt, quia ex totius generis humani maſſa, nullus ſine peccato reperitur. Ipſe verò non ſolū ſine peccato fuit, ſed etiā peccatores ſua iuſtitia & ſanguine redemit. Vos chariſſimi mecū paulìſper attē-
Nota. dite. Cādet IESVS, quia Deus, rubet, quoniā homo factus

ſangui-

ſanguine ſuo baptizatus eſt, quem toto affectu ipſe deſiderabat, dicẽs: Baptiſmo habeo baptizari, quomodo coarctor, donec perficiatur. Quid plura? ſanguis eius mũndat, & dealbat animas ſanctas. Lauerunt, & dealbauerũt ſtolas ſuas in ſanguine agni. Quid ni cãdidus? ipſe lux eſt, Apoca. 7. & tenebræ in eo non ſunt vllæ. Quid ni candidus? ignis 1. Ioan. 1. eſt conſumens, qui ignem venit mittere in terram.

Caput eius aureum optimum.

VBI in vniuerſum ſancta ſpõſa pulchritudinẽ ſponſi exactè deliniarat, candidum, & rubicũdũ, id eſt, Deum & hominem Chriſtum IESVM prędicãs: & poſtquã electum ex millibus eũ eſſe indicauit: quiq; inter turbã iuuenum viſus eſt ab Eſdra in mõte Sion, magis exaltatũ præ omnibus, coronas & palmas diſtribuentẽ aliis, Eſdræ. 4. nũc ſigillatim per cuncta mẽbra diſcurrens, lucidiùs decorẽ ſponſi deliniat. Ait quidẽ: *Caput eius aurum optimum.* Id eſt, aurũ igne examinatum valdè, hoc eſt, principiũ ſermonũ eius fulget, ſicut aurum optimum. Iuxta illud pſalmi: Principium verborũ tuorum veritas, in ęternũ omnia iudicia iuſtitię tuę. Quod quidẽ principũ verborum eius fuit in mõte Sinai ad populum ſuum, quando dixit: Ego Dñs Deus tuus. Oſtendens ex hoc principio verborũ ſuorũm regnum, & imperiũ ſui ſolius eſſe. Et poſtea ſubiecit ſua mãdata, quæ vt rex præcepit obſeruãda. Sed altiùs rẽ hãc repetamus. Caput Chriſti IESV aurũ optimum eſt, de quo Doctor gentium, inquit: Caput Chriſti Deus. Et 1. Corin. 10. rectè Deus auro optimo aſſimilatur; nam vt aurum cuncta metala excellit, ſic diuinitas per excellentiam omnes creaturas, quamlibet nobiles ſint, ſuàpte natura eas antecellit. Hoc eſt aurum terræ viuentium, & aurum terræ illius optimum: nã fulget mirabiliter, ita vt ab humanis Gene. 2.

oculis videri nequeat. Non videbit me homo, & viuet, dixit Moyſi. Et rurſus in Euangelio habetur: Deum nemo vidit vnquam. *Caput eius aurum optimum*, quia Deus eſt, & homo ſimul. Diuinitas autem ſublime & principale eſſe eius, quod videri non poteſt, niſi oculis fidei in hac peritura vita. Videbimus verò eũ cũ apparuerit ipſe Chriſtus, qui eſt vita noſtra, videbimus inquã eum ſicuti eſt.

S. Grego. Quod autẽ caput Chriſti diuinitas ſit, ſanctus Gregorius palàm facit. Caput Chriſti (inquit) Deus eſt. Quod caput benè aureũ dicitur: quia ad cõparationẽ creatoris omnis creatura viliſsima perpenditur. Quidã prætereà referẽtes ad diuinitatem Chriſti verbũ hoc, Patrem cæleſtẽ, à quo Filius procedit, caput aureũ fore dixerunt. Quod ſanè verũ eſt, nam Pater coæqualem ſibi filiũ gignit: iuxta illud:

Ioan. 19. Ego & Pater vnum ſumus. Vbi probè vnitatem eſſentiæ, & diuiſionem perſonarum breui verbo indicauit, Arrij, & Sabelij errores refutans.

Quid multa? Nec deſunt, qui caput aurũ optimũ dicãt patres antiquos, ex quibus Chriſtus, quatenus homo, natus eſt. Quippe qui, tanquã aurum perignem, multis fidei argumentis cogniti, fide ipſa & charitate ſplenduerunt.

Sapi. 3. Sic enim ſcriptum eſt: Tanquam aurum in fornace probauit electos Dominus. Agite fratres, & videte, quomodo per multas tribulationes oportet nos intrare in regnũ cælorum. Equidem ſi aurũ ſumus, per tribulationis ignẽ probemur oportet.

COmæ eius ſicut elatæ palmarum, nigræ quaſi coruus. Hebraicè. *Cincinni eius criſpi,* vel *criſpantes, nigri quaſi coruus.*

Nota. ELATÆ palmarum, non ſunt rami palmæ, qui ſurſum tendunt, vt nonnulli autumarit, ſed quædam

arbor aromatica eſt, teſte Plinio libro 12. naturalis hiſtoriæ. cap. 28. Eſt (inquit) prætereà arbor ad eadem vnguenta pertinens, quam alij elatem vocant, nos abietem, alij palmam, alij ſpathen. Talibus ergo arboribus aromaticis comparantur comę ſponſi. Nempè comæ ſponſi IESV (quippe qui caput noſtrum eſt, Apoſtolo teſte) fideles omnes ſunt, quique fide & charitate ei adhærent. Ij quidē ſicut elatæ palmarum in altum tendunt. Nam ſi corpore in hac calamitoſa vita degunt, mēte in æthereis aulis habitant, cum Apoſtolo clamantes: Conuerſatio noſtra in cælis eſt: Vndè & Saluatorem expectamus Dominū noſtrum IESVM Chriſtum. Et iterum cum Propheta aſſerere audent: Stantes erant pedes noſtri in atriis tuis Hieruſalem. Quid plura? Sic ſcriptum eſt: Oculi ſapientis in capite. In Chriſto IESV capite aureo, ideſt, in diuinitate cōſiſtentes, illuc pertingere, illuc tendere, illius decore refici, & fulgere ac irradiari cupiunt. Suſpirant quippè ad illam viſionem: & videntur ſibi dies pauci præ amoris magnitudine, & leuis tribulatio ad pondus gloriæ: certo certius ſcientes: Quia non ſunt condignæ paſſiones huius tēporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Itaque electi Dei, vti elatæ palmarum ſunt: nam ad ſublimia virtutum ſe pro virili ſua efferūt, & per Dei gratiam quādoque ad victoriam deueniunt. Criſpi enim capilli non parum faciem hominis decorant, imò criſpantes crines fortitudinis ſignum eſſe ſolent, & ad eundem modū, ſancti ſurſum ſemper reſpiciunt, ſummum numen contemplantes, laudantes, & Deum toto pectore amantes. Oculi mei ſemper ad Dominū, quoniam ipſe euellet de laqueo pedes meos. O fœlices viros, qui nō, vt vxoris Loth, leuitate commoti retro reſpiciūt, ſed indefeſsè Deū optimū intuētur, cuius auſpiciis retia, & mūdi laqueos effugiunt.

Phili. 3. *Pſal. 121.* *Rom. 8.* *Pſal. 24.*

Cęterum, comæ capitis ſponſi nigræ ſunt, vt coruus. Nam & ſi cădidi ſint ſuper niuem, ſeſe peccatores agnoſcunt, & quotidiè orant: Dimitte nobis debita noſtra. Huc attinet illud Ioannis: Si dixerimus, quòd peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Verùm ſi pulchritudo & candor ſanctorum ad infinitam ſummi Dei puritatem conferatur, nigredo videbitur eſſe, non candor. Aliòqui Eſaias non diceret: Omnes iuſtitiæ noſtræ ſicut pannus menſtruatæ. Mira res: quàm ſe demittant, & exigua de ſe ſentiant ſancti! Vas electionis factus erat Paulus, vt portaret nomen IESV coram gentibus, & Regibus, & filiis Iſraël, veruntamē ore ſuo ſe peccatorem inſignem profiteri, non erubeſcit: Venit IESVS peccatores ſaluos facere, quorum primus ego ſum. O humilitatem mirabilem, & totis niſibus imitandam: nō ait, fui peccator, ſed ſum: vt oſtendat mihi clarum, nihil magnum de ſe ſentire. Nedum peccatorem vtcunque ſe appellat, ſed maximū peccatorem ſe vocat. Videtis planè, quòd quamuis ſancti homines omnimodis virtutibus polleant, peccatores tamen ſe fore fatentur, & priſtinæ vitæ ſemper recordantur.

1. Ioan. 1. *Eſai. 64.* *Nota.*

S. Grego. Vbi ſanctus Gregorius ait: Quid per comas Chriſti, niſi fideles quoſque intelligimus? qui dum fidem Trinitatis in mente cuſtodiunt, & Deo adhærentes quod credunt faciunt, quaſi capite pendentes honorem portanti conferunt. Palma autem in altū valdè creſcendo proficit, & victoriam ſignificatione ſua prætendit. Nigræ autem ſicut coruus exiſtūt: quia quāuis virtutibus in cælū ſe erigant, ſemper tamē peccatores ſe eſſe agnoſcunt. Mitto nunc lubens, quòd quidā comas Chriſti IESV dicūt, Angelos eſſe: qui quāuis in terra ſuo miniſterio fungantur, nihilo ſeciùs in altum, vt elatæ palmarum eriguntur, Deum optimum

mum facie ad faciem intuentes: iuxta illud: Angeli eorũ ſemper vident faciem Patris. Quiquidem nigri quaſi cor uus dicuntur, eo quod valdè humiliter de ſe ſentiant: & quia coram Deo maximo, pulchritudo eorũ deformitas quædam videtur. Profectò infiniti ad finitum nulla com paratio fieri poteſt. Sequitur, *Math. 18.*

OCuli eius ſicut columbæ ſuper riuulos aquarum, quæ lacte ſunt lotæ, & reſidet iuxta fluenta pleniſſima. Hebraicè, *reſidentes ſupra plenitudines.*

PVLCHRITVDO faciei potiſsimè in oculis ſita eſt, & ob id ſpõſi oculi, vt colũbæ eſſe dicũtur. Habẽt vtiq; columbæ quã pulchrós oculos, maximè ſi lacte abluantur. Equidẽ vti columbæ ex feneſtris ſuis hac & illac reſpiciũt: ſic Deus optimus de cælo cõtuetur omnia: dicente Dauide: De cælo reſpexit Dñs ſuper filios homi nũ, vt videat ſi eſt intelligens, aut requirens Deũ. Non ſat eſt, quę Dei ſunt quęrere, & bona illius deſiderare, niſi eũ quæramus, ipſum & totum pectore diligamus. Vndè Auguſtinus: Domine non quæro, quæ tua ſunt, ſed tè. Hinc pulchrè ſponſa inquiebat: Dilectus meus mihi, & ego illi, inter vbera mea commorabitur. Ille mihi theſaurus, opes omnes, deliciæ, & omne bonum, ille deniq; mihi eſt fœlicitas, pax, ſatietas, & æterna beatitudo. Vel ſponſi oculi, quibus reſpicit vniuerſum orbem, ſeptem dona Spiritus ſancti ſunt. Vndè in agno vidit Ioãnes ſeptem cornua, & ſeptẽ oculos: & ſtatim ſequitur: qui ſunt ſeptẽ ſpiritus Dei, miſſi ſuper omnẽ terram. Vbi ſeptiformis ſpiritus, vel ſeptem ſpiritus dona intelliguntur. Vndè quod Apoſtolus ait: Spiritus prophetarũ ſubiectus eſt pro phetis

Pſal. 13. *S. Auguſt.* *Apoc. 5.* *1. Cor. 14.*

phetis. Græci in numero plurali legunt de donis varijs ſpiritus ſancti, qui dicunt ſubiecta eſſe voluntati habentiũ ea. Ecce oculi lucidiores ſole, ceu Sapiẽs cõteſtatur, quibus Deus optimus reſpicit ſuper omnes fideles. Sicut columbæ oculi ſponſi ſunt, tùm ob ſinceritatem, & ſimplicitatem, eſt nimirum colũba ſuapte natura ab omni dolo aliena, tùm etiam propter fœcunditatem, nam iis prærogatiuis columba præcellit. Huc pertinet, quod nõ alia ſpecie, niſi columbæ, Spiritus ſanctus ſuper caput Chriſti IESV apparuit in Iordane. Quid? quòd columba felle caret, quod etiam paſſerculi, vti ſperimento nouimus, habent. Sic Spiritus ſanctus totus ſuauis eſt, totus valdè dul-
Eccle. 24. cis, ſicut ſcriptum eſt: Spiritus meus ſuper mel dulcis. Et
Sap. 12. iterum: Quã ſuauis eſt Domine ſpiritus tuus in omnibus!

Ad hæc, ſuper riuulos aquarum reſpiciunt oculi ſponſi, vt virtutem & efficaciam largiantur ſacræ ſcripturæ ſententiis, quippe quę ab vno fonte limpidiſsimo dimanãt,
2. Pet. 1. ideſt, à Spiritu ſancto. Vndè beatus Petrus ait: Non volũtate humana allata eſt aliquando prophetia, ſed Spiritu ſancto inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines. Rurſus, Paulus hanc doctrinam aſſerit diuinitùs inſpiratam, quę omnium maximè vtilis eſt ad docendum, & arguendũ. Denique Saluator noſter de Spiritu ſancto diſerens dixit:
Ioan. 14. Illę vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæcũque dixero vobis. Iis riuulis arentia pectora hominum irrigantur, vt vberes fructus pœnitentię gignant. Vel riuu-
Pœnitentia. li aquarum lachrymæ pœnitentiæ dicuntur, ſuper quas oculi ſponſi ſpontè reſpiciunt: adeò vt flentibus omnia delicta condonet, inſuper & omnium chariſmatum donis ditet. Sic lachrymarum fluẽta diuæ Magdalenæ Chriſtus inſpexit, & inſpiciendo laudauit, remittens ei vniuerſa delicta, quæ patrarat. Videte quanti faciat Deus opti-

mus

mus riuulos noſtrarum lachrymarum, nempè vt defecatum & optimum vinum deguſtat. Poſuiſti lachrymas meas (ait Rex Dauid) in conſpectu tuo, hoc eſt, maximè tibi placuerunt. Beati ergò, qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur. *Pſal.55.*

Benè columbæ iſtæ lacte lotæ ſunt, ideſt, cādidiſsimæ inſtar columbarum, quæ lacte tinctæ fuere, propter nimium candorem donorum Spiritus ſancti, quæ ſanè ſanctorum animas albiſsimas, candidiſsimaſque efficiunt. Atqui ſanctus Gregorius oculos ſponſi fore dixit, ſacri Euangelij prædicatores, & prælatos: ij planè viam nobis oſtendunt, & in ſimplicitate viuunt. Super riuulos aquarum reſpiciūt (inquit hic ſanctus) quia ſemper in refectione diuinarum ſcripturarum conuerſantur. Lacte ſunt lotæ, quoniam gratia creatricis ſapientiæ, per baptiſmum mundatæ ſunt. Super fluenta pleniſsima reſident ſacræ ſcripturæ, profunda & arcana dicta contemplantes. Prǽterea, ſuper fluenta reſident, vt volatilium auium vmbram in aqua videant, & ſuper aquas ſe proiicientes vngues rapacium ſic fugiant: Sic viri ſancti dum ſacras literas legunt, dæmonum fraudes aſpiciunt, & aſpicientes, quaſi ex vmbra hoſtem agnoſcunt, deluduntque eum. Nempè vbi conſiliis ſacræ ſcripturæ ſe ex toto corde addicunt, ita vt nil agant, niſi quod inibi inueniunt, quaſi in aquam ſe proiiciunt. Ecce quod ſit miniſterium, cui operam dare tàm prædicatores, quàm prælati tenentur. Fœlices dixerim eos, qui ſic inuigilant, ſic ſuper riuulos aquarum, & fluenta pleniſsima reſidētes, functione ſua, vt par eſt, potiuntur. *S. Gregor.* *Nota.* *Prædicatores*

Nec deſſunt, qui oculi ſponſi contemplatiuos eſſe dicant. Quique vt columbæ ad ſuas feneſtras aſcendunt: quemadmodum Eſaias teſtatur, quò in riuulis ſermonū *Eſai.60.*

Dei,

Dei,qui illuminant oculos, & intellectum præſtant paruulis,dæmonum retia & laqueos euadant.Fluenta pleniſſima commodè gaudia cæleſtia dicuntur:in quibus corda electorum reſident, terrenis & fallacibus bonis poſthabitis,adeò vt cum Paulo clamitent: Omnia arbitratus ſum,vt ſtercora,vt Chriſtum lucrifaciam.

GEnæ eius ſicut areolæ aromatum, conſitæ à pigmentariis: Hebraicè, *Genæ eius ſicut linea plantationum aromatis aromatũ confectionum.*

GENÆ eius,ideſt,facies eius,intelligendo à parte totam faciem.Quidam de verbis, quæ Dominus loquutus eſt in monte Sinai, locum hunc exponunt,quæ quidem dulciſsima ſunt,& perſpectiſsima,& ſingula verba fermè viſa ad ſimilitudinem lineæ plantationum aromatis, quæ linea conſtat ex pluribus aromatibus,ad dulciſsimas pretioſiſsimaſque confectiones faciendas. Senſus ergo eſt.Spōſus meus habet genas pulcherrimas aſpectu,atq; iucundiſsimas,ſimulq; ſuauiſsimè olentes:ita vt areolis aromatum perſimiles ſint. Verùm in genis maximè verecundia & modeſtia luceſcit. Vndè ſponſus ſuprà potiſsimè ſponſæ ſuæ verecundiam commendans, dixerat:Sicut fragmen mali punici genæ tuæ.Eas ob res, in hoc loco, mirabilem ſponſi Chriſti humilitatẽ & modeſtiam,quam ipſe erga ſponſam ſuam ſemper ſeruauit, intelligere licet.Huc pertinet illud:Diſcite à me,quia mitis ſum,& humilis corde.Hanc eximiam virtutem , quæ maximè Deo optimo placet,Apoſtolus vehementer Corinthis commendat.Obſecro vos,ait,per manſuetudinẽ, & modeſtiam Chriſti,&c.

Nota.

Canti.4.

Matth.11.

Vel

Vel, ſi lubet, duæ genæ ſpōſi duo populi ſunt, Hebræo- *Duo populi.*
rum, & Gentium, qui Chriſto Saluatori ſeruiunt, nec non
ſpiritui ſeptiformi in humilitate ſubditi ſunt. Sunt etiam
genæ Chriſti, qui ſub oculis ſitæ videntur, ſingulæ Eccle-
ſiæ, à pigmentariis conſitæ, primò à Chriſto, ſubindè ab
Apoſtolis, optimis aromatariis plantatæ, optimiſque plā-
tulis ſanctæ fidei, & charitatis, & morum ſanctorum con-
ſitæ. Vndè odorem gratiſsimū de ſe emittunt inſtar areo-
larū, quas conſerunt pigmentarij, id eſt apothecarij. Ve-
rùm vt pigmentarius Apoſtolus aiebat: Ego plantaui,
Apollo rigauit, Deus autem incrementum dedit. En cui *1. Corint. 3.*
principalem fructum tribuit, ſanè Deo. Ipſe vtique ait, ne
quis glorietur: Sine me nihil poteſtis facere. O nos fragi- *Ioan. 15.*
lès, & infirmos, vndè gloriari audemus? Deus dat velle, &
perficere, pro bona voluntate, Apoſtolo teſte.

Adhuc genæ ſponſi, in quibus maximè pulchritudo
ſplendet, Martyres ſancti ſunt, qui palmam martyrij ade- *Martyres*
pti, ſuoq; ſanguine rubricati, tùm Eccleſiam militantem, *Chriſti.*
tùm etiam triumphantem mirum in modū decorāt. De
quibus in ſua Apocalypſi Ioānes inquit: Ij ſunt, qui vene- *Apoca. 7.*
runt ex magna tribulatione, & lauerunt ſtolas ſuas in ſan-
guine agni. Non de quauis tribulatione eos veniſſe aſſerit
ſed de magna: eo quod pro Chriſto IESV probra, vin-
cula, flagella, & tandem immanem mortem oppeterēs,
animam exhalarūt. Vndè probè ſanctus Gregorius dicit: *S. Grego.*
Si per oculos prædicatores (vti diximus) intelliguntur: be-
nè per genas in Eccleſia figurantur, qui martyrio vitam
finiſſe perhibentur. Dum enim pro fide Chriſti ſanguinē
ſuum fuderūt, quaſi genæ in facie Chriſti rubent. Per eos
pulchritudo fidei ſacræ publicatur, quia ad quantū fidei
præmium tēdant oſtendunt, dū pro ea vitā exponūt. Quę
genæ optimè ſicut areolæ aromatum eſſe dicuntur: quia

dum

dum in conſtantia fidei martyrio electi exercentur, per cultum virtutum ſanctæ opinionis fama, quaſi aromata dilatantur. Sed areolæ pigmentariis conferuntur, quia martyres ſancti, & à præcedentibus prædicatoribus ad confeſsionem roborantur. Itaque prædicatores pigmentarij ſunt, medici ſpirituales, lãguoribus animarum erudi tione ſua medentes: ij pretioſum pigmentum fidelibus compoſuerunt, dulce poculum, ſpiritales videlicet ſentẽtias, quibus nos imbuerunt. Ab his pigmentariis conſitæ ſunt hæ areolæ, quæ virtutes ab eis deſcriptæ ſunt, & in libris conſcriptæ. De quibus ſubditur.

L*Abia eius lilia diſtillantia myrrham primam.* Hebraice. *Labia eius violæ diſtillãtia: myrrham tranſeuntem*, ideſt, quę hac & illac ſuum odorem perfundit.

QVIDAM labia ſponſi verba illius intelligunt, quæ plane mundiſsima & candidiſsima ſunt, dicente regali Propheta: Eloquia Domini eloquia caſta, argentũ
Pſal. 11. igne examinatum: ideò liliorum ſiue violarũ inſtar oble ctant, atque reficiunt piorum animos. Myrrham primam diſtillant: nam pœnitentiam nunciant, mortificationem
Ioan. 12. carnis nuſquam non docent. Qui amat animam ſuã perdet eam: qui odit animam ſuam, ideſt, vitam temporalẽ, in vitam æternam cuſtodit eam. En labia ſponſi diſtillantia myrrham, quæ, ni fallor, valdè amara eſt carni. Nempè qui voluptuoſam vitam agit, & carnis oblectamenta ſectatur, is eam deſtruit, quia ſtipendia peccati mors. Obſeruandum, quòd non myrrham quod in ſacrificio prohibebatur offerri, ſed myrrham optimam, & pretioſam labia Chriſti diſtillant. Sed de iis ſuprà fuſiùs loquuti ſumus.

Quod

Quod verò in Græco pro myrrha prima, myrrha plena dicitur, parui refert, cùm in eundem ſenſum reddat.

Veruntamen labia ſponſi, quæ vtilia candent, & vehementer puritate nitent, duo teſtamenta eſſe dicemus, in quibus quid bonum agere, & quid malum fugere, palàm inueniemus. Diſtillant profectò myrrham primã, eo quod vbique ad pœnitentiam peccatores vocant. Conuertimini ad Deum veſtrum in fletu & planctu, ait Ioël, quia benignus & miſericors eſt. Item in Euangelio clamat Dominus: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Rurſus Apoſtolus ait: Si ſecundum carnem vixeritis moriemini, ſi autẽ ſpiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Et quia pœnitentia à quauis corruptione ſeruat animam, & ſalutarẽ vitam conciliat, iure myrrhæ primæ aſsimilatur. Myrrha ſanè regum corpora condiuntur, ne vermes ea conſumant, & ſic corruptionis expertia ſunt. *Nota.* *Ioelis.2.* *Matt.11.*

Denique labia ſponſi ceu lilia candent vbi prædicatores & prælati Martyrum mortes populis prædicant: & quaſi myrrham, mortificandis carnibus, ad condimentũ diſtillant. Quæ quidem myrrha meritò prima dicitur eſſe, quia nullus ſic mortificatur, quomodo ille, qui pro Chriſto martyrio finitur. Prima myrrha dicitur, non pro tempore, ſed pro dignitate. Vti lilia labia ſponſi ſunt, nam oportet eos, per quos Chriſtus loquitur, vt mundi ſint, & per illos bonus odor aſpergatur. Quamobrem Paulus dicebat: Bonus odor ſumus in omni loco. Sed quia quicquid iuſtitiæ & fortitudinis habetur, à Chriſto IESV velut à fonte perenni ſcaturit, ideò in canticis nunc ſequitur. *S. Gregor.* *Prædicatores*

MAnus illius tornatiles aureæ, plenæ hiacinthis. Hebraicè. *Manus eius rotæ auri plenæ cum tharſis.*

VETERES doctores manus ſponſi rotas auri plenas tharſi, ideſt lapide pretioſo, dixerunt duas tabulas legis, quas manus eius fecerunt, & digito illius ſcriptæ fuerunt. Auro ſimiles ſunt, eo quod mandata Dei ſpecioſa ſint oportet, & apud nos magno pretio habeantur. Vndè Dauid inquit: Deſiderabilia ſuper aurum, & lapidem pretioſum multum. Inſtar rotę ſunt, quoniã facilè
Matt.11. illa quis adimplere poterit, gratia Dei ſuffragãte. Hinc Saluator noſter dicit: Iugũ meũ ſuaue eſt, & onus meũ leue.

Atqui, manus ſpõſi opera eius ſunt, numeris omnibus abſoluta. Sepe numero in ſcriptura ſacra, manus pro operibus intelliguntur. Hinc in Eſaia legimus: Manus veſtræ
Eſai.1. plenæ ſunt ſanguine, hoc eſt: Opera veſtra praua ſunt, & diris ſuppliciis digna. Et quia opera Trinitatis ab extra indiuiſa ſunt, quicquid operabatur Chriſtus Dei filius, perfectiſſimum erat: eã ob cauſam tornatiles, ſiue vt Græci aiunt, tornatæ manus eius appellantur. Verùm tornatile opus, quod torno elaboratum eſt, abſolutiſſimum eſſe ſolet: ita vt neque quicquã ex vlla parte deſit rotũditatis
Deut.32. perfectioni. Nec abs re Moſes dixit: Dei perfecta ſunt opera. Quod videre eſt in vniuerſo orbe, ſi penitiùs mundi creationem inſpiciamus. Vndè velut ſtupefactus Pſalmo
Pſal.138. graphus clamauit: Mirabilia opera tua Dñe, & anima mea cognoſcet nimis. Idq; de operibus redemptionis noſtræ afferẽdum eſt. Huc attinet, quod populus mirifica opera
Marci.7. Chriſti videns, ſeſe continere minimè potuit, quin acclamaret: Benè omnia fecit, ſurdos fecit audire, & mutos loqui.

qui.

qui. Imò verſutus Pilatus voce grãdi tonauit: IESVS nihil mali fecit: non inuenio in eo cauſam. Rurſus, tornatiles ſunt Chriſti IESV manus, quia promptiſsimæ, & ſine mora operantur, dicente Dauide, Ipſe dixit, & facta ſunt: ipſe mandauit, & creata ſunt. Nónne ſua potenti virtute, Lazarum quatriduanum in ictu oculi ſuſcitauit? Lazare (inquit) veni foras, & ſtatim prodiit viuus. Itẽ, aureæ ſunt, quia diuinitas latebat in carne eius. *Ioan. 19.* *Ioan. 11.*

Plenæ hiacinthis dicuntur manus Chriſti, ideſt, gemmis & pretioſis lapidibus. Etenim ſi quis miracula Saluatoris, vt par eſt, conſideret, quaſi hiacinthos pretioſos exiſtimet, fas eſt. His gemmis manus eius ornatæ erant, ſicut regum manus margaritis ornari ſolent. Quin diuinitas & maieſtas illius, vel maximè in iis gemmis eluſcebat. Adeò vt Nicodemus, alioqui doctus, diceret: Magiſter, nemo poteſt facere opera quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum illo. Quid? quod manus hę hiacinthis impletæ dicuntur, nõ carbonibus, aut palleis: vt ſciamus in oratione noſtra, non diuitias petere, quæ quidẽ ex terra ſunt, non volaticos atque fugaces honores, quippequi vti palleæ aquilone flante, ideſt, morte veniente euaneſcunt: ſed potiùs virtutũ Theologaliũ, nec non moralium augmentũ ſupplices poſtulemus: quippè quas ipſe largiri nobis appetit. Ecce Saluator noſter manus plenas gemmis pretioſis habet: nõ futilia & caduca precemur nobis impertiat, ſed peccatorũ veniã, virtutum incrementa, gratiã, & cęleſtẽ gloriã, obnixè petamus largiatur. Vnã petij, hãc requirã, vt inhabitẽ in domo Dñi omnibus diebus vitæ meæ. Fœlix qui diu noctuq; cum Regali Propheta ſic orat. Cõſonat noſtrę aſſertioni ſancti Gregorij ſentẽtia. Manus plenæ hiacinthis ſpõſi dicũtur: quia quicũq; illi⁹ opera puro corde imitãtur, fœlicitatis ęternę magnis muneribus ditãtur. *Ioan. 3.* *Nota.* *Pſal 84.*

in hoc exilio viuentibus largitur. Cui non ſuauis IESVS, qui in cruce pendens, pro crucifixoribus ſuis orauit? Pater (ait) ignoſce illis, quia neſciunt, quid faciunt. O verba omni mellita dulcedine plena, à planta pedis vſque ad verticem in eo ſanitas non erat, & nihilominus Patrem obnixè precatur, vt aduerſariis ſuis ignoſcat. Quid obſecro ſuauiùs? aut quid dulciùs oratione hac inueniri poteſt? Qui ergo tàm eſt ſuauis perſecutoribus, quanto ſuauior erit ſuis dilectoribus? Ego diligentes me diligo, inquit ipſe. Rurſus, rubicũdus eſt, & quaſi igneus, propter terrorem iuſtitiæ ſuæ, qua impiis terribilis ac metuendus erit. Nónne igneo vultu, & oculis videri ſolent, qui vehementi ira afficiuntur? Equidem flãmeum gladiũ Cherubim habet, ad cuſtodiẽdam viam ligni vitæ. Vbi auſtera ſummi Dei iuſtitia in gladio igneo adumbratur. Calcaui eos in furore meo, & conculcaui eos in ira mea, dicebat Angelorum Dominus. Hinc in Græco rectè ſcribitur: *Dilectus meus candidus, & igneus.* Vos fratres timete eum, cuius ſpiritus eſt in naribus eius. Agnus eſt, & etiam leo: lacteus & igneus: dulcis & ſeuerus. Horrendum eſt, incidere in manus Dei viuentis. Ad hæc candidus eſt & rubicundus Saluator, eo quòd peccatũ non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius. Vnde Sanctus Gregorius: Candidus & rubicũdus Chriſtus eſſe dicitur, quia nullũ omnino peccatũ faciens, iuſtitiæ pulchritudinẽ ex integro tenuit: & tamẽ tanquam peccator eſſet, ad mortis paſſionẽ acceſſit. Cui per Prophetã dicitur: Quare rubrũ eſt indumentũ tuum. Electus ex millibus eſt, quia ex totius generis humani maſſa, nullus ſine peccato reperitur. Ipſe verò non ſolũ ſine peccato fuit, ſed etiã peccatores ſua iuſtitia & ſanguine redemit. Vos chariſſimi mecũ paulìſper attẽdite. Cãdet IESVS, quia Deus, rubet, quoniã homo factus

Nota. Gene. 3. Eſai. 63. S. Grego. Nota.

ſanguine ſuo baptizatus eſt, quem toto affectu ipſe deſi-
derabat, dicẽs: Baptiſmo habeo baptizari, quomodò co-
arctor, donec perficiatur. Quid plura? ſanguis eius mun-
dat, & dealbat animas ſanctas. Lauerunt, & dealbauerũt
ſtolas ſuas in ſanguine agni. Quid ni cãdidus? ipſe lux eſt, *Apoca. 7.*
& tenebræ in eo non ſunt vllæ. Quid ni candidus? ignis *1. Ioan. 1.*
eſt conſumens, qui ignem venit mittere in terram.

Caput eius aureum optimum.

VBI in vniuerſum ſancta ſpõſa pulchritudinẽ ſpon
ſi exactè deliniarat, candidum, & rubicundũ, ideſt,
Deum & hominem Chriſtum IESVM prędicãs: & poſt-
quã electum ex millibus eũ eſſe indicauit: quiq; inter tur-
bã iuuenum viſus eſt ab Eſdra in mõte Sion, magis exal- *Eſdræ. 4.*
tatũ præ omnibus, coronas & palmas diſtribuentẽ aliis,
nũc ſigillatim per cuncta mẽbra diſcurrens, lucidiùs de-
corẽ ſponſi deliniat. Ait quidẽ: *Caput eius aurum optimum.*
Ideſt, aurũ igne examinatum valdè, hoc eſt, principiũ ſer
monũ eius fulget, ſicut aurum optimum. Iuxta illud pſal
mi: Principium verborũ tuorum veritas, in ęternũ omnia
iudicia iuſtitię tuę. Quod quidẽ principũ verborum eius
fuit in mõte Sinai ad populum ſuum, quando dixit: Ego
Dñs Deus tuus. Oſtendens ex hoc principio verborũ ſuo
rum regnum, & imperiũ ſui ſolius eſſe. Et poſtea ſubiecit
ſua mãdata, quæ vt rex præcepit obſeruãda. Sed altiùs rẽ
hãc repetamus. Caput Chriſti IESV aurũ optimum eſt,
de quo Doctor gentium, inquit: Caput Chriſti Deus. Et *1. Corin. 10.*
rectè Deus auro optimo aſſimilatur; nam vt aurum cun-
cta metala excellit, ſic diuinitas per excellentiam omnes
creaturas, quamlibet nobiles ſint, ſuapte natura eas an-
tecellit. Hoc eſt aurum terræ viuentium, & aurum terræ
illius optimum: nã fulget mirabiliter, ita vt ab humanis *Gene. 2.*

oculis videri nequeat. Non videbit me homo, & viuet, dixit Moyſi. Et rurſus in Euangelio habetur: Deum nemo vidit vnquam. *Caput eius aurum optimum*, quia Deus eſt, & homo ſimul. Diuinitas autem ſublime & principale eſſe eius, quod videri non poteſt, niſi oculis fidei in hac peritura vita. Videbimus verò eũ cũ apparuerit ipſe Chriſtus, qui eſt vita noſtra, videbimus inquã eum ſicuti eſt.

S. Grego. Quod autẽ caput Chriſti diuinitas ſit, ſanctus Gregorius palàm facit. Caput Chriſti (inquit) Deus eſt. Quod caput benè aureũ dicitur: quia ad cõparationẽ creatoris omnis creatura vilißima perpenditur. Quidã prætereà referẽtes ad diuinitatem Chriſti verbũ hoc, Patrem cæleſtẽ, à quo Filius procedit, caput aureũ fore dixerunt. Quod ſanè verũ eſt, nam Pater coæqualem ſibi filiũ gignit: iuxta illud:

Ioan. 19. Ego & Pater vnum ſumus. Vbi probè vnitatem eſſentiæ, & diuiſionem perſonarum breui verbo indicauit, Arrij, & Sabelij errores refutans.

Quid multa? Nec deſunt, qui caput aurũ optimũ dicãt patres antiquos, ex quibus Chriſtus, quatenus homo, natus eſt. Quippe qui, tanquã aurum per ignem, multis fidei argumentis cogniti, fide ipſa & charitate ſplenduerunt.

Sapi. 3. Sic enim ſcriptum eſt: Tanquam aurum in fornace probauit electos Dominus. Agite fratres, & videte, quomodo per multas tribulationes oportet nos intrare in regnũ cælorum. Equidem ſi aurũ ſumus, per tribulationis ignẽ probemur oportet.

COmæ eius ſicut elatæ palmarum, nigræ quaſi coruus. Hebraicè. *Cincinni eius criſpi, vel criſpantes, nigri quaſi coruus.*

Nota. ELATÆ palmarum, non ſunt rami palmæ, qui ſurſum tendunt, vt nonnulli autumant, ſed quædam

arbor aromatica eſt, teſte Plinio libro 12. naturalis hiſtoriæ. cap. 28. Eſt (inquit) præterea arbor ad eadem vnguenta pertinens, quam alij elatem vocant, nos abietem, alij palmam, alij ſpathen. Talibus ergo arboribus aromaticis comparantur comę ſponſi. Nempè comæ ſponſi IESV (quippe qui caput noſtrum eſt, Apoſtolo teſte) fideles omnes ſunt, quique fide & charitate ei adhærent. Ij quidē ſicut elatæ palmarum in altum tendunt. Nam ſi corpore in hac calamitoſa vita degunt, mēte in æthereis aulis habitant, cum Apoſtolo clamantes: Conuerſatio noſtra in cælis eſt: Vndè & Saluatorem expectamus Dominū noſtrum IESVM Chriſtum. Et iterum cum Propheta aſſerere audent: Stantes erant pedes noſtri in atriis tuis Hieruſalem. Quid plura? Sic ſcriptum eſt: Oculi ſapientis in capite. In Chriſto IESV capite aureo, ideſt, in diuinitate cōſiſtentes, illuc pertingere, illuc tendere, illius decore refici, & fulgere ac irradiari cupiunt. Suſpirant quippè ad illam viſionem: & videntur ſibi dies pauci præ amoris magnitudine, & leuis tribulatio ad pondus gloriæ: certo certius ſcientes: Quia non ſunt condignæ paſſiones huius tēporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Itaque electi Dei, vti elatæ palmarum ſunt: nam ad ſublimia virtutum ſe pro virili ſua efferūt, & per Dei gratiam quādoque ad victoriam deueniunt. Criſpi enim capilli non parum faciem hominis decorant, imò criſpantes crines fortitudinis ſignum eſſe ſolent, & ad eundem modū, ſancti ſurſum ſemper reſpiciunt, ſummum numen contemplantes, laudantes, & Deum toto pectore amantes. Oculi mei ſemper ad Dominū, quoniam ipſe euellet de laqueo pedes meos. O fœlices viros, qui nō, vt vxoris Loth, leuitate commoti retro reſpiciūt, ſed indefeſsè Deū optimū intuētur, cuius auſpiciis retia, & mūdi laqueos effugiunt.

Phili. 3. Pſal. 121. Rom. 8. Pſal. 24.

Cęterum, comæ capitis ſponſi nigræ ſunt, vt coruus. Nam & ſi cādidi ſint ſuper niuem, ſeſe peccatores agnoſcunt, & quotidiè orant: Dimitte nobis debita noſtra. Huc attinet illud Ioannis: Si dixerimus, quòd peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Verùm ſi pulchritudo & candor ſanctorum ad infinitam ſummi Dei puritatem conferatur, nigredo videbitur eſſe, non candor. Alioqui Eſaias non diceret: Omnes iuſtitiæ noſtræ ſicut pannus menſtruatæ. Mira res: quàm ſe demittant, & exigua de ſe ſentiant ſancti! Vas electionis factus erat Paulus, vt portaret nomen IESV coram gentibus, & Regibus, & filiis Iſraël, veruntamē ore ſuo ſe peccatorem inſignem profiteri, non erubeſcit: Venit IESVS peccatores ſaluos facere, quorum primus ego ſum. O humilitatem mirabilem, & totis niſibus imitandam: nō ait, fui peccator, ſed ſum: vt oſtendat mihi clarum, nihil magnum de ſe ſentire. Nedum peccatorem vtcunque ſe appellat, ſed maximū peccatorem ſe vocat. Videtis planè, quòd quamuis ſancti homines omnimodis virtutibus polleant, peccatores tamen ſe fore fatentur, & priſtinæ vitæ ſemper recordantur.

1. Ioan. 1. *Eſai. 64.* *Nota.*

S. Grego. Vbi ſanctus Gregorius ait: Quid per comas Chriſti, niſi fideles quoſque intelligimus? qui dum fidem Trinitatis in mente cuſtodiunt, & Deo adhærentes quod credunt faciunt, quaſi capite pendentes honorem portanti conferunt. Palma autem in altū valdè creſcendo proficit, & victoriam ſignificatione ſua prætendit. Nigræ autem ſicut coruus exiſtūt: quia quāuis virtutibus in cælū ſe erigant, ſemper tamē peccatores ſe eſſe agnoſcunt. Mitto nunc lubens, quòd quidā comas Chriſti IESV dicūt, Angelos eſſe: qui quāuis in terra ſuo miniſterio fungantur, nihilo ſeciùs in altum, vt elatæ palmarum eriguntur, Deum optimum

mum facie ad faciem intuentes: iuxta illud: Angeli corũ ſemper vident faciem Patris. Quiquidem nigri quaſi coruus dicuntur, eo quod valdè humiliter de ſe ſentiant: & quia coram Deo maximo, pulchritudo corũ deformitas quædam videtur. Profectò infiniti ad finitum nulla comparatio fieri poteſt. Sequitur. *Matth.18.*

OCuli eius ſicut columbæ ſuper riuulos aquarum, quæ lacte ſunt lotæ, & reſidēt iuxta fluenta pleniſſima. Hebraicè, *reſidentes ſupra plenitudines.*

PVLCHRITVDO faciei potiſsimè in oculis ſita eſt, & ob id ſpōſi oculi, vt colūbæ eſſe dicūtur. Habētvtiq; columbæ quā pulchros oculos, maximè ſi lacte abluantur. Equidē vti columbæ ex feneſtris ſuis hac & illac reſpiciūt: ſic Deus optimus de cælo cōtuetur omnia: dicente Dauide: De cælo reſpexit Dñs ſuper filios hominū, vt videat ſi eſt intelligens, aut requirens Deū. Non ſat eſt, quę Dei ſunt quęrere, & bona illius deſiderare, niſi eū quæramus, ipſum & totum pectore diligamus. Vndè Auguſtinus: Domine non quæro, quæ tua ſunt, ſed te. Hinc pulchrè ſponſa inquiebat: Dilectus meus mihi, & ego illi, inter vbera mea commorabitur. Ille mihi theſaurus, opes omnes, deliciæ, & omne bonum, ille deniq; mihi eſt fœlicitas, pax, ſatietas, & æterna beatitudo. Vel ſponſi oculi, quibus reſpicit vniuerſum orbem, ſeptem dona Spiritus ſancti ſunt. Vndè in agno vidit Ioānes ſeptem cornua, & ſeptē oculos: & ſtatim ſequitur: qui ſunt ſeptē ſpiritus Dei, miſſi ſuper omnē terram. Vbi ſeptiformis ſpiritus, vel ſeptem ſpiritus dona intelliguntur. Vndè quod Apoſtolus ait: Spiritus prophetarū ſubiectus eſt pro- *Pſal.13.* *S.Auguſt.* *Apoc.5.* *1.Cor.14.*

phetis

phetis. Græci in numero plurali legunt de donis variis ſpiritus ſancti, qui dicunt ſubiecta eſſe voluntati habentiũ ea. Ecce oculi lucidiores ſole, ceu Sapiẽs cõteſtatur, quibus Deus optimus reſpicit ſuper omnes fideles. Sicut columbæ oculi ſponſi ſunt, tùm ob ſinceritatem, & ſimplicitatem, eſt nimirum colũba ſuapte natura ab omni dolo aliena, tùm etiam propter fœcunditatem, nam iis prerogatiuis columba præcellit. Huc pertinet, quod nõ alia ſpecie, niſi columbæ, Spiritus ſanctus ſuper caput Chriſti IESV apparuit in Iordane. Quid? quòd columba felle caret, quod etiam paſſerculi, vti ſperimento nouimus, habent. Sic Spiritus ſanctus totus ſuauis eſt, totus valdè dulcis, ſicut ſcriptum eſt: Spiritus meus ſuper mel dulcis. Et iterum: Quã ſuauis eſt Domine ſpiritus tuus in omnibus!

Eccle. 24.
Sap. 12.

Ad hæc, ſuper riuulos aquarum reſpiciunt oculi ſponſi, vt virtutem & efficaciam largiantur ſacræ ſcripturæ ſententiis, quippe quę ab vno fonte limpidiſsimo dimanãt, id eſt, à Spiritu ſancto. Vndè beatus Petrus ait: Non volũtate humana allata eſt aliquando prophetia, ſed Spiritu ſancto inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines. Rurſus, Paulus hanc doctrinam aſſerit diuinitùs inſpiratam, quę omnium maximè vtilis eſt ad docendum, & arguendũ. Denique Saluator noſter de Spiritu ſancto diſerens dixit: Ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæcũque dixero vobis. Iis riuulis arentia pectora hominum irrigantur, vt vberes fructus pœnitentię gignant. Vel riuuli aquarum lachrymæ pœnitentiæ dicuntur, ſuper quas oculi ſponſi ſponte reſpiciunt: adeò vt flentibus omnia delicta condonet, inſuper & omnium chariſmatum donis ditet. Sic lachrymarum fluẽta diuæ Magdalenæ Chriſtus inſpexit, & inſpiciendo laudauit, remittens ei vniuerſa delicta, quæ patrarat. Videte quanti faciat Deus optimus

2. Pet. 1.
Ioan. 14.
Pœnitentia.

mus riuulos noſtrarum lachrymarum, nempè vt defecatum & optimum vinum deguſtat. Poſuiſti lachrymas meas (ait Rex Dauid) in conſpectu tuo, hoc eſt, maximè tibi placuerunt. Beati ergo, qui lugent, quoniam ipſi con ſolabuntur. *Pſal.55.*

Benè columbæ iſtæ lacte lotæ ſunt, ideſt, cãdidiſsimæ inſtar columbarum, quæ lacte tinctæ fuere, propter nimium candorem donorum Spiritus ſancti, quæ ſanè ſanctorum animas albiſsimas, candidiſsimaſque efficiunt. Atqui ſanctus Gregorius oculos ſponſi fore dixit, ſacri Euangelij prædicatores, & prælatos: ij planè viam nobis oſtendunt, & in ſimplicitate viuunt. Super riuulos aquarum reſpiciũt (inquit hic ſanctus) quia ſemper in refectione diuinarum ſcripturarum conuerſantur. Lacte ſunt lotæ, quoniam gratia creatricis ſapientiæ, per baptiſmum mundatæ ſunt. Super fluenta pleniſsima reſident ſacræ ſcripturæ, profunda & arcana dicta contemplantes. Prẹterea, ſuper fluenta reſident, vt volatilium auium vmbram in aqua videant, & ſuper aquas ſe proiicientes vngues rapacium ſic fugiant: Sic viri ſancti dum ſacras lite ras legunt, dæmonum fraudes aſpiciunt, & aſpicientes, quaſi ex vmbra hoſtem agnoſcunt, deluduntque eum. Nempè vbi conſiliis ſacræ ſcripturæ ſe ex toto corde addicunt, ita vt nil agant, niſi quod inibi inueniunt, quaſi in aquam ſe proiiciunt. Ecce quod ſit miniſterium, cui operam dare tàm prædicatores, quàm prælati tenentur. Fœlices dixerim eos, qui ſic inuigilant, ſic ſuper riuulos aquarum, & fluenta pleniſsima reſidẽtes, functione ſua, vt par eſt, potiuntur. *S. Gregor.* *Nota.* *Prædicatores*

Nec deſſunt, qui oculi ſponſi contemplatiuos eſſe dicant. Quique vt columbæ ad ſuas feneſtras aſcendunt: quemadmodum Eſaias teſtatur, quò in riuulis ſermonũ *Eſai.60.*

Dei,

Dei,qui illuminant oculos, & intellectum præſtant paruulis,dæmonum retia & laqueos euadant.Fluenta pleniſſima commodè gaudia cæleſtia dicuntur: in quibus corda electorum reſident, terrenis & fallacibus bonis poſthabitis,adeò vt cum Paulo clamitent: Omnia arbitratus ſum,vt ſtercora,vt Chriſtum lucrifaciam.

G*Enæ eius ſicut areolæ aromatum, conſitæ à pigmentariis*: Hebraicè, *Genæ eius ſicut linea plantationum aromatis aromatũ confectionum.*

GENÆ eius,id eſt,facies eius,intelligendo à parte totam faciem.Quidam de verbis, quæ Dominus loquutus eſt in monte Sinai, locum hunc exponunt,quæ
Nota. quidem dulciſsima ſunt,& perſpectiſsima,& ſingula verba fermè viſa ad ſimilitudinem lineæ plantationum aromatis, quæ linea conſtat ex pluribus aromatibus,ad dulciſsimas pretioſiſsimaſque confectiones faciendas. Senſus ergo eſt.Spõſus meus habet genas pulcherrimas aſpectu,atq; iucundiſsimas,ſimulq; ſuauiſsimè olentes: ita vt areolis aromatum perſimiles ſint. Verùm in genis ma-
Canti.4. ximè verecundia & modeſtia luceſcit. Vndè ſponſus ſuprà potiſsimè ſponſæ ſuæ verecundiam commendans, dixerat:Sicut fragmen mali punici genæ tuæ.Eas ob res, in hoc loco, mirabilem ſponſi Chriſti humilitatẽ & modeſtiam,quam ipſe erga ſponſam ſuam ſemper ſeruauit,
Math.11. intelligere licet.Huc pertinet illud:Diſcite à me,quia mitis ſum,& humilis corde.Hanc eximiam virtutem, quæ maximè Deo optimo placet,Apoſtolus vehementer Corinthis commendat.Obſecro vos,ait,per manſuetudinẽ, & modeſtiam Chriſti,&c.

Vel

Vel, ſi lubet, duæ genæ ſpōſi duo populi ſunt, Hebręorum, & Gentium, qui Chriſto Saluatori ſeruiunt, nec non ſpiritui ſeptiformi in humilitate ſubditi ſunt. Sunt etiam genæ Chriſti, qui ſub oculis ſitæ videntur, ſingulæ Eccleſiæ, à pigmentariis conſitæ, primò à Chriſto, ſubinde ab Apoſtolis, optimis aromatariis plantatæ, optimiſque plātulis ſanctæ fidei, & charitatis, & morum ſanctorum conſitæ. Vnde odorem gratiſsimū de ſe emittunt inſtar areolarū, quas conſerunt pigmentarij, id eſt apothecarij. Verùm vt pigmentarius Apoſtolus aiebat: Ego plantaui, Apollo rigauit, Deus autem incrementum dedit. En cui principalem fructum tribuit, ſanè Deo. Ipſe vtique ait, ne quis glorietur: Sine me nihil poteſtis facere. O nos fragiles, & infirmos, vnde gloriari audemus? Deus dat velle, & perficere, pro bona voluntate, Apoſtolo teſte. *Duo populi.* *1. Corint. 3.* *Ioan. 15.*

Adhuc genæ ſponſi, in quibus maximè pulchritudo ſplendet, Martyres ſancti ſunt, qui palmam martyrij adepti, ſuoq; ſanguine rubricati, tùm Eccleſiam militantem, tùm etiam triumphantem mirum in modū decorāt. De quibus in ſuâ Apocalypſi Ioānes inquit: Ij ſunt, qui venerunt ex magna tribulatione, & lauerunt ſtolas ſuas in ſanguine agni. Non de quauis tribulatione eos veniſſe aſſerit, ſed de magna: eo quod pro Chriſto I E S V probra, vincula, flagella, & tandem immanem mortem oppetētes, animam exhalarūt. Vndè probè ſanctus Gregorius dicit: Si per oculos prædicatores (vti diximus) intelliguntur: bene per genas in Eccleſia figurantur, qui martyrio vitam finiſſe perhibentur. Dum enim pro fide Chriſti ſanguinem ſuum fuderūt, quaſi genæ in facie Chriſti rubent. Per eos pulchritudo fidei ſacræ publicatur, quia ad quantū fidei præmium tēdant oſtendunt, dū pro ea vitā expōnūt. Quę genæ optimè ſicut areolæ aromatum eſſe dicuntur: quia *Martyres Christi.* *Apoca. 7.* *S. Grego.*

dum

dum in conſtantia fidei martyrio electi exercentur, per cultum virtutum ſanctæ opinionis fama, quaſi aromata dilatantur. Sed areolæ pigmentariis conferuntur, quia martyres ſancti, & à præcedentibus prædicatoribus ad confeſsionem roborantur. Itaque prædicatores pigmentarij ſunt, medici ſpirituales, lãguoribus animarum erudi tione ſua medentes: ij pretioſum pigmentum fidelibus compoſuerunt, dulce poculum, ſpiritales videlicet ſentẽtias, quibus nos imbuerunt. Ab his pigmentariis conſitæ ſunt hæ areolæ, quæ virtutes ab eis deſcriptæ ſunt, & in libris conſcriptæ. De quibus ſubditur.

L*Abia eius lilia diſtillantia myrrham primam.* Hebraice *Labia eius violæ diſtillatia: myrrham tranſeuntem*, ideſt, quę hac & illac ſuum odorem perfundit.

QVIDAM labia ſponſi verba illius intelligunt, quæ planè mundiſsima & candidiſsima ſunt, dicente regali Propheta: Eloquia Domini eloquia caſta, argentũ igne examinatum: ideò liliorum ſiue violarũ inſtar oblectant, atque reficiunt piorum animos. Myrrham primam diſtillant: nam pœnitentiam nunciant, mortificationem carnis nuſquam non docent. Qui amat animam ſuã perdet eam: qui odit animam ſuam, ideſt, vitam temporalẽ, in vitam æternam cuſtodit eam. En labia ſponſi diſtillantia myrrham, quæ, ni fallor, valdè amara eſt carni. Nempè qui voluptuoſam vitam egit, & carnis oblectamenta ſectatur, is eam deſtruit, quia ſtipendia peccati mors. Obſeruandum, quòd non mel, quod in ſacrificio prohibebatur offerri, ſed myrrham optimam, & pretioſam labia Chriſti diſtillant. Sed de iis ſuprà fuſiùs loquuti ſumus.

Pſal. 11. Ioan. 12.

Quod

Quod verò in Græco pro myrrha prima, myrrha plena dicitur, parui refert, cùm in eundem ſenſum reddat.

Veruntamen labia ſponſi, quæ vtilia candent, & vehementer puritate nitent, duo teſtamenta eſſe dicemus, in quibus quid bonum agere, & quid malum fugere, palàm inueniemus. Diſtillant profectò myrrham primã, eo quod vbique ad pœnitentiam peccatores vocant. Conuertimini ad Deum veſtrum in fletu & planctu, ait Ioël, quia benignus & miſericors eſt. Item in Euangelio clamat Dominus: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Rurſus Apoſtolus ait: Si ſecundum carnem vixeritis moriemini, ſi autẽ ſpiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Et quia pœnitentia à quauis corruptione ſeruat animam, & ſalutarẽ vitam conciliat, iure myrrhæ primæ aſsimilatur. Myrrha ſanè regum corpora condiuntur, ne vermes ea conſumant, & ſic corruptionis expertia ſunt. *Nota.* *Ioelis. 2.* *Matt. 11.*

Denique labia ſponſi ceu lilia candent vbi prædicatores & prælati Martyrum mortes populis prædicant: & quaſi myrrham, mortificandis carnibus, ad condimentũ diſtillant. Quæ quidem myrrha merito prima dicitur eſſe, quia nullus ſic mortificatur, quomodo ille, qui pro Chriſto martyrio finitur. Prima myrrha dicitur, non pro tempore, ſed pro dignitate. Vti lilia labia ſponſi ſunt, nam oportet eos, per quos Chriſtus loquitur, vt mundi ſint, & per illos bonus odor aſpergatur. Quamobrem Paulus dicebat: Bonus odor ſumus in omni loco. Sed quia quicquid iuſtitiæ & fortitudinis habetur, à Chriſto IESV velut à fonte perenni ſcaturit, ideò in canticis nunc ſequitur. *S. Gregor.* *Prædicatores*

R Manus

qui.Imò verſutus Pilatus voce grādi tonauit: IESVS nihil mali fecit:non inuenio in eo cauſam. Rurſus,tornatiles ſunt Chriſti IESV manus,quia promptiſsimæ, & ſine mora operantur,dicente Dauide, Ipſe dixit,& facta ſunt: ipſe mandauit,& creata ſunt. Nónne ſua potenti virtute, Lazarum quatriduanum in ictu oculi ſuſcitauit? Lazare (inquit) veni foras,& ſtatim prodiit viuus. Itē,aureæ ſunt, quia diuinitas latebat in carne eius. *Ioan. 19.* *Ioan. 11.*

Plenæ hiacinthis dicuntur manus Chriſti,ideſt,gemmis & pretioſis lapidibus. Etenim ſi quis miracula Saluatoris, vt par eſt, conſideret, quaſi hiacinthos pretioſos exiſtimet,fas eſt. His gemmis manus eius ornatæ erant, ſicut regum manus margaritis ornari ſolent. Quin diuinitas & maieſtas illius,vel maximè in iis gemmis eluſcebat. Adeò vt Nicodemus,alioqui doctus,diceret: Magiſter, nemo poteſt facere opera quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum illo. Quid? quod manus hę hiacinthis impletæ dicuntur,nō carbonibus,aut palleis: vt ſciamus in oratione noſtra,non diuitias petere,quæ quidē ex terra ſunt, non volaticos atque fugaces honores,quippe qui vti palleæ aquilone flante,ideſt,morte veniente euaneſcunt: ſed potiùs virtutū Theologaliū, nec non moralium augmentū ſupplices poſtulemus: quippè quas ipſe largiri nobis appetit. Ecce Saluator noſter manus plenas gemmis pretioſis habet: nō futilia & caduca precemur nobis impertiat, ſed peccatorū veniā,virtutum incrementa,gratiā,& cęleſtē gloriā,obnixè petamus largiatur. Vnā petij, hāc requirā, vt inhabitē in domo Dñi omnibus diebus vitæ meæ. Fœlix qui diu noctuq́; cum Regali Propheta ſic orat. Cōſonat noſtrę aſſertioni ſancti Gregorij ſentētia. Manus plenæ hiacinthis ſpóſi dicūtur: quia quicūq; illi' opera puro [illegible] imitātur, fœlicitatis ęternę magnis muneribus ditātur. *Ioan. 3.* *Nota.* *Psal 84.*

tur. Vndè ſpõſus ipſe pollicetur: Qui mihi miniſtrat, me ſe
Ioan.12. quatur, & vbi ego ſum, ibi & miniſter meus erit. O ſummi numĩnis largitatẽ: quis mercedẽ hãc eximiã audiẽs, nõ cũ ćta relinquat, & tibi ſoli adhęreat, teq; toto pectore diligat

Sunt deniq; manus ſpõſi tornatiles dilecti eius: quia rectè & perfectè operantur: nihil enim agunt, in quo proximus offendiculũ inueniat, vel ſcãdalũ patiatur. Quin potiùs ſicut tornus rectè voluitur & politè, & nihil inęquale in ſe pattitur: ſic electi nihil reprehenſione dignũ operantur. Quo pertinet illud, quod de ſanctis animalibus ſcri-
Eze.1. ptũ eſt: Pedes eorũ pedes recti. Equidẽ ſancti viri ſic rectè in lege Dei gradiũtur, vt nõ ad dexteram, nec ad ſiniſtrã declinẽt vnquã, regia via incedẽtes: quę cæleſtia ſunt bona cãdido corde amant, horrent autẽ ea, quæ mũdi ſunt. Bonorum virorum operatio ſapiẽtia diuina eſt illuſtrata, & ideò tornatiles & aureæ manus, id eſt, opera eorũ, vocã-
Matth.5. tur. Lucent coram hominibus, ſed ad gloriam patris cæleſtis, ſimplici intentione cuncta agẽtes, *Plenæ* ſunt *hiacinthis*: hiacinthus aërei coloris eſt. Iuſti ergo in quauis operatione cæleſti deſiderio fragrant, & Dei beneplacitũ quæritãt. Plenæ hiacinthi ſunt, ita vt aditus nõ pateat humanę laudi. Non hanc quærunt, & oblatã reſpuunt, ſed ad cæleſtẽ hanc margaritam ſemper reſpiciunt: tanquam vocem
1. Corint.10. illã Pauli vbiq; audiẽtes: Omnia in laudẽ Dei facite. Propenſi ſunt ad operandũ, quia tornatiles, ita vt ſpiritu Dei agãtur: quod maximũ filiorũ Dei vocat Apoſtolus ſignũ.

V*Enter tuus eburneus diſtinctus Sapphiris.* Hebraicè. *Venter eius nitor eboris inuolutus ſapphiris.*

QVIA PAVLO ſuprà dixerat ſponſa: Dilectus meus candidus & rubicundus: propterea cùm

dixiſſet:

dixiſſet. *Venter eius eburneus*, ſiue *nitor eboris*, adiũxit, *diſtinctus ſapphiris.* Sapphirus lapis pretioſus eſt rubri coloris. Nota.
Et quoniã venter in medio hominis ſitus eſt, ideò quidã per ventrem legem ſacerdotalem intellexerunt: quippe quæ in medio voluminis legis Moyſi ponitur. Enimuerò, lex illa candida eſt, vt ebur ad dealbandum, & rubicũda, vt ſapphirus ad vlciſcendum peccata: ita vt dentem pro dente, & oculum pro oculo reus præbeat. Ad hæc, per ventrem eburneum humanitas Chriſti IESV rectè ſignatur. Elephas caſtiſſimum animal eſt, ex quo ebur elicitur: ſic humanitas Chriſti ex ſacra virgine Maria prodiit, & munditiſſima extitit: munditiam & caſtitatem vbique ipſe docuit. Beati mundo corde, quoniam ipſi Deũ videbunt: & iterum: Beati qui ſe caſtrauerunt propter regnum cælorum. Præterea humanitas Chriſti diſtincta fuit ſapphiris, pulchra varietate ornata, & pretioſis lapidibus, aureis punctis interlucentibus. Quoniam humanitas eius, & ſi infirma ſecundum ſpeciem, tamen precioſiſſimis cæleſtium virtutum, & gratiarum gemmis exornata fuit. Hinc Ioannes dixit: Vidimus eum, tanquam vnigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis. Itaq;, humanitas Saluatoris noſtri eburnea erat, ob mirabilem puritatis candorem, & ſapphiris ornata, id eſt, omnium chariſmatum donis decorata.

Matth. 5.

Ioan. 1.

Sanctus Gregorius autem, de mortalitate Chriſti hoc explicat. Venter Chriſti (ait) rectè eburneus fore dicitur: quia mortalitas Chriſti ad immortalitatem perducitur, dum per reſurrectionem ad gloriam Patris ſui æterni, in vita æterna collocatur. Vndè Apoſtolus inquit Chriſtus reſurgens ex mortuis iam non moritur, nec mors illi vltra dominabitur. Sed venter ſapphiris diſtinctus perhibetur: quia in noſtra corruptione, quam portauit, cæleſtia

S. Grego.

Rom. 6.

opera per miracula, quæ faciebat, paſſionibus noſtris inſeruit. Qua diſpenſatione Apoſtoli & Martyres in fide eruditi ſunt, & ad paſſiones tolerandas robuſti extiterũt.

Rurſus: venter Chriſti eburneus boni coniugati ſunt, caſtè ſe habentes: ij profectò ſunt, qui habẽt vxores, & tãquam non habentes, ſe habent, quiq; vtũtur hoc mũdo, tanquã non vtantur, quemadmodũ probè Apoſtolus docet. *1. Corinth. 7.* Equidẽ elephas (vt diximus) animal caſtũ eſt, & frigidę naturę: ideò illos ſignificat, qui non ideò copulantur, vt libidini faciãt ſatis, ſed vt cauſa prolis generãdę, vel vitandę incontinentiæ. Lõgè melius eſt nubere, quàm vri. Verũ prolis intentio habet meritũ in vxoratis, vitanda incontinẽtia veniam, quã præſtat matrimoniũ: cauſa libidinis habet dãnationem, quia mortale peccatũ eſt. *Nota.* Coniugati, qui voluptati ſuæ tantũ ſeruiunt, non ſunt vẽter eburneus dilecti, ſed potiùs poſſeſſio diaboli. Sic Angelus Raphaël Tobiam docuit, dicens: *Tobiæ. 3.* Dęmon habet poteſtatem ſuper eos, qui coniugium ita ſuſcipiunt, vt ſuæ libidini vacent, ſicut equus & mulus. Tremẽda res: qui habet aures audiendi audiat. Dæmon ſeptem viros benedictæ virginis Sareæ non ob aliã cauſam interfecit, niſi quia vt belluæ, ad eam accedere cupiebant. Ecce quam ob rem dæmon Aſmodæus viros illos enecauit. Huc ſane in pſalmo ſcriptum eſt: *Pſal. 31.* Nolite fieri ſicut equus & mulus, quibus nõ eſt intellectus. Fœlices boni coniugati, ſi venter eburneus ſponſi fuerint: ſi habentes vxores, tanquam non habẽtes fuerint: ij ſapphiris decorati, & cæleſtibus diſciplinis imbuti, ſuperna meditantur, & ſapiunt: ij inquam ſapphiris diſtincti ſunt: quia inter mundanos actus, cæleſtia quoq; opera faciũt: quanquã diuiſi ſunt, & quomodo placeant vxori cogitant: nihilo ſeciùs meditantur, quomodo placeãt Conditori, & mandata illius ſeruant. Mirabile documen-

mentum Apoſtolus protulit Theſalonicenſibus dicens: Sciat vnuſquiſque vas ſuum poſidere,in honore,& ſancti ficatione: non in paſſione deſiderij, ſicut & gentes,quæ ignorant Deum.Singula annotatu ſunt digna. 1.Theſſ.4.

Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fun data ſunt ſuper baſes aureas. Hebraicè. *Tibiæ eius columnæ marmoris,fundatæ ſuper mortariola auri.*

RECTE crura ſponſi marmorea conſilia eius dicuntur,eo quod mirabilem ſtabilitatem ſuapte natura habeant. Vndè rex Dauid ait:Fidelis Deus in omnibus verbis ſuis,& ſanctus in omnibus operibus. Nempe, qui veritas æterna eſt, fideliſſimus ſit oportet,in quibuſuis pollicitationibus. Imò ipſe ore ſuo ſacro inquit: Ego ſum via veritas,& vita. Etenim vti nos duobus cruribus ambulamus, ita Deus optimus duo habet crura: de quibus in pſalmo legimus: Vniuerſæ viæ Domini miſericordia, & veritas. Et iterum: Miſericordiam & iudicium cantabo tibi Domine. Hos pedes ſanè lachrymis ſuis abluit Magdalena, ſubindicans, quòd nec ſolum iudicium Dei contemplemur, ne forſitam deſperare nobis contingat: neque miſericordiam tantummodo amplectamur, ne ſuperbientes habenas viciis laxemus. Cæterùm columnæ iſtæ marmoreæ dicuntur,quia in Chriſto IESV firmiſſimæ ſunt miſericordia & veritas, ſiue iudicium. Non eſt prudentia, nec conſilium contra Dominum. Pſal.32. Ioan.14. Pſalm.24. Nota.

Super baſes aureas fundatæ ſunt columnæ hæ: quoniam præſcientiæ, & prædeſtinationi æternæ innituntur, & æqua rectitudine Chriſti miſericordia, & iuſtitia,

Rom.8. ſine defectu procedunt. Quos præſciuit, hos & prædeſtinauit, quos prædeſtinauit, hos & vocauit, &c. Videtis quomodo effectus omnes prædeſtinationis tanquam ſuper baſes aureas fundati ſint, ſuper præſcientiam & prædeſtinationem. Planè niſi ſancti eſſent à Deo cogniti, neutiquam forent prædeſtinati, vel electi. Sed eam ob rē vocati ſunt, quia agniti, & prædeſtinati: dicente Apoſtolo: *Ephe.1.* Elegit nos in ipſo, ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti.

Crura etiam Chriſti merito dicuntur fideles, qui pauperes alunt, & viros religioſos ſuis eleemoſynis ſuſtentāt. De quibus Dominus ait: Beati miſericordes, quoniam *Pſal.40.* ipſi miſericordiam conſequentur. Et in Pſalmo: Beatus, qui intelligit ſuper egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus: hoc eſt in morte, & in extremo iudicio Saluatorem mundi beneuolum, & aduocatum inuenient. Ni fallor, ſentētia illa irrefragabilis extat: Qui *Matt.10.* recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet. Hi vt columnæ marmoreæ fortes & recti ſunt: qui nec tentationibus, nec vllis calamitatibus cedūt. Eam ob cauſam non quibuſuis lapidibus, ſed marmori aſſimilantur. Baſes verò aureæ ſuper quas fundātur fides & charitas ſunt prophetarum, quorum veſtigia ſectātur. Abraham, Iob, & Thobias inopes ſubleuabant, & pauperibus gaudenter ſeruiebant, fuſiuſque de ſuis diuitiis illis impertiebant. Hos planè nos oportet imitari, quo miſericordiam conſequi valeamus. Alioqui, iudicium ſine mi- *Iaco.2.* ſericordia fiet ei, qui non fecerit miſericordiam. Stupenda comminatio, niſi quis lapideum habeat cor.

Denique vt crura totius corporis molem ſuſtinent, ac ferunt: ita Apoſtoli columnarum inſtar vniuerſam, fidelium Eccleſiam per orbem terrarū fortiſſimè geſtant; ob

inuicti

inuicti robur animi, atque ſanctiſsimi propoſiti firmitatē columnæ marmoreæ appellantur. Hoc illis pro ſumma ſtabilitate fidei cōuenit. Sic Dominus alloquutus eſt eos: Ite in vniuerſum mundum, & prædicate Euangelium omni creaturæ. Quod quidem tanta animi ſapientia, tantaque animi conſtantia perfecere, vt tāquam marmorei, imò adamantini, nihil violentū exiſtimauerint, nihil aduerſi formidarint. Quin potiùs ſtabiles ſemper, & inuicti contra omneis hominum poteſtates, atque dæmonum, monendo, prædicando, ac miraculis coruſcādo, victores tandem fœliciſſimi euaſerunt. Erant quippe ſuper baſibus aureis fundati, hoc eſt, ſuper fortiſsima petra Chriſto IESV, & eius ſanctiſsimis pręceptis. Quibus quicunque fideliſsimè innititur, & legis Chriſtianę opera perfecerit, is Chriſti columna marmorea ſuper baſes aureas fundata eſſe poterit. Sicut ſcriptura teſtatur: Qui vicerit, faciā eum columnam in templo meo. Sic diuus Gregorius locum hunc exponit, dicens: Crura ſponſi Apoſtolos eſſe, per quos Chriſtus IESVS orbem circuiuit, & fidem illis prædicantibus, populis audientibus ſparſit.

Marci. vlt.

Apoca. 3.

S. Grego.

S*Pecies eius vt Libani, electus vt cedri.* Hebraicè. *Viſio eius ſicut Libani, electus vt cedri.*

NOTANDVM quòd inter omnes terrę ſanctæ montes, mons Libani tā pulchritudinis amenitate, quā fructus fœcunditate prę̨eminet. Sic cedrus inter omnes arbores cedri altitudine & pulchritudine pręcellunt. Ideò ſpōſa ait: Species, ſiue pulchritudo dilecti mei Chriſti, vt pulchritudo Libani eſt. Libanus verò candidatio interpretatur. Senſus eſt: Adeò ſpecioſus eſt ſponſus meus, vt nedū hominum pulchritudinem, verùm etiam

Angelorum decorem antecellat: Vndè ipſa paulò antè dixerat: Dilectus meus candidus, & rubicūdus, electus ex millibus. In Græco & in Hebræo dictio illa, *cedri*, in nominatiuo plurali ponitur. Cedrus igitur ſemper vireſcit: ſic verba & opera Chriſti vireſcūt, & nunquā marceſcent. Et ad eandē imaginē fideles, qui candido pectore eū amāt, & mandatis eius ſupplices obtēperant, ſuper niuē dealbabuntur: & tandē per reſurrectionem perpetim incorrupti permanebunt: dicente Paulo: Omnes quidē reſurgemus. Hinc ſanctus Gregorius de Chriſto IESV ait: Libanus dealbatio interpretatur. Et de Chriſto dicit Apoſtolus: Qui factus nobis à Deo ſapientia, iuſtitia, ſanctificatio, & redemptio. Benè ergo ſpecies eius vt Libani dicitur: quia per eū credētes dealbamur, cui ſi adhæremus radicitùs, valdè ſublimes erimus: à cuius gratia etiā bonæ opinionis odorē, ſi quem habemus, accipimus. Electus vt cedri dicitur: quia de eo Pater loquitur: Ecce puer meus, quem elegi, dilectus meus, complacuit ſibi in illo anima mea. De quo etiam Eſaias: Et ſublimis erit valdè. Quid quòd odor eius mortuos ſuſcitauit? eo teſtante: Ego flos campi & lilium conuallium.

Canti. 2. — 1. Corin. 15. — Eſai. 42.

GVttur illius ſuauiſſimum, & totus deſiderabilis. Hebraicè. *Palatū eius dulce, & totus deſideria.*

QVI vehementiores ſunt in rei cuiuſpiam cōmendatione, quantumuis cōmendauerint, nunquā ſufficiēter ſe cōmendaſſe exiſtimant. Ad eundē modum ſponſa quia de gutture dilecti ſponſi nil dixerat, nūc velut deffectū omiſſionis ſupplere volēs, guttur illius ſuauiſſimū prędicat. Ac ſi dicat: Guttur, vel palatum habet mira ſuauitate plenū, & quaſi lac & mel ex eo dimanāt. Nônne verba,

quæ

quæ per guttur Chriſti tranſierũt,melle & lacte dulciora ſunt? Verba vitæ æternæ habes(ait Petrus)quò ibimus?Te Ioan.6.
ſtis ſit veritatis huius virilis ſecundum cor Dei:Quã dulcia faucibus meis eloquia tua,ſuper mel ori meo! Vocula Pſal.118.
illa,quã, energiam habet non vulgarẽ. Vbi ſanctus Theodoritus:Non enim ſic mellis dulcedo oris ſenſum dulcẽ facit,quã tuorum oraculorum meditatio meã lætificat animam. Guttur enim poſuit,tanquã vocis inſtrumentũ: per vocem verò meditatio fit. Quã dulcia,quamq́; mellita ſunt menti meæ eloquia tua Dñe! dici non poteſt, quãuis ſentiri poteſt,vtcunque. Obſeruãdum, quòd hæc dulcedo non habetur in iis,qui Ægyptum incolunt. Manna ſuauiſsimũ,non niſi in deſerto datũ eſt Hebræis. Qui ergo mũdi diuitias, & carnis ſubdolæ lenocinia ſpreuerit, qui deniq; in eremo pœnitentiæ habitat, is experiri valebit,quàm dulciſsimum ſit guttur ſponſi. Renuit conſolari anima mea,ideſt,omne ſolatium mundi huius penitus Pſal.118.
ſpreui. Et quid ſequitur? Memor fui Dei: & delectatus ſum,& exercitatus ſum, & defecit ſpiritus meus. Singula ſingularẽ emphaſim cõtinent. O beatã animam,qui Ægypto ſpreta in deſerto pœnitentiæ moratur. Hęc exploratores mittit,vt terram fluentem lacte & melle cõſiderẽt, dũ meditationes ſanctas de vita æterna habet: nec redeunt abſque fructibus illius terræ promiſſę. Equidem dulcedinem illius delibando,omnem prauã ſuauitatẽ expellit.

Et totus deſiderabilis, vel *totus deſideria*, quibus ipſe ardebat erga ſalutem noſtrã. Baptiſmo habeo baptizari,quomodo coarctor, donec perficiatur. Ecce quibus deſide- Luca.12.
riis fragrabat, qui tantoperè redemptionẽ noſtram optabat. Nota.
Enimuerò totus deſiderabilis eſt,cuius vultũ deſiderabat videre vniuerſa terra: vti de Rege Salomone ſcriptura teſtatur. Ecce pluſquã Salomõ hìc. Totus quidẽ deſi-

derabilis

derabilis eſt Chriſtus: ſiue caput eius, ideſt, diuinitatem contemplemur, cuius viſione & fruitione beati ſunt, tam Angeli, quàm ſancti omnes: ſi verò humanitatem conſideremus, totus amabilis, & deſiderabilis inuenitur. Profectò ſiue caput eius ſacroſanctum pro nobis ſpinis coronatum ſpectemus: ſiue genas rubore perfuſas, & alapis ceſas: ſiue guttur ad raucedinem vſq; laborans, pro inſtructione populorum: ſiue oculos lachrymis plenos, & vigiliis, & orationibus exhauſtos: ſiue faciem venerabilem, & ſole ipſo pulchriorem ſputis illitam, & cruore fœdatam: ſiue humeros duræ crucis pondere contritos: ſiue manus tot miraculorum operatrices clauis acutiſſimis perforatas: ſiue dorſum & omne corpus flagris aſperrimis dilaniatum: ſiue genua in aſſidua oratione laſſata: ſiue pedes moleſto itinere defatigatos, & nouiſſimè in cruce clauis vulneratos: nempe niſi pectus adamantinum habeamus, per omnia occurrit nobis amabilis, & vehementer deſiderabilis. O amoris vehementiam: ô charitatis mirabilẽ vim. Hæc omnia IESV bone pro nobis obire decreuiſti, vt electis orthodoxis tuis te exhiberes totum amabilem, totumq́; deſiderabilem vbiq; illis oſtenderes. Diligam te Domine fortitudo mea, refugium & liberator meus.

Nota. *Chriſti paſſio.* *Pſal. 17.*

S. Grego. Poſtremò, beatus Gregorius guttur Saluatoris vocat ſacrum Euangelium: per quod Chriſtum IESVM perindè atq; loquentem audimus. Per guttur quippe voces transferuntur, & ſapores in ventrem hauriuntur. Quid enim per guttur ſponſi, niſi teſtamentum Chriſti intelligitur, per quod Chriſtus nobis loquitur, & in quo quàm ſuauis ſit Dominus à fidelibus guſtatur? Totus ergo deſiderabilis exiſtit, quia per hoc, quod de Deo bona omnia anima ſancta audit, magis ac magis ſemper eum videre concupiſcit. Hæc ſanctus Gregorius. Fœlix homo, qui tãto amo-

to amore Chriſti I E S V inardeſcit, vt diu noctuque cum Regali vate clamet: Quemadmodũ deſiderat ceruus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus. Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, quando veniã, & apparebo ante faciem Domini. Vndè ſanctus Auguſtinus: Ceruus ſerpentes occidit, & tunc plus ſitit. Tu ſi ſerpentes,, id eſt, vicia interemiſti, veni ad fontem viuum: habet Deus fontem vbi ſitim tuam ſatiet. Curre non vtcunque animal, ſed vt ceruus, victoria de ſerpentibus capta. Quando veniam & apparebo ante faciem Domini: hoc eſt, quòd ſitio venire & apparere. Sitio in peregrinatione, ſitio in curſu, ſatiabor in aduentu. Satiabor dum apparuerit gloria tua Domine. Sed quando veniam? Et quod citius Deo, tardum eſt mihi: hoc eſt, quod alibi ipſe clamabat: Vnam pecij, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. En quàm deſiderabilis, quamque valdè amabilis ſit ſponſus, cui nos totos deuouimus.

Pſalm. 41. *S. Auguſt.* *Pſal. 16.*

T*Alis eſt dilectus meus, & ipſe eſt amicus meus, filiæ Hieruſalem.* Hebraicè, *Iſte dilectus meus, & iſte ſocius meus filiæ Hieruſalem.*

POSTQVAM ſingulatim membra ſponſi tantoperè commendauit, & tandem guttur illius ſuauiſſimum prædicauit: quia nil dulciùs verbis illis: Pœnitentiã agite, & appropinquauit regnum cælorum: & rurſus: Nũquid voluntas mea eſt mors impij, & non magis, vt conuertatur & viuat? nunc tanquam concluſionem faciens, ait: *Talis eſt dilectus meus, & ipſe eſt amicus meus.* Senſus eſt: Nõ vulgaris eſt vt vnus hominum ô filiæ Hieruſalem, ſed

Matt. 3. *Ezech. 18.*

ſed mirabilis & ſpecioſus valdè ſponſus meus: quē tantopere diligo, tantoq; ardore quæro, nec quærere deſinam. Me interrogaſtis, & veluti potui, eius encomia protuli. Audiſtis qualis & quanti pretij ſit, quā merito amabilis, atq; deſiderabilis: ne excandeſcatis, ô filię, ſi tanto labore eum quæro. Itaq;, poſt tā operoſam commendationem, quaſi exagerādo, & ante dictas laudes confirmando ſubnectit: *Talis eſt dilectus meus, & ipſe eſt amicus meus.* Duplicat verba, dilectum & amicum eum apellando, ad laudis exagerationē, & ad ampliorē veritatis aſſertionem. Nec eſt abſimile illud: Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es. Vel dilectū vocat ſuum, quia totā amoris vim in eo poſuit, amicū verò dicit, eo quod ab illo vnicè dilecta. Sicut alibi ipſe ait: Ego diligentes me diligo. Dilectus meus eſt, quem non lingua, aut verbo humano dūtaxat diligo, ſed opere & veritate. Sic enim dilecta ſum ab illo, quiq; tā ingenti amore dilexit me, vt ſeipſum traderet pro me. Agite obſecro vos filiæ Hieruſalem, animæ fideles, ad viſionem pacis ſupernæ venire cupientes, vt per eius amorem & mandatorum obedientiam, ad illam modis omnibus affectandam tranquillitatē aſcendatis. Sicut ſcriptum eſt: Si vis ad vitā ingredi, ſerua mandata. Cęterum ingratiſſimus ille prorſus, planeq; lapideus, & omnis humanitatis expers, qui talem ac tantum creatorē, & benignum redēptorem non ſtudioſiſſimè colit, & adorat. Vndè ſanctus Gregorius: Numeratis tot laudibus, oſtenſis tot muneribus, quis audiens non concupiſcat? quis intendens non inardeſcat? Sed fidelis anima, quò plura atq; maiora de redemptore ſuo audit, & intelligit, eò propius illi adhærere contēdit, & illius ſecretiora, & magis intima agnoſcere flagrat. Quas ob res, filiæ Hieruſalem ſic interrogāt.

Nota. Sapi. 8. Math. 19. S. Grego.

Quo

QVo abiit dilectus tuus, ô pulcherrima mulierũ? quo abiit dilectus tuus, & quæremus eum tecum? Ita penè in omnibus tribus linguis.

AVDIENTES filiæ Hieruſalem ſponſi excellentiam atq; decorem: quin & ſpecioſum eſſe præ filiis hominum agnoſcentes, per exactam eius imaginem à ſponſa deliniatam, in illius dilectionem exardeſcunt: Quã ob cauſam ſic percunctantur. Ecce fraternæ cõpaſſionis affectus, & ſolicitudo mutua charitatis, qua inuicẽ ſibi deuotę animæ cõpati aſſolent, ad adiuuandũ ſe offerentes vltrò. Quod vel maximè cõtingit eis, qui perfectiores ſunt: cupiũt vehemẽter ſubuenire infirmis. Hinc Apoſtolus: Flete cũ flentibus, gaudete cũ gaudẽtibus. Et alibi: Quis infirmatur, & ego nõ infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non vror? Ad eundem modum filiæ Hieruſalem vnà quærere ſponſum promittunt, quaſi dicẽtes: Nos tibi adminiculo ſpõtè erimus, tecum dilectum ſponſum pro virili exquirentes. Nota. 2. Cor. 11.

Quo abiit, & quo declinauit *dilectus tuus*, aiũt. Nam ob maiorẽ vtilitatẽ ſponſus ſe abdit aliquando: ne mens ſem per deliciis affluens inſoleſcat: & quod cælitus ei datur, meritis propriis aſcribat, & ſic labaſcat ſuperbia turgens. Rurſus: ſic fit, vt ſuprà attigimus, quia deſiderium dilatũ creſcit: quo aucto, meritum cumulatiùs excreſcit. Nẽpè puer IESVS duodecim annos natus ſacrã Mariã matrem ſuã, & Ioſeph nõ triduo dimitteret, niſi vt illi anxiè, Saluatorẽ quęrentes longè maius meritũ vendicarent, & nobis patientiæ, & humilitatis forent exẽplo. Cũ ergo filiæ Hieruſalem Deiparam interrogarent: Qualis eſt dilectus ex dilecto, Luca. 2.

dilecto, quia ſic adiuraſti nos? ipſa ſanè reſpondebat: Dilectus meus candidus & rubicundus, &c. At illæ, amore Chriſti IESV tactæ, interrogant: *Quo abiit dilectus tuus ô pulcherrima mulierum? quo declinauit dilectus tuus, & quæremus eum tecum?*

Vel ſynagoga Eccleſiam interrogat, audiens mirabilia Chriſti opera, eiuſque pulchritudinem, cuius amore afflata verba hæc perſonat: potiſſimè vbi Spiritu ſancto pleni Apoſtoli, infracto animo loquebantur magnalia Dei, velut ſanctus Lucas narrat: qua via ſit quærendus, indicabant illi. Quærite Dominum omnes humiles terræ. Deindè qua ratione inueniatur, oſtenditur: Facite iudicium & iuſtitiam omni tempore. Sub hæc diuus Gregorius ita inquit: Cùm proximus proximo de Chriſto loquitur, cùm alter ab altero qualiter inueniatur ſciſcitatur, quid aliud quàm quomodo inueniatur perſcrutatur? Quamuis de ſynagoga intelligi valeat, vt aliquando conuerſa Eccleſiam interroget: cui protinùs Eccleſia reſpondit.

Acto. 2.
Eſai. 67.
S. Grego.

CAPVT

CAPVT SEXTVM

CANTICORVM.

Dilectus meus deſcendit in hortũ ſuum ad areolã aromatum, vt paſcatur in hortis, et lilia colligat. Hebraicè. *Dilectus meus deſcendit in hortum ſuum, ad lineas plantationum aromatis, ad paſcendum in hortis, & ad colligendum violas.*

PER miram breuitatem filiabus ſuis reſpondet ſponſa, ſeruãs decorem epithalamij carminis, quod nil triſte admittit. Obſeruandum quòd in ſacra pagina vſitatiſſimum eſt, præterito vti pro futuro: ac ſi dicat: Deſcendet in Eccleſiam ſuam homo factus filius Dei, quippe quæ hortus concluſus ab ipſo appellatur. Et per viſcera miſericordiæ ſuæ viſitabit nos oriens ex alto. Et probè ait deſcendet: quia exinaniuit ſe ipſum, formã ſerui accipiens. Imò ſic huc deſcendit & humiliauit ſe Chriſtus, vt patris obedientiam proſſus obſeruans, mortem ignominioſam crucis ſponte ſubiret. Areolæ aromatis ſingulæ Eccleſiæ, vel animę fideles ſunt, in quibus paſcitur, odore florum & liliorũ gaudio miro affectus: quemadmodum principes ſolent in hortos ſuos deſcendere, & inter floſculos, & flores, oblectari. Vndè palàm eſt, quàm in genti amore Salua-

Nota.

Luce. 1.

Phili. 2.

tor ſuam ſponſam, ſuoſque fideles piè viuentes diligat.
N.ц. Qui tot millia Angelorum in cælo habet, cui millia millium miniſtrant, & decies centena millia ei aſſiſtunt, diu noctuque ouanter collaudant: is deſcendere dignatus eſt, ad hoc exilium, vt homo factus, mundum redimeret. Mira res: lilia ſeu violas colligit, & ceu in ſinu ſuo collocat, dũ opera fidelium conſiderat, & cõſiderando approbat: pro quibus mercedẽ commeritam eis impertiat. Vel lilia colligit ex horto ameniſſimo, vbi quotidie electos ſuos ſua prouidentia gubernat, & tempeſtiuè, ſecundum beneplacitum ſuum, transfert illos in aulas æthereas.
Joan.14. O fœlicem diem, in quo illud adimpletur: Iterũ veniã ad vos, & aſſumã vos ad me ipſum. Tunc ſanè nedũ eleemo
Matth.10. ſynæ magnę, ſed quod mirum eſt, calix aquæ frigidę mercedem magnã accipient, veluti ipſe Dominus pollicetur.

Huic ſententiæ conſentit ſanctus Gregorius dicens: Deſcendit dilectus meus ad areolam aromatum, id eſt, Eccleſiam viſitãs, ad fideles maiori gratia venit, quos ſanctis operibus, virtutũ exemplis, bonæ famæ odorem ex ſe proximis emittere cognoſcit. In hortis lilia colligit, & in eis paſcitur: cùm multarum animarum virtutibus delectatur, Rurſus, lilia carpit, quando perfectos quoſque ab
Sapi.4. hac mortali vita ſuccidit: ſicut ſcriptum eſt: Placita erat anima eius Deo, ideò properauit educere eum de medio iniquitatum.

Tandẽ hunc deſcenſum ſpõſi quidã dicunt illum eſſe, quo poſt mortem dirã crucis patres antiquos inuiſit, & in limbo ſuã diuinitatẽ eis oſtendẽs, illos beare dignatus
Zachá.9. eſt. Vndè in Zacharia legimus: Tu in ſanguine teſtamenti tui emiſiſti vinctos tuos de lacu, in quo nõ erat aqua. Argumento rei huius eſt, quòd Saluator adhuc in cruce pẽdẽs latroni religioſè oranti reſpondit: Amẽ dico tibi, ho

die mecum eris in paradiſo:ideſt, poſt obitum meũ, Patre meo cæleſti placato, meam diuinitatem videbis, in qua ſunt omnes paradiſi deliciæ, omniaque Angelorum & hominum oblectamenta.

Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi, qui paſcitur inter lilia.

HIC filiabus Hieruſalẽ palàm facit, vbi quærendus ſit ſponſus: nam ipſæ quò abierit, & quò declinauerit, quęrebãt. Ait enim: Sponſus meus in horto Eccleſiæ Romanæ quærendus eſt: nam inter lilia, hoc eſt, inter ſancta deſideria, cãdida verba, & illuſtria opera: non vtique in ſiluis infideliũ, aut in deſertis Iudæorũ, aut hæreticorũ moratur Chriſtus IESVS: horret planè hęc ſcalẽtia deſerta: vndè fruſtrà extra hanc noſtrã Eccleſiam inueniri poteſt. Quo enim amore ſponſum ipſa diligat, in iis verbis indicat. Dilectus meus mihi, & ego illi. Ideſt, ille mihi opes, & deliciæ, honor, & fœlicitas, adeò vt omnia, tanquã ſtercora arbitrer, vt eũ lucrifaciam, perpetuòq; poſsideã. Ille inquam mihi omne bonũ, quod nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit. Quin cum Propheta indeſinenter canã: Deus cordis mei pars mea Deus in æternũ. Viciſsim & ego illi ſponſa ſum, quippe quã ſic deamauit, ſic chariſmatũ donis honeſtare voluit, vt ſe ipſum vltrò exhiberet: iuxta illud: Ego protector tuus, & merces magna nimis, noli timere. Vndè ſanctus Gregorius: Quia ſancta Eccleſia in filiis ſuis fide Chriſto coniungitur, ſpe ſuſpenditur, charitate conglutinatur, ita vt nihil extra Chriſtũ diligat: rurſus eum ſibi familiariter amat, illumque fortiùs tenet: ideo ait: *Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi, qui paſcitur inter lilia,*

Pſalm. 72.

Geneſ. 15.

Pulchra es amica mea, ſuauis & decora ſicut Hieruſalē, terribilis vt caſtrorū acies ordinata. Hebraicè. *Pulchra es tu ſocia mea ſicut Thirſa, pulchra vt Hieruſalē, terribilis ſicut vexillata.* ideſt, ſicut acies vexillatæ.

SANE ſponſus filius Dei, vt potè miſerator & miſericors, quamuis pauliſper taceat, & quaſi abſens ſponſam Eccleſiam vel animam piam in anxietate deſerat: tandem nō poteſt ſua viſcera miſericordię cōtinere, quominus ei loquatur, & mellitis ſuis verbis eā ſoletur: iuxta il-
Eſai. 54. lud: Ad punctū, in modico dereliqui te, & in miſerationibus magnis cōgregabo te. Spōſus igitur, qui parūper tacuerat, anxiè ſponſa quærēte illū, iam loquitur blandiētis in morem, & ait: *Pulchra es amica mea, ſuauis & decora, ſicut Thirſa*: quippe quę ciuitas munita eſt in terra Iſraël, vt in
3. Regum. 15. libro Regum legimus. Suauis eſt Eccleſia, ideſt, maximè amabilis: & pulchrè aſsimilatur ciuitati Hieruſalē, quæ tēpore Dauid, & Salomonis florētiſſima fuit: adeò vt illi nulla alia ciuitas diuitiarū ſplēdore, atq; gloria æquari poterat. O quāta honorificentia, quanta diuitiarū ſpiritaliū opulētia Eccleſia ſancta exundat, per verū Salomonē ditata, qui & de ſeipſo teſtatur: Ecce pluſquam Salomō hîc. Profectò Eccleſia militans ex munificenti Chriſti pacifici regis, tùm pręſidio, tùm fortitudine, tùm denique incolarum multitudine longè illam veterem Hieruſalem
Pſal. 86. excellit: De qua probè vaticinatus eſt Dauid dicens: Glorioſa dicta ſunt de te ciuitas Dei. Quod nedū de triūphāti Hieruſalē, ſed de hac militāte rectè exponitur. Eſt planè aliqua ex parte hæc Eccleſia ei perſimilis: alioqui nō ſæpenumero regnū cælorū appellaretur, in ſacro Euāgelio.

Habent vtraque eundem regem, ſcilicet Chriſtũ IESVM regem regũ, & Dominum dominantium. Habent etiam eaſdem leges, quoniam earum ciues Deum toto corde diligunt, & proximos ſicut ſeipſos. Nihilominus illa triũphat, & gloria magna potitur: hæc militat, & quotidie cũ diabolo, mundo, & carne manus conſerit, vincitque ſpõſo, Chriſto ſuffragante, qui deeſſe minimè poteſt. *Apoca.*

Cæterùm beatus Gregorius de ſynagoga conuerſa ad Chriſtum hoc intelligit, Pulchra, & amica, ſuauis, & decora, ſicut Hieruſalē ſynagoga eſſe perhibetur: quia ad quatuor Euangelia aliquando cõuerſa Chriſtum ſicut Eccleſia ſectabitur. Hieruſalē quippè viſio pacis interpretatur, per quam benè ſancta Eccleſia figuratur. Quia dum in mundo ſemper preſſuram patitur, viam faſtidiens, quæ ſit pax patriæ cæleſtis currendo contemplatur, confidēs in eo, qui diſcipulis dixit: In mũdo preſſuram habebitis, ſed confidite, ego vici mundum. Dignè ergo ſynagóga conuerſa ſicut Hieruſalem pulchra, & amica ſuauis, atq; decora dicitur: à qua pulchritudinem morum accepit, vt placeat: exercitium ſanctæ operationis colligit, vt in amicitia hæreat: ſuauitatem manſuetudinis diſcit, vt permaneat: decorem conuerſationis oſtendit, vt per exemplúm trahat. *S. Grego.* *Nota.*

Terribilis vt caſtrorum acies ordinata, vel *vt acies vexillatæ*, vti in Hebræo habetur. Ecce fortitudo inuicta ſacroſanctæ Eccleſiæ, quæ planè ſponſi ſui inuictiſsimi gratia fulta, inſuperabilis regina eſt: ipſo dicente: Et portæ inferi nõ præualebunt aduerſus eam. Idque de anima ſancta Chriſto enixa ſuo modo dicendum eſt. Ego ero eis murus igneus in circuitu. Quis obſecro vnquam murum igneũ ferreis armis expugnare potuit? Flammeo gladio verſatili Cherubim paradiſum cuſtodit, & nemo auſus eſt, lignũ *Matt. 16.* *Zachá. 2.*

 vitæ

vitæ tangere, neq; videre: tantũ abeſt, vt Eccleſiã ſpõſam filij Dei vincere, aut ſuperare quis queat. Terribilis, ac formidabilis eſt aduerſariis, mũdi rectoribus tenebrarũ harũ, quiq; noſtri ſaluti rabida, ac pertinaciſsima ira aduerſantur. Enimuerò, Chriſto IESV duce, & Spiritu ſancto directore, ſub vno ſanctæ vexilo crucis omnes ordine pulcherrimo militamus. Oportet tamẽ, ne quis à Chriſti militia ſe ſubducat: alioquin ſerpens verſutus eũ ſuperabit, & in tartarum detrahet. Exercitum autem totum Eccleſiæ proſternere, aut peſſundare ſatanas, aut cõplices eius tyrãni, hæretici, aut orthodoxi, qui perperã agunt, nullatenus poterunt. Equidem in tres turmas fortis Iacob diuiſit domum ſuam, dũ Eſau timebat furorẽ. At ſupplãtator Chriſtus IESVS tres habet in Eccleſia cuneos, ſiue ſtatus. Habet incipientes, proficientes, & perfectos. Notandum verò, quòd in profligandis hoſtibus, potiſsimè ordinis cura habetur: ita vt hoſtes aditum nullum ſibi inueniant. Nil equidem ſic inexpugnabilem exercitũ reddit, quã ordo optimus: quo neglecto, milites labaſcunt, & inſtar ouium ab inimicis occiduntur. Ad eandem imaginẽ, niſi vnitas inter reges, fraternitas inter prælatos, charitas inter fideles ſeruetur: aduerſarij lupi rapaces magnã ſtragem, grauemque iacturam Eccleſiæ inferẽt. Hinc perbellè clamat Paulus: Pacem habete, & Deus pacis & dilectionis erit vobiſcum. Quare fides integra, ſpes firma, charitas ſincera vel maximè ſponſæ neceſſariæ ſunt, necnon cuiq; animæ fideli, ſi victrices aduerſus callidiſſimos hoſtes euadere cõtendũt. Faxit optimus Deus, vt ſic reges, & principes fideles, prælati Eccleſię, & omnes orthodoxi paci & vnitati ſe dedãt, vt tam aduerſarij viſibiles, qui noctu diuq; inſidias moliuntur, quã hoſtes inuiſibiles nil dãni nobis inferre valeant. Interim verò procliui genu nos omnes Chriſtũ

Gene. 32. Figur. 4. Nota. 2. Corint. 13.

IESVM precemur, & cum vate Regio aſsiduè oremus: IESV bonè, fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis. Hoc eſt, vt in tua Eccleſia dilecta fraternitas, & vnitas maximè obſeruetur: tua mirabili gratia fac, vt in regibus, & prælatis, quippe qui vti turres in Eccleſia præeminent, pax tua abundet, & affatim in dies augeatur. Nempè hæc precatio valdè vtilis eſt, & grata Deo. *Pſal.121.*

Confirmat, quod hactenus diximus, ſancti Gregorij aſſertio. Dum fideles de ſe ipſis vallum efficiunt, intrandi aditum hoſtibus non relinquunt: & ne occidantur appetiti, ipſi faciliùs occidunt. Verùm ſi pacem tenet Eccleſia, terribilis valdè aduerſariis ſuis apparet: ſi autem per diſcordiam ſcinditur, vndique ab hoſtibus facilè penetratur. Pace itaque ſe muniat, vnitate ſe vinciat, charitate ſe vniat, vt dum in ſeipſa per ſciſſuram damnum non patitur, ducē ſuum Chriſtum exaltans, ſine confuſione ſequatur, In pace oculus mētis mūdatur, vt in ipſam beatitudinis viſionē intendatur: quam nemo ſicut eſt, in hac vita conſpicit, quia impoſsibilè eſt, in hac vita patriam tenere, quoniam in exilio vnuſquiſque noſtrum gemit. *S. Grego.* *Pax.*

AVerte oculos tuos à me, quia ipſi me auolare fecerūt. Hebraicè. *Auerte oculos de contra me, qui ipſi prævaluerunt in me.*

QVI ante hac velut amore ſponſæ victus exclamauit, vulneraſti cor meum ſponſa, vulneraſti cor meum, in vno oculorum tuorum: nunc iterum clamat, rogās eam, vt oculos ſuos auertat. Vbi ſignificat, ex aſpectu ſpōſæ, quæ in contemplatione eleuatur, tanto amore affici, vt impatiens amoris, eam ampliùs intueri nequeat. Vbi palàm facit, quātum Eccleſiam Romanā amaret, & amaturus eſſet, poſtquā homo filius Dei factus in terris viſu-

rus foret. O magna, & ſtupenda amoris vis: filius Dei,
Nota. iuxta amorem eius, qui exceſſu amoris deperit, nunc loquitur. Noli ſponſa (ait) noli inquam, diutiùs oculos tuos in me iactare, nec me amplius oculorum iactibus vulnerare, quia ipſi me ita vulnerarunt amore, vt ferè iam non ſim apud me, ſed prorſus extra me ipſum factus videar, & quaſi mei ipſius impos. Et hoc eſt, quod Hebraicè habetur, *Præualuerunt in me*, vel inſoleſcere me fecerunt. Eodẽ pacto inter vehementer ſe amantes contingit, vt ſic extra ſe fiant, quòd inſoleſcant, & ſui compotes non ſint. Obſeruandum magnopere eſt, quòd ſponſus haud faſtidit ſpõſæ ſuæ præſentiam & aſpectum: alioquin non ei ſuperiùs
Canti. 2. dixerat: Oſtẽde mihi faciem tuam. Maximè ei placet animæ noſtræ contemplatio, ita vt Martha conquerenti, & querimoniam aduerſus ſororem ſuam facienti, Saluator
Luca. 7. reſponderit: Maria optimam partem elegit, quæ non
S. Auguſt. auferetur ab ea. Vbi diuus Auguſtinus: Factus eſt Mariæ aduocatus, qui iudex fuerat interpellatus. Quorſum ergo ſic loquitur? Profectò vt amoris exceſſus (ſi ſic fas ſit loqui) nobis pateſiat. Eam ob rem verbis hiſce vtitur, & more vehementer ſe amantium affatur: quemadmodum nuperrimè, & ſi obiter tetigimus. Nos ergo illud pectori no-
Pſal. 45. ſtro altiùs figamus, quod Dñs in Pſalmo nobis ſuadet: Vacate, & videte, quoniã ego ſum Deꝰ, id eſt, vacãtes, vel maximè toto niſu contẽplationi inſtate, vt perſpicuũ vobis ſit, me omnipotentẽ Deũ eſſe, qui vos ex nihilo creaui, & ſanguine proprio redemi, quiq; vos beare poſſũ, & volo.

Longè aliter ſanctus Gregorius verba hæc explicat, &
S. Grego. ait: Oculos ad ſponſum tendimus, dum intimum mentis ad videndum Chriſti IESV gloriam, & deitatem aperimus. Sed oculos auertere præcipimur, ne videlicet aſpicere eam, ſicuti eſt, quantumcunque videamus, arbitremur.

mur. Ipſi oculi eum auolare fecerunt, quia quo ampliùs videtur, eo magis inuiſibilis eſſe cognoſcitur. A nobis vtique auc ,quia quantũcunque ictu mentis apprehẽſus, incomprehenſibiliter ſuper omnem conatum noſtrum ſe exaltat. Oculi mentis quaſi hoc efficiunt, vt auolet, quoniam per hoc tãtillum quod videtur, valde longinquus, & auolans à nobis apparet. Hæc ille. Nónne ſcriptum eſt: Accedit homo ad cor altũ, & exaltabitur Deus? Ad cor altum, ad cor ſecretum accedit homo, vbi diuinitatem ſummi numinis tota ſui intellectus indagine contemplatur: tunc exaltatur Deus, tanquam euolans, eo quod incõprehenſibilis eſt. Vndè Moſi, gloriam Dei cernere cupiẽti, dictum eſt: Nemo videbit me, & viuet: hoc eſt, in carne mortali fieri non poteſt, vt quis, vti ego ſum, me intueatur. Sed & Paulus expertus apertiſſimè docet, cùm ad lucem illam ardentiſſimam vi diuina raptus, quomodo eã viderit, explicare non potuit. Audiuit arcana, verba quæ non licet homini loqui. Enimuerò dum apparuerit Chriſtus vita noſtra, videbimus eum, ſicuti eſt: vt probè Ioannes conteſtatur: Interim cum Pſalmographo concinamus oportet: Oculi mei ſemper ad Dominum, quoniam ipſe euellet de laqueo pedes meos, Et hoc ſatis ſit nobis in hàc lachrymarum valle.

Pſal. 63. *Exo. 33.* *2. Cor. 12.* *Pſal. 24.*

CApilli tui ſicut grex caprarũ, quæ apparuerunt de Galaad: dentes tui ſicut greges ouium, quæ aſcenderunt de lauacro. Hebraicè. *Capillus tuus ſicut gregis caprarũ, quæ pexæ ſunt de Gilhad.*

QVAMVIS capite quarto, quæ nunc dicta ſunt ad commendationem ſponſæ de capillis, dentibus, & *Canti. 4.*

genis,pro modulo noſtro tractauimus:moleſtum nō erit nobis,nonnulla adnotare,& ſi quidam,tanquam iam expoſita ſilentio,verba iſta prætereant.Capillos ſponſę intelligit,ſingulos etiam minimos de Eccleſia:quorum capilli capitis numerati ſunt apud Deum. Ij vel maximè ſponſam ornant,& in oculis ſponſi pulchri ſunt. *Matth.10.* Equidem fœdiſſimi erant,& omnium delictorum ſorde immundi ante fidei cognitionē:nunc verò ſole lucidiores Chriſtū I E S V M confitentes,& cū candido corde amantes. *Nota.* De quibus probè Apoſtolus ait:Eratis aliquādo tenebrę,nūc autem lux in Dño:vt filij lucis ambulate.Hebræi & Gentiles, in ſe tenebræ erant ignorantes I E S V M:vbi autem in eum crediderunt,lux facti fuere in Chriſto: qui lux vera eſt, & illuminat omnem hominē venientem in hunc mūdum. Aſcendunt à monte Galaad,qui mons vſque adeo frugiferus eſt.Nónne Saluator mons pinguis vocatur in pſalmo? Et ſane rectè,quia plenus gratiæ, & veritatis cum teſtatur Ioannes. *Ioan.1.* De cuius plenitudine omnes accepimus gratiā, pro gratia. *Acto.4.* Nec eſt aliud nomen nobis datum ſub cælo,in quo oporteat,nos ſaluos fieri.

D*Entes tui ſicut greges ouium, quæ aſcenderunt de lauacro, omnes gemellis fœtibus,& ſterilis non eſt in eis.* Hebraicè. *Dentes tui greges ouium.*

IN dentibus candorem, & æqualitatē commendat ſpōſus.Oues de lauacro aſcēdentes candidæ & valdè mūdæ videntur. Atqui per dentes eos intelligimus in Eccleſia,qui fortes,& tā fide,quàm charitate robuſti ſunt,Tales eſſe primarios Eccleſiæ oportet, quos potiſſimè ſponſus

deli-

deliniat per gregem ouium, & per gregem aliorum fortium animalium. Quæ omnia eò tendunt, vt prælati, & prædicatores ouibus ſimiles ſint, nedum per dentes, ſed per manſuetudinem, & vtilitatem. Alioqui Saluator noſter non Apoſtolis diceret: Ecce ego mitto vos, ſicut oues in medio lupórum. Et rurſus: In patientia veſtra, poſſidebitis animas veſtras. Equidem vt de Helia dictum eſt: Pater mi, pater mi, currus Iſraël, & auriga eius: ſic de quouis prælato, ſiue principe dicendum, quod onera ſubditorum portat, vti currus, & ſimul auriga eſt, ducens animas in portū ſalutis: bis pater appellatur: & benè merito, vt paſcat duplici pabulo oues ſuas: iuxta illud, quod Dominus Petro dixit: Paſce oues meas. Et iterum: Paſce oues meas. Hoc planè ſubindicat, quod ſequitur. *Matt. 10.* *4. Reg. 2.* *Ioan. 20.*

Omnes gemellis fœtibus, & ſterilis non eſt in eis.

Verùm duplici fœtu ſponſa vel omnis anima fidelis ab ipſo ſponſo Chriſto decoratur vbi ab omni ſcelerum ſorde, per baptiſmum, vel ſinceram exomologeſſim purgata, & lota eſt. Nam ex Spiritu ſancto, vt ſalua fiat, Deum ipſum, & ſubinde proximum quemque ſincere amare debet. Idque niſi faciat, fruſtra ſe lauit. Sanè neceſſum eſt, vt Deum optimum ſupra omnia caſtè, ac ſanctè reuereatur, & colat: proximum verò ceu ſeipſum quis diligat. Ex iis duobus (ait veritatis magiſter) vniuerſa lex pendet & Prophetæ. Quid multis immoror? Niſi quis gemellos hoſce habeat, ſterilis eſt, & proinde maledictus à Domino: vt in lege olim ſancitum erat. Poſſumus inſuper fœtum hunc duplicem bifariam munditiam intelligere, mētis, ſcilicet, & animæ: vt ſponſo noſtro IESV immaculati ſimus, & per omnia candidi. Nempe, qui vtrumque hominem potenti ſua virtute creauit, iure in vtroque puritatis candorem expetit. Empti enim eſtis (ait Apoſtolus) *1. Cori. 6.*

pretio magno: glorificate & portate Deũ in corpore veſtro. Sanè glorificare Deum, interiori homini peculiare eſt: portare verò eum per pœnitentiam, ieiuniis & orationibus vacando, ad corpus etiam attinet, ſenſus omnes ob Chriſti amorem mortificando. Prior autem ſenſus germanior eſt literæ. Sedulò igitur enitendum eſt, vt geminos hos veluti matres lactare poſſimus, Spiritus ſancti auſpicio freti. Væ, & iterũ væ, illis, qui ſanctiſsimos iſtos fœtus ſua pigritia, ſocordiaué amittunt, vel turpiſsimæ vitæ moribus miſerè enecant. Meliùs profectò fuerat illis, ſi in hanc lucem nunquam prodiiſſent: ſic contra ſceleſtiſſimum Iudam Dominus loquutus eſt.

S*Icut cortex mali punici, ſic genæ tuæ, abſq; eo, quod intrinſecus latet.* Hebraicè. *Sicut fruſtrum mali granati tempus tuum, de intra crinem tuum,* vel *velum tuum.* Grecè: *abſq; occultis tuis.*

MALVM granatum externè rubet, & internè granis dulcibus eſt plenũ, ordine miro digeſtis. Per tempus ſponſæ, vel genas Hebraicè habetur raccah, hoc eſt, vacuum carne. Allegoricè ſignat minimam & inané partem filiorum ſponſæ debere eſſe plenos multis meritis, non ſecus quàm malum granatum ſuapte natura mul tis repletur granis. Sanctus Gregorius hoc magnopere nó tat, quod ſuprà ſponſus dixit: ſicut fragmen mali punici genę tuæ: nunc de cortice tantum memoria fit: quo nihil aliud deſignari putat, niſi ſanguinem, qui effundetur ob fidei veritatem tempore Antichriſti: ſub qua vnitate fidei multi Iudæorum ſtringentur, quo iam vnum ſit ouile & vnus paſtor: quemadmodum Saluator mundi

Canti. 4.

ſacro

ſacro ſuo ore teſtatus eſt. Vel per genas caſtitatis flos, & pudicitiæ notatur, vt latiùs aliàs notauimus. Ne ergo ſponſa bonorum operum vacuitate, coram iudice conſtituta, & abſque charitatis oleo lampadem ferens, damnetur (vti de ſtultis virginibus memoriæ proditum eſt) pulchrè malo granato comparatur. Quin potiùs ſimilis per omnia ſponſo ſit vera charitate & interna pulchritudine decorata: ea propter ſubnectit: *abſque eo quod intrinſecus latet.* ſeu *abſque occultis tuis.* Nimirum affectus flammigeri, deſideria ſancta Eccleſiæ, vel animæ fidelis ſoli ſponſo patent: in die autem nouiſſimo omnibus conſpicua erunt. Vndè Angelus virum deſideriorũ vocauit Danielem: dicens: Miſſus ſum ad te, quia vir deſideriorũ es. O nomẽ totis medulis cordis deſiderandum: ô titulum magnum omni affectu amplectẽdum. Nimirum ſanctitatis inſigne hoc eſt: nam de viro iuſto legimus: Beatus vir, qui timet Dominum, in mandatis eius volet nimis. Ni fallor, velle nimis in ſummi numinis mandatis, magna deſideria in corde gerere eſt, quamuis ea operi commendare quis non ſemper & vbique valeat. Planè arca fœderis ne dum foris, ſed intus auro puriſſimo erat deaurata, Domino præcipiente. Ad eandem imaginem, Eccleſia ſiue anima ſancta non tantùm exteriùs pulchra eſt, vti cortex mali punici, ſed intrinſecùs valdè ſpecioſa in oculis ſponſi extat.

Canti. 4.

Danie. 9.

Pſal. 111.

SExaginta ſunt reginæ, & octoginta concubinæ, et adoleſcentularũ non eſt numerus.

POSTQVAM ſponſus tot encomiis extulit ſponſam ſuam vehementer dilectam, & duabus ciuitatibus, videlicet, Thirſæ & Hieruſalem iure eam aſſimilauit: nunc pergit eam laudare de integritate eius, & perfectio-

ctione. Planè animæ,quas dilexit Chriſtus à principio vt ſponſas,& legitimas vxores ac reginas,ex quibus potiſſimè ſynagoga eſt conſtituta, fuerunt ſexaginta numero.

Nota. Et rurſus,nationes,quas Chtiſtus non vt legitimas ſponſas,ſed vt cōcubinas amauit,ſunt octoginta.Per ſexaginta reginas intelligit primum patrem Abrahám,& deinde omnes,qui de ſemore Abrahę proceſſerūt. Quippe qui ſexaginta fuere,& computantur ſic: Abraham & filij eius quos ſuſcepit,ex Chetura ſexdecim: Iſmaël quem genuit ex Agar,& filij eius terdecim: Iſaac quem genuit ex Sara, & filij eius tres: Filij Iacob duodecim: filij Eſau(vt habe-

Parali. 1. tur in Paralipomenō) ſexdecim:ecce ſexaginta.Per octoginta concubinas intelligit Noë,& filios eius,& omnes generationes,quæ à diluuio vſq; ad Abraham,ab ipſo Noë, & filiis eius ortæ ſunt:quorum generationes fuerūt octoginta, quæ non tantum dilectæ à Deo quantum generationes Abrahæ. Vocantur concubinæ methaphoricè à ſcriptura. *Adoleſcentularum non eſt numerus,* Hoc eſt,alia

Nota. rum familiarum,& generationum, quæ non acceſſerunt ad amorem reginarum,neque concubinarum. Et iſtę fuerunt omnes generationes gentium: quæ ortæ ſunt ex ſexdecim prædictis generationibus Eſau,vſque ad aduētum Meſſiæ: ex quo immaturæ viro, non cognouerunt ipſum ſponſum Chriſtum,vſq; ad aduentum eius:in quo quidē aduentu,factæ iam maturæ viro,per maximā earum fidē, & charitatem,meruerunt ipſi ſpōſo Chriſto nubere, & in amore,& dignitate etiā ipſis reginis præferri,& catholicā vniuerſalē Eccleſiam ipſa ſynagoga preſtantiorē,chariorem q; ipſi ſpōſo cōſtituere.Quod ſatis apertè ſpōſus indicat,vbi vnicā,& perfectā ſponſam ſuam ſtatim appellat.

Alia expoſitio. Cæterùm,per ſexaginta reginas,quidam ſignificari arbitrantur eos,qui ante legem, & in lege ipſa ſanctè vixerunt,

runt:quod ij naturæ legem iuſtiſſimè ſeruantes ſenarij numeri, quo quidē omnia à ſummo ipſo Deo rerū omniū conditore patrata conſtant, myſticā perfectionem acceperunt:illi verò decalogo ęquiſſimè parentes, diuinā gratiam acceperunt. Sex enim decies multiplicata ſexaginta reddunt. Per octoginta autē concubinas, illas omnes animas notat, quæ ſine naturæ lege, ac ſcripta, veluti quędam meretriculę, ſine viro legitimo lenocinio dęmonū illectę, omni viciorū iugo turpiſſimè proſtratę, quales Gētiles populi fuere, idolorū cultibus miſerrimè ſeruiebāt, priuſquā Chriſti euāgelio corruſcāte, ad verū, atq; legitimum matrimoniū cęleſtis ſponſi ſanctiſſimè coniungerentur. Per adoleſcentularū infinitum numerum, omnium incipientiū multitudinem Chriſtianæ fidei deſeruire, atq; parere, oportet intelligere: ij veluti teneri adhuc, & paruuli in via Domini, bona voluntate ac vita, in lege Dei quotidie magis, ac magis adoleſcunt.

Præterea, ſanctus Gregorius per ſexaginta reginas, omnes fideles intelligit, qui prudēter corpora ſua regūt, nec non & aliis ſapienter pręſſunt: huiuſmodi animæ reginæ ſunt. De quibus ſanctus Petrus ait: Vos eſtis genus electū, regale ſacerdotiū, gēs ſancta, populus acquiſitionis. Octoginta concubinæ, vt doctor iſte aſſerit, ſunt prędicatores, qui pretextu inanis gloriæ vel quæſtus ſanctū Euangeliū prędicant. Etenim cōcubinæ non ob aliud diligere ſolēt, niſi lucri ratione: benè quidē cōcubinæ tales concionatores appellātur, qui Chriſtū, quem prędicant, nō ſpiritu, ſed carne ſectātur. Vndè Paulus dicebat: Multi ambulāt, quos ſępe dicebam vobis, nunc autem flens dico, inimicos crucis Chriſti, quorū finis interitus, quorum Deus vēter eſt. Et iterum: Huiuſmodi non ſeruiunt Dño IESV, ſed ſuo ventri. Hactenus ſanctus Gregorius.

S. Grego.

1. Petri. 2.

Phili. 3.

Adoleſ.

Adoleſcentulæ, quarum non eſt numerus, animæ, quę per vana mundi gradientes ſunt: ſcriptum eſt: Adoleſcētia & iuuentus vanæ ſunt. Hæ dum caduca mundi ſequūtur, numerum electorum excedunt: dicente Salomone: Stultorum non eſt numerus. Atqui electorum numerus apud Deum certus eſt: dicente Paulo: Nouit Dominus qui ſunt eius. Et Dominus ait: Ego ſcio quos elegerim. Benè ergo adoleſcentularum non eſt numerus, ait Gregorius, quia dum per vanitatem, quam diligunt, in numerū electorum non currunt, extrà remanentes, quaſi in cognitionē diuinam nō veniunt. Quibus ipſa veritas in futuro iudicio dictura eſt. Neſcio vos: diſcedite à me omnes, qui operamini iniquitatem. Sed dum reprobi mundana quærunt, & in multiplices cupiditates animum diuidunt, ſancta anima in numerum electorum ſe ſtringit, multaque uidet faſtidiens: vnum quod non videt, ardenter appetit: quod quandiu non tenet, in fide ſe nutrit, in charitate ſe vnit: & dum id, quod vnum, & idipſum ſequitur, de huiuſmodi multis vna Eccleſia efficitur, & vna columba vocatur.

Ioan. 13.

Nota.

Denique alij reginas, & concubinas, atque adoleſcentulas haſce, incipientes, & proficientes, nec nō perfectos in Eccleſia Chriſti fore intelligunt. Sanè ex iis tribus ordinibus tota Romana Eccleſia conſtat. Itaque incipientes, ſiue pœnitentes perindè atque imperfecti ſunt, in quibus ſatis ad huc viget caro: quemadmodum in adoleſcentulis ſolet caro multum laſciuire, & parum vigere ratio: ij ſanè certantes bellum gerunt contra hoſtes, ſicut Apoſtolus ait: Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem. En bellum inteſtinum, in quo, teſte Auguſtino, continua eſt militia: ſet heu rara victoria. Quādoquidem iſti, ſi quando labuntur, concupiſcentia dominante,

Gala. 5.

nante,ſubindè reſipiſcunt,& fletibus ac lamentis maculas pœnitendo,atque exomologeſsim coram confeſſore faciendo abſtergunt.Quin vt filius prodigus de prętéritis erratis dolentes,miſericordiam ſuppliciter poſtulãt, & obtinent.Ecce adoleſcentulæ fragiles,quarũ numerus non eſt:quę merito hanc ſortiũtur nomenclaturam, eo quod plus ęquo carnales ſunt,& petulãtes tãquam puellę eam ob rem in domo Salomonis Chriſti IESV locũ tenẽt nouiſsimũ.Obſeruandum quòd non ideò dictũ eſt, quod adoleſcentularum non ſit numerus,quia Dñs ignoret electorum ſuorum numerũ,quique capillos ſingulorum aſſerit eſſe numeratos:ſed ad inſinuandũ multitudinis exceſſum Spiritus ſanctus ſic loquitur. Alluſio eſt ad illud,quod Ioannes dixit:Vidi turbã magnam,quã dinumerare nemo poterat. Vbi ſignificatur,longè plures eſſe vocãdos ad Euangelij fidẽ, ex Gẽtibus quã ex Hebræis. *Nota.* *Apoc.7.*

Concubinæ autem illæ ſunt,quæ in dies proficiunt,& nec perfectę,ſunt tyrones in Eccleſia,neq; magiſtri conſumati,ſed quaſi inter vtroſq; medij:itaq; pugnando, eò deuenerunt,Domino patrocinante,vt merito extra ordinem nouiſsimum debeant locari. Nihilominùs non eò profecerunt,vt perfectis æquari poſsint:ideò reginis inferiores computantur, adulеſcentulis verò ſuperiores exiſtunt. Reginæ tandem perfecti viri ſunt,qui excellẽtis meriti exiſtentes,in quibus caro plenè ſubiugata ſpiritui, ſeriò cum Apoſtolo aclamare poſſunt:Abſit mihi gloriari, niſi in cruce Dñi noſtri IESV Chriſti:per quẽ mihi mundus crucifixus eſt,& ego mundo.Et iterum,Viuo iam nõ ego,viuit verò in me Chriſtus.O fœlices viros,qui eò perfectionis veniẽtes,reginæ,& ſpõſę IESV appellari valeãt: ij autem minori numero computantur,quàm concubinę,& adoleſcẽtulę:quoniã perfecti in Eccleſia pauci ſunt, *Gala.6.*

ſi ad imperfectos conferantur: ſunt autē in ſufficienti numero ad Eccleſiæ ornatum, & ſuſtentationem. Et quia tres hi ordines non plures ad vnam familiam Salomonis Chriſti conſtituunt, ſponſus nunc ait.

V*Na eſt columba mea, perfecta mea, vna eſt matri ſuæ, electa genitrici ſuæ.* Hebraicè. *Vna ipſa colūba mea, perfecta mea: electa ipſa genitrici ſuæ.*

PERINDE dicat: Et ſi ſexaginta ſint reginæ, admodum vt legitimæ ſponſæ dilectæ, & octoginta concubinæ, adoleſcentularum quidem numerus nō ſit: nihiloſecius vna eſt regina catholica Romana Eccleſia, quippe quæ ex omnibus perfectis & imperfectis conſtat. Columba nunquam niſi proprio adhęret viro: & ſic Romana Eccleſia nunquam diis alienis, aut improbiſſimis hæreticis conſenſit: imò vtroſq; pro ſua virili prorſus prófligare contendit. Perfectam eā vocat, ideſt, in amore & charitate erga ſuum ſponſum: idq́;, martyrio & ſanguine tot millium martyrum, qui vltronea ſua voluntate, pro Chriſto ſeſe in acerbiſſimos cruciatus, & horrenda ſupplicia & mortem offerentes, ſatis comprobatum eſt. *Vna eſt perfecta mea, vna eſt matri ſuæ, electa genitrici ſuæ.* Hoc eſt, vna eſt catholica vniuerſalis Eccleſia matri ſuæ Hieruſalem, quæ ſurſum eſt eius mater, ex quo ei, vt filia ſucceſſit in ſempiterna ſponſi Chriſti hæreditate, inſuper in primatu, & dignitate. Vnica eſt Eccleſia Romana, quæ quidem eſt mater communis omnium fidelium, & non plures Eccleſiæ: & vnus paſtor totius orbis Chriſtiani Romanus Pontifex. Soli enim Petro Chriſtus IESVS tranſiturus ad patrem commendauit ſuas oues, ſicut Ioannes teſtatur.

Nota. Ioan. 21.

ſtatur. Nec ſemel Saluator de re tam ſeria loquutus eſt, ſed ter oues, quas ſuo cruore ſacro redemit, illi commendauit.

Vna eſt columba mea, perfecta mea. In corpore naturali diuerſa ſunt membra, tamen quæ ſuprema, media, & infima vnum corpus efficitur, vti Apoſtolus optimè arguit: & ſic in corpore myſtico Eccleſiæ, cuius caput nobiliſſimum Chriſtus. Ideò perfecti cum imperfectis per vnum ſpiritum viuificantem, qui ſingulis diuidit, pro vt vult, couniuntur in vnam catholicam Eccleſiam. En ratio quare vna Eccleſia bene merito appellatur. Rurſus: vna columba dicitur, quia canendo gemit, & gimendo canit, diu noctuque cum Propheta dicens: Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam? Et iterum: Heu mihi quia incolatus meus prolongatus eſt. Haſce orationes iaculatorias habeamus aſſiduè oportet, quo in pectore noſtro amoris ignis nunquam tepeſcat, ſed magis ac magis augeatur, & creſcat. Nimirum ciuitatem manentem non habemus, ſed futuram inquirimus. O fœlix mens, quæ vti columba Noë in hoc diluuio, vbi pes requieſcat, haud inuenit. Non in honore mundi, aut diuitiis perituris huius ſeculi, non denique in carnis oblectatione. Talis ad arcam reuerſa, ad Deum creatorem, & redemptorem ſuum cōuerſa, in eo, qui eſt vera pax, tranquillitatem, & pacem inueniet. Vndè ipſe clamat: In mundo preſſuram habebitis, in me autem pacem. O pax, quæ exuperas omnem ſenſum, & omnem intellectum: beatum dixerim eum, qui te potiri valet. Perfectam eam dicit, nam ſua gratia ſponſus ipſe eam mundauit, & omnimodis virtutibus decorauit: quam obrem tam pulchram iam vocarat ſuprà.

Pſal. 54. *Hebr. 13.* *Genes. 8.* *Figura.* *Nota.*

Vna eſt matri ſuæ, electa genitrici ſuæ. Primò quia Hieruſalem

ruſalem terreſtri ſuccesſit, iuxta vaticinium Eſaiæ: De
Eſai. 2. Sion exibit lex, & verbum Domini de Hieruſalem. Ibi Sal
uator obire in cruce voluit, & in Sion Spiritum ſanctum
miſit: vndè Apoſtoli virtute ex alto roborati in vniuerſum orbem euntes, ſanctum Euangelium prædicauerũt, &, Domino opitulante, cuncta idola deſtruxerunt. Vel vnica filia eſt illius Hieruſalem triumphantis, vt iam obiter attigimus. Enimuerò inſtar matris, ſuis ſuffragiis, ac aſsiduis precibus ſemper nutrit, & fouet hanc militantem Eccleſiam, ſolicita de illius profectu, & ſalute. Et quia cæleſtis Hieruſalem vnicam hanc filiam in terris cognoſcit, vnicè eam amat, & amplectitur malignantium, & hæreticorum ecclaſias, quæ Satanæ ſynagogę ſunt, vehementer horret.

Alij per matrem huius columbæ gratiam intelligunt, quippe quæ vt mater vbera ſua propinat fidelibus: quos
S. Grego. dumtaxat alit, ac ſolicitè nutrit. Vndè ſanctus Gregorius inquit: Mater noſtra eſt regeneratrix gratia, quia illos ſolos colligit, qui in ſimplicitate permanent, & ab vnitate non ſcinduntur. Multi quippe fideles, dum in idipſum incendunt, dum vno deſiderio Chriſti ſe inuicem nutriunt, dum habentes cor vnum & animam vnam in charitate ſe vniunt, ex multis membris vnum corpus efficiunt: omneſque in vnitatis ſimplicitate viuentes vna columba exiſtunt. Quæ ſola perfecta & electa genitrici ſuæ dicitur, quia hæc ſola gratia fauente nutritur.
Vna colũba. Obſeruatione dignum eſt, quòd non iam oculis columbarum ſimilis dicitur, ſed vna columba. Columba iudicium eſt Spiritus ſancti. Tota ergo ſpiritualis facta ſponſa, totaque cæleſtis omnia de ſponſo ſpiritali intelligẽtia capit, nihilque carnale, neque periturum, ſed æterna cuncta, atque ſanctiſsima meditatur, & paſcit: ſeque totam

ad ipſius

ad ipſius Spiritus ſancti nutum mouet, verſat,& agit: vt vnà cum ipſo beata ſemper exiſtat,eiuſque ꝓuo ſempiterno fruatur. Talis eſt ſponſa perfecta fide,& charitate Dei & proximi: ob id *mea* bis dicta, vt intelligat ſe non ſatis ſponſo facturam,niſi perfectè Deum, ipſumq; proximū amarit. Tunc verè de ſe audiet,quod ſequitur.

Viderunt eam filiæ Siō, & beatiſſimā prædicauerunt,reginæ & concubinæ laudauerunt eam. Græcè. *Viderunt eam filiæ, & beatificauerunt eam.* Sic in archetypo Hebræo.

VIDERVNT eam,ait,tempus præteritum pro futuro,videbunt,more prophetico: hoc eſt, videbunt Romanam Eccleſiam filiæ Siō,amore Chriſti IESV inebriatam,& beatiſsimam dicent eam. Quod maximè geſtum eſt,in principio naſcētis fidei,quando Petro & Apoſtolo Paulo in vrbe Roma prædicantibus Chriſtum crucifixum,tantus breui admodum credentium Romanorum factus eſt numerus:tantaque proindè ab immaniſsimo imperatore Nerone facta perſequutio, necnon mirabilis ſtrages:ita vt fama Romanorum pro Chriſto occiſorum,increbeſceret per totum orbem. Hinc Paulus: Gratias ago Deo meo per IESVM Chriſtum, quia fides veſtra annunciatur in vniuerſo mundo. Vndè non mirū, ſi meruit apud Chriſtum Dominum Romanorum fides,Petrum ipſum principem Apoſtolorum habere paſtorem:adeò vt per eius cathedram omnes Eccleſiæ mūdi Romam matrem eſſe cognoſcerent:ſicut factum eſt à principio fidei ab omnibus mundi nationibus. In primis à natione Germanorum,qui ſummos Romanos Pontifi-

Nota.

Roma.1.

Vnica columba eſt Eccleſia Romana.

ces, à quibus ad fidem Chriſti vocati, & ad oues eius congregati ſunt, ſemper coluerunt, eis obedientiam præſtantes. Quamuis heu temporibus iis dederint maculam gloriæ ſuæ. Reginæ ſunt qui de ſynagoga in Chriſtum IESVM toto corde crediderunt: cōcubinæ verò, qui ex Gentibus conuerſi ſunt, ex quibus cōgregata eſt vniuerſa Eccleſia. Quod cōpletum eſſe cōſpicimus, à mille & quingētis annis, & eo ampliùs, quibus totus Chriſtianus orbis Romanum Pōtificem, ceu verum paſtorem & Petri ſucceſſorem veneratur, eique paret. Iure beatiſſimam prædicauerunt, quia talem ac tantum ſponſum meruit habere: quem ſanè Cherubim, & Seraphim, omneſque cæli ciues indefeſsè collaudant, inſeruiunt, & aſſiſtunt: iuxta Danielem dicentem: Millia millium miniſtrabant ei, & decies centena millia aſſiſtebant ei. Quid plura? Beatiſsimam iure optimo dicunt omnes filiæ Sion, id eſt, adoleſcentulæ, reginæ, & concubinæ annunciant vniuerſalem Eccleſiā, quam tanti facere Chriſtus filius Dei dignatus eſt. Cui theſaurum ſanguinis ſui, & paſſionis magna merita confidit. Ideò maiores & minores fideles, reginæ, & concubinæ eam exaltent oportet. Imò quo quis maior fuerit dignitate, eo pluris faciat autoritatem Eccleſiæ condecet. Hinc factum eſt, vt nemo illi refragari, aut contradicere præſumeret. Eam ob cauſam ſi quid difficultatis oriretur, ad vniuerſalem Eccleſiam recurrebant. Sic de obſeruandis legalibus quæſtio oborta in concilio Apoſtolorum ſoluta eſt: vbi ex decreto omnium Apoſtolorum ſancitum fuit, non eſſe Gentes ad legalia cogendas. Res mirabilis valdè: Paulus à Chriſto IESV vocatus, & ab illo edoctus, ad fratres Apoſtolos venit, & vltrò contulit cum Petro Euangelium quod prædicabat, ſubmittens ſe Eccleſiæ cenſuræ. Quid multis immoror? Tāti egregius doctor

Danie. 7.

Acto. 15.

Acto. 21.

doctor Auguſtinus Eccleſiam fecit,vt audacter aſſereret: Euangelio non crederem,niſi Eccleſiæ,à qua illud recepi,crederem. Quandoquidem ipſa eſt domus Dei,colũna,& firmamentum veritatis,Apoſtolo teſte. O nos fœlices,qui tantæ matris filij ſumus,ſi tamen per omnia morigeros nos exhibeamus. Alioqui,vę nobis eſt,nam Saluator eos non approbat,qui ſponſæ ſuæ rebelles ſunt. Extat ſententia illa illeſa:Qui vos audit: me audit,& qui vos ſpernit,me ſpernit. *S. Auguſt.* *1.Timo.3.*

Atqui ſanctus Gregorius exprimens hũc locum, filias Sion eſſe dicit alias Eccleſias. Sion filiæ ſunt Eccleſiæ (inquit) quæ dum vitam æternam in hac carne contemplantur, à peregrinante Eccleſia ad regnantem eriguntur. Vident filiæ Sion columbam, & beatiſſimam prædicant, quia ſanctæ animæ dum virtutes Eccleſiæ ſpectant, in laudem prorumpunt, & ad eius fœlicitatem aſpirant. Sancta quippè Eccleſia gratia genitrice nutritur, dum fide eruditur, carne ſui ſponſi paſcitur, ſanguine lauatur, ſacra ſcriptura ſaginatur: huiuſmodi freta nutrimentis, dæmones potenter expugnat, vitia ſuffocat, carnis effrenes motus domat, ſpiritũ roborat, vitam æternam expectat. Hæc omnia quicunque aſpicit, rectè in admirationem aſſurgit, & beatiſſimã pronunciat, quia videt ad quantã gloriam per tot virtutes exurgat. Cum reginis cõcubinæ laudant eã, quia prædicatores, & ſi operibus falſi exiſtunt, ſermonibus tamen vera populis oſtendunt, De quibus ipſa veritas ait: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorũ lõgè eſt à me. Et iterum Apoſtolus: Qui confitentur ſe noſſe Deũ, factis autem negant. Sancti viri cõtrà, dictis & factis cõfitentur Deũ: quia quod credũt, opere adimplent. Hæc beatus Gregorius in Cantica. *S.Grego.* *Euchariſtia.* *Eſai.29.*

Nonnulli filias Sion interpretantur patres antiquos, qui

longiùs hanc futuram ſponſam in Chriſto naſcituram ali quando proſpexere. Idq́ue palàm Saluator fecit, dicens: Amen dico vobis, quia multi reges, & prophetæ deſidera

Matt. 13. uerunt videre, quæ vos videtis: & audire, quæ vos auditis: vbi Dominus tanti boni diuites eos ſubindicat: alludit ad illud: Abraham vidit diem meum, vidit, & gauiſus

Ioan. 8. eſt. O inertiam noſtram inſignem: qui poſtquā filius Dei per viſcera miſericordiæ ſuæ nos viſitauit, oriens ex alto, gratias ei non repēdimus, vt ius eſt, ſed in his perituris mũ di bonis gaudemus, & exultamus. Nempè vt paruuli par ua amplectimur, quæ æterna autem ſunt bona non cogitamus.

QVæ eſt iſta, quæ progreditur, quaſi aurora cōſurgens? pulchra vt luna, electa, vt ſol, terribilis vt caſtrorum acies ordinata. Ita in vtraque tranſlatione. Hebraicè. *Quæ eſt iſta, quæ deſurſum reſpicit ſicut aurora?*

HÆc verba reſpondent ad ea, quæ ſuprà dixerat: Viderunt eam filiæ Sion, & beatiſsimam prædicauerunt: & ob magnam admirationem, & ſtuporem gloriæ matris earum dixerunt: *Quæ eſt iſta, &c.* Quibus verbis Ec

Eccleſia. cleſia Romana tribus magnis luminaribus aſsimilatur, auroræ, lunæ, & ſoli. Sanè vti aurora, quæ in matutino, nō magnum, luculentiſsimum tamen, ac lucidiſsimum, & ab omnibus nubeculis expeditiſsimum dat lumen: ita vniuerſalis Eccleſia in principio tunc primum lucere nō maximum, ac ſatis clarum præſtabat mundo fidei lumē:

Rom. 1. ita vt Apoſtolus gratias ageret Deo, quòd fides eorum annunciaretur in vniuerſo mundo. Subindè lumini lunæ com-

næ comparatur:vbi ſignificatur incremẽtum,quod mox accepit Eccleſia,Domino patrocinante,& quæ vt aurora primo elucebat,poſteà propagata in omnem terram, cepit lucere vt luna,non tamen ceu ſol. Et rectè comparatur Eccleſia ipſi lunæ,in ſuo ſtatu,longè lateque propagato. Quia ſicut luna propter aliquod interpoſitum impedimentum,non illuminata à ſole obſcuratur:ſic Eccleſia ſæpè per impedimenta peccatorum non illuminata à Chriſto,manet obſcura.Item,ſicut luna ſępe obducta nubeculis,non dare poteſt lumen ſuum:ita & Eccleſia ſæpe hæreticorum nubeculis, quodammodo obſcura apparet. Rurſus,ſicut luna ſingulis menſibus deficiendo innouatur:ſic Eccleſia ſancta ſæpenumero ab hæreticis perſecuta,poſteà inſtauratur.Denique aſſimilatur ſoli, qui maximam lucem præſtat, ad ſignificandum ſtatum Eccleſiæ vltimum:tunc ſuperatis tyrannorum & hæreticorum perſequutionibus lucebit per totum orbem,nõ ampliùs vt luminare minùs,videlicet ſicut luna,ſed vti luminare maius,quod eſt ſol : tunc ſanè Dominus inquit:Fiet vnum ouile, & vnus paſtor. Nota.

Quæ eſt iſta,quæ progreditur quaſi aurora conſurgens? Vox planè laudis,& quaſi admirarionis eſt,præ nimia excellẽtia dignitatis Eccleſiæ.Mirãtur Iſraëlitæ denuò conuerſi ad Chriſtum,videntes ſic inſigniter lucere Eccleſiã, poſt Spiritus ſancti aduentum,qui corda diſcipulorum gratia ſua repleuit. Vident Petro prædicante, nũc tria millia hominum baptizari,nũc quinque millia: ideò ſtupet ſynagoga,proſpiciens ſanctã Eccleſiã lætos ſui luminis radios longè lateq; diffundere.Mirabile dictu: vti aurora creſcebat,& paulatim augebatur,nec non vſq; ad conſumatio nem ſeculi ſponſus eius magiſter eſt, qui eam docere nõ deſinit, iuxta promiſſum ipſius: Vobiſcũ enim ſum vſq;

ad conſummationē ſeculi. Iuſtè ergo vt aurora Eccleſia lucet,quæ nimirum indeſinenter proficit. Rurſus,vti luna pulchra dicitur,eo quod prædicatione euangelicæ verita
Pſal.31. tis ſplēdet, nitetq́;. Eloquia Domini caſta ſunt,& inſtar argenti igne examinata. Item,luna haud à ſeipſa ,ſed à ſole totum lumen ſuum ſortitur : ſic Eccleſia lumen fidei & ſcientiæ à ſponſo ſuo Chriſto habet. Vndè Paulus: Qui dixit de tenebris lumen ſplendeſcere, ipſe illuxit in cordibus noſtris,ad illuminationem ſcientiæ claritatis, in facie IESV Chriſti. Quid plura? vt luna ſponſa lucet, quia in ſpeculo & in ænigmate nunc videt, tempore autem præ-
I.Cor.13. ſtituto,videbit ſponſum facie ad faciem. Tunc cùm peruenerit,quod perfectum eſt,ideſt,beata viſio , euacuabitur,quod ex parte eſt:hoc eſt,fides ceſſabit. Nec quis excandeſcat,aut ſtupeſcat,videns Eccleſiam,nunc creſcere, nunc verò decreſcere, nam luna neutiquam ſemper plena eſt,quin & ſingulis menſibus mutatur. Verùm ſi ſancta Eccleſia apud Germaniam & Angliam eclypſim paſſa eſt,apud Indos mirabiliter lucet , lucebitque magis in
Pſal.18. dies,Chriſto IESV patrocinante. Denique electa vt ſol eſt:nam vti ſol hac & illac radios ſuos mittit,ita vt non ſit qui ſe abſcondat à calore eius : ad eandem imaginem Eccleſia per prædicationem ſuam ad omnes mundi partes lumen ſuum effundit,cupiens pro ſua virili omnes homines ſui luminis participes facere:ſicuti ſponſus eius, omnes,vult,ad veritatis agnitionem peruenire,ne pereant.
Atqui ſi altiùs hæc indagare velimus. Triplicem ſtatū
Nota. Eccleſiæ pulchrè verbis hiſce depingitur : quando quidem ſub lege naturæ, velut aurora Eccleſia luxit : in lege ſcripta,lunę rectè comparatur:in lege verò gratię,ſoli ſplē
Pſal.18. denti aſſimilatur. In omnem terram exiuit ſonus eorum , & in fines orbis terræ verba eorum: Vt optimè ex

Dauide

Dauide narrat Apoſtolus. Vel ſi malumus, ante aduentum Chriſti fulſit, vt aurora: poſt aduentum illius fœlicem reſplenduit, vt luna: fulgebit ſicut ſol, quando Chriſtus vita noſtra apparuerit in extremo iudicio. Etenim in ſtatu futuro lux eius indeficiens erit, nam ſolis lux viciſſitudinem neſcit. Fulgebunt iuſti ſicut ſol, in regno patris eorum, ait Saluator noſter. Hinc per bellè ſanctus Gregorius inquit.

Benè vt ſol electa Eccleſia dicitur, quia ad eandem gloriam perducitur, ad quam caput eius Chriſtus, qui ſol iuſtitiæ eſſe perhibetur: ipſo teſtante: Ego ſum lux mundi. Vndè verba illius ea ſunt: Volo pater, vt vbi ego ſum, ibi ſit & miniſter meus. Sponſa vt luna fulget, quia in nocte vitiorum ambulantibus illuminat: electa eſt vt ſol, quia dum magis creſcit de die in diem per conſuetudinis opera, lumen iuſtitiæ tam perfectè accipit, vt etiam exempla imitationis præbeat, quæ priùs peccatoribus imitanda non apparebat. Profectò iam luna ſol efficitur, & iter agentibus in die præſtat. S. Gregor. Ioan. 12.

Ad eundem modum vnaquæq; anima in via Dñi proficit: vti aurora primò refulget, vbi Ægyptum relinquit, & palpabiles viciorũ tenebras deſerens ad Chriſtũ ſe vertit: & cũ Eſaia canit: De nocte diluculo ſurgit ſpiritus meus ad te Deus meus. Sic dum Dñs occideret Hebræos, mane veniebant ad eũ, teſte Dauide. Deinde, mẽs gratia ſummi numinis creſcẽs, vt luna fulget, gratias referẽs Saluatori, à quo virtutis fulgorem recepit. Dirupiſti vincula mea (ait) tibi ſacrificabo hoſtiam laudis. Tertiò denique ceu ſol refulgens, perfectionis metam attingit, ita vt ei nihil deſit: Hoc laudis Apoſtolus dedit Corinthis. Nunc ſequitur: Eſai. 26.

Terribilis vt caſtrorum acies ordinata.

Sancta Eccleſia ſub vno militans vexillo crucis, vnoq;

duce ac paſtore Romano Pontifice,& inimicis terribilis & formidoloſa eſt,ſicut caſtrorum acies vexillatæ,atque ordinatæ.Et eſt accommoda comparatio:nã ſicut acies non vincunt,quæ diuiſſi ſunt inter ſe,& nõ vnum ſequũtur vexillum,vnumq́; imperatorẽ:ita catholica vniuerſalis Eccleſia non vincit viſibiles & inuiſibiles hoſtes,quos habet infenſos,niſi ſub vno vexillo mirifico crucis,vnoq́;

Hæretici. paſtore ſummo Romano Põtifice certauerit.Vndè palã eſt noſtræ tempeſtatis prauitas hæreticorum; quippe qui ipſas acies Chriſti ordinatas,atque ſucceſſores Petri temerè contemnũt:nempè ſcripturas ignorantes,& carnis ſuæ prauos affectus ſectantes,duces cæcorum ſunt,& vehẽmẽter cæci,Sic eos depingit paſtor bonus Chriſtus.

Ad hæc,quis non ſtupeſceret,& timore magno correptus miraretur aciem hanc ordinatam intuẽs,cuius dux potens Chriſtus eſt? tam noua tamque inaudita prodigia,quæ Apoſtoli virtute Dei operabantur,videbant tùm

Act.4. Hebræi,tùm Gentes,& illis inſpectis populi certatim ad fidem Chriſti IESV currebant.Equidem videre naturã claudos ſtatim ſuis pedibus rectè ambulare, cæcis natis videndi aciem reſtitutum iri,mortuos ad vitam reuocari,vmbra Petri infirmos languẽtes,ſanari,& alia id genus humanis viribus nunquam conceſſa vnico verbo quàm celerrimè effici,non modo homines,verùm etiam feras ac ſaxa in mentis ſtuporem excitare potuiſſet. Stupebant ergo nec abs re tanta rerum miracula vidẽtes omnes populi,nulla humani ingenij ratione, nullis Philoſophorũ argumentis,ſed ſola fidei virtute facta. Obſeruãdum autem hìc eſt,quòd ſi nos aciei ordinatæ ſimiles eſſe volumus,oportet,vt pacem & concordiam alterutrum habeamus.Pacem habete,clamat Apoſtolus, & Deus pacis &

2.Cori.13. dilectionis erit vobiſcum. Ordinatè incedamus decet,

manda-

mandata Dei obnixè cuſtodientes. Vndè Saluator ait: Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. Verùm gratia Dei Apoſtolus erat quod erat: veruntamen ſtatim ſubnectit: Et gratia eius in me vacua non fuit. Collaborauit quidem & pluſquàm cæteri inſudauit. Sumus planè cooperatores Deo. Vt ergo dęmon, mundus, & caro iacturam nobis non inferāt, nec quicquam incommodi aduerſus nos moliri valeāt, ordinatè incedendum eſt, pace & concordia obſeruatis, mandatiſque Dei opere completis. Tunc, ni fallor, terribiles erimus, ac formidabiles, tùm dęmoni, tùm mundo, tùm denique carni fallaci, quippe quæ concupiſcit aduerſus ſpiritum, & contra eum certat, vt alter Eſau aduerſum Iacob, & Iſmaël olim pugnabat contra Iſaac. *Matth. 19.* *Gene. 32.*

DEſcendi in hortum nucum, vt viderem poma conuallīū, & inſpicerem ſi floruiſſent vineæ, & germinaſſent mala punicá.

VERBA ſunt Chriſti ſponſi, & reſpondent ad id, quod dixerat: Veni in hortum meum ſoror mea ſponſa, collegi myrrham cum aromatibus meis: ita nunc inquit: *Deſcendi in hortum nucum*, vel *nucis*. Dicit, *deſcendi*, prętcrito pro futuro, ideſt deſcendam in hortum nucū. Vbi populum Iſraëliticum appellat hortum metaphorice. Ratio, quia ſicut in horto arbores ad fructificandum plantantur, ſic & nos plantati ſumus in domo Domini, quæ eſt Eccleſia ad fructus operum bonorum gignēdos. Hac ipſa metaphora vtitur dicens: Omnis arbor bona bonos fructus facit. Et iterum: Omnis arbor, quæ non facit fructum, excidetur, & in ignem mittetur. Eleganter ac ſatis commodè vocat hortum nucis, non alteriùs arboris, *Mat. 7.*

eo quod fructus nucis valde ſimilem cum fructu Eccleſię,& cuiuſlibet animæ habet naturam. Verùm vti fructus nucis mira quadam arte reconditus intrà per durum corticem non ſe oſtentat,& ſtatim ſe omnibus offert, vt fructus cæterarum arborum:ad eũdem modum, vniuſcuiuſque fidelis meritum non patẽs, & in propatulo eſt, ſed abſconditum ſoli Deo notum:quique videt in abſcõdito,& reddet vnicuique iuxta opera ſua. Quid quod in nuce medulla latet, quæ adeò tenuis, & dulcis eſt: ſic omnis gloria regis abintus, quamuis in fimbriis aureis, actiua vita externè appareat.

Synagoga. Per hortum vetus ſynagoga congruè intelligitur. Nuces fructus ſunt valde duri:ex quibus multo labore opus eſt ante quàm aliquid dulcedinis quis capere valeat. Ita geſtum eſt Apoſtolis prædicãtibus fidem Chriſti IESV, faciliùs Gentes ad fidei veritatem conuolarunt, quàm Iu- *Acto.7.* dæi: ad quos beatus Stephanus:Dura ceruice, & incircũciſis cordibus, vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis, ſicut patres veſtri. Quin & Dominus inuehitur cõtra hunc po- *Exo.32.* pulum,& ait:Cerno quod populus iſte durę ceruicis eſt. O gentem ceruicoſam,quam vix Patriarchæ & Prophetæ allicere potuerunt,vt ſuauitatis fructus gigneraret, & Deo optimo relictis idolis ſeruiret. Conqueritur Dñs & *Eſai.1.* clamat:Laboraui ſuſtinens,laborare me feciſtis in peccatis veſtris. Sed iam ad nos hęc ſe vertat oratio:Si Iudęi durę ceruicis appellantur,qui prophetis obedire renuerũt: quod iudicium nos fideles expectat, ſi Dño prophetarũ Chriſto IESV filio æterni patris obaudire nolluerimus? Obſecro vos fratres, ſi hodie vocem eius audieritis, no- *Pſal.94.* lite obdurare corda veſtra. Sed ſubindè operam detis, vt reſipiſcentes, pœnitentiam agatis vltrò. Deſcẽdit iam *Nota.* ſponſus in hortum nucum, vbi carnem noſtram induit,

&ex

& ex alma virgine natus prodiit: inuiſit nos, qui tantopere ſalutem noſtram dilexit, vt in ligno crucis obire dignaretur. Deſcendit inquam in hortum nucum, qui omnium curam gerit, & omnes ſaluari vehementer cupit.

Vt videret poma conuallium, & inſpiceret ſi floruiſſet vinea. Deſcendit quotidie, ſi fortè inter nos, tumore ſuperbię relicto, in humilitate fidei pulcherrimos fructus vellimus proferre. Nónne poma molles fructus ſunt? Eam ob rem in eis, qui corde humiles ſunt naſcuntur. Valles ſuapte natura humoris copia abundant: montes verò non ita. Vinea, quæ florere debet, & fructus dulces germinare, ea eſt, de qua Eſaias ait: Vinea Domini domus Iſraël eſt. Vos autem ſummopere cauete, ne vti illa, labruſcas ſiue ſpinas proferatis. Spina vtique cruentat, & vulnerat: vndè benè peccatum ſpina cruentans dicitur. Conuerſus ſum in erumna mea (ait Dauid) dum configitur ſpina. Cæterùm floret anima, dum fide ſincera credit: fructus germinat, quandocunque opera pietatis exercet. Sine fide, impoſſibile eſt, placere Deo. Mala punica germinare, non eſt aliud, quã Dei & proximi dilectionẽ habere. Sunt malogranata ignei coloris: ignis verò charitatẽ adumbrat: hinc Saluator inquit: Ignem veni mittere in terrã. Imò in cocco bis tincto, quo ſacerdos olim cooperiebatur, dilectio Dei & proximi figurabatur. Vel mala punica Martyres ſunt in Eccleſia, qui proprio ſanguine rubricati palmam martyrij adepti ſunt. *Eſai. 5.* *Luce. 12.*

Alij hortum nucis legem eſſe dicunt: quippe quæ inſtar nucis externè amara videbatur. Nam legalia & cerémonialia illa grauedinem præ ſe ferebant. Eam ob cauſam Petrus iugum graue eam appellat, priſcis patribus ferè importabilem. Nihiloſeciùs ſub duro cortice & amaro Euangelium latebat. Vndè ſcriptum eſt: Huic *Acto. 10.*

omnes

omnes prophetæ teſtimonium perhibent. En lex vetus Chriſto grauida erat: Hebræi autem ob ſua facinora & arrogantiam errauerunt ab vtero, id eſt, à lege, & loquuti ſunt falſa. Hinc Iudæis obſtinatiſsimis ita clauſus eſt ipſe ſalutaris nucleus redemptionis noſtræ, vt non modò miſerè hallucinentur in ipſa carnali lege, quam falſò interpretantur, velum enim adhuc poſitum eſt in cordibus eorum, verùm etiam lethali eius vmbra quotidie ad mortem ducuntur ęternam. Omnia contingebant illis in figura & vmbra, priuſquam cæleſtis ille ſponſus è virginali vtero proceſsiſſet in orbem. Quæ omnia iam palàm apparēt cunctis volentibus ſcire veritatē. Nox enim preceſſit, dies
Roma.13. autem appropinquauit, vt pulchrè teſtatur Paulus. O mirabilem Dei bonitatem: non ſat ei viſum eſt, tot reges & prophetas, doctrina & virtutum candore præditos, miſiſſe, niſi ipſe veniret ad hortum nucum, videretq́; ſi floruiſſet vinea. Væ illis, qui extra vineam proiicientes hæredem in cruce occiderunt, & væ orthodoxis, qui perperam agētes, in ſemetipſis quotidiè Dominum gloriæ crucifigunt.

Beatus Gregorius per nuces intelligit perfectos in Ec-
S.Grego. cleſia: qui dum diuinam ſapientiam intra corpora ſua retinent, quaſi nucleum in fragili teſta portant. Sūt itaque quam plurimi in Eccleſia, quorum conuerſatio in cælis eſt, dulcedinem magnam in corde ſentientes, quos homines vilipendunt. De quibus Apoſtolus ait: Habemus
Pſal.30. theſaurum iſtum in vaſis fictilibus. Et in Pſalmo: Quam magna eſt multitudo dulcedinis tuæ, quam abſcondiſti timentibus te! Corda igitur ſuorum viſitat Dominus frequenter, vt actiones ſanctas inſpiciat. Etenim vti hortulanus hortum ſuum ſæpe viſitat, vt arborum poma videat:
Collatio. ſic Chriſtus Saluator noſter tùm Eccleſiam ſuam, tùm mentem piam inuiſere dignatur. Atqui, vt vt humilium

ama-

amator Chriſtus eſt, ideò nõ montis ſed conuallis poma videre cupit. Super quem requieſcet ſpiritus meus, niſi ſuper humilẽ, & quietum, & trementẽ verba mea? Et in Pſalmo habetur: Excelſus Dñs, & humilia reſpicit, & alta à lõgè cognoſcit. Vineæ florentes filij recenter credẽtes ſunt: mala punica perfecti vocantur, qui exẽplis ſuis proximos ædificant, & alios ad eadẽ opera patrãda excitãt. Vndè dicebat Apoſtolus: Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti. Itaque, ſicut flores rectè dicuntur, qui denuò ad fidem veniunt, ita mala punica perfecti in ſancta Eccleſia probè appellantur. *Pſal. 112.*

NEſciui, anima mea conturbauit me, propter quadrigas Aminadab. Hebraicè. *Non noui, anima mea poſuit me quadrigas populi principis.*

SPONSVS dixit, ſe deſcendiſſe in hortum, ideſt, in domum Iſraël ad inſpiciendũ fructus eius: nunc autem reſpondet ſponſa: *Neſciui*, ſcilicet, te ſponſum deſcendiſſe ad me in hortũ. Hûc expectat, quod Saluator Hieroſolymã adiens dixit: Quia ſi cognouiſſes & tu, &c. Et addit: Non relinquent in te lapidẽ ſuper lapidem, eo quod non cognoueris tẽpus viſitationis tuæ. *Anima mea conturbauit me, propter quadrigas Aminadab.* Vbi notandũ, quod Græcè habetur: *Anima mea poſuit me quadrigas Aminadab.* Hebraicè: *Anima mea poſuit me quadrigas populi principis.* Haminadab duæ dictiones Hebraicę ſunt, quas vnum nomen alicuius hominis eſſe, quidam putauerunt. Sẽſus eſt: Anima mea iniqua, & peruerſa voluntas mea poſuit me quadrigas populi principis: hoc eſt, ipſarum gẽtium. Nempè quia ſuum ſponſum ſynagoga non nouit: negan- *Matt. 13.* *Nota.*

do eum,& occidendo,poſuit ſeipſam quadrigas,& ſellã, ideſt,ſubditam populi principis Romani, ipſa dicente, magno ſuo malo: Non habemus regem, niſi Cæſarem: idque Domino opitulante geſtum eſt, vbi Titus & Veſpaſianus ciuitatem inclytam circũeuntes, tandem eam prorſus demoliti ſunt, iuxta prophetiam Saluatoris noſtri Chriſti IESV. Itaque ſeipſam redarguens ſynagoga
Pſal. 35. ait,iuxta prophetæ vaticinium: Nolui intelligere,vt be-
1.Tim.1. ne agerem,obediendo Euangelio.Et Apoſtolus ait:Miſericordiam conſequutus ſum, quoniam ignorans feci in incredulitate. Hæc ſanè ignorantia potiſſima cauſa fuit turbationis,quam iuſtè patiebatur. Vndè inquit: *Anima mea conturbauit me,&c.* Planè affectus prauus ordinem peruertit,& mentẽ penitus turbat. Imò iuuenes idoneos dixit Philoſophus,qui doctrinam moralẽ audirent, co quod perturbationes ſequantur.

Si autem *Aminadab* nomen ſit patris Naaſon, vt quidã aiunt,tunc ſenſus erit: Hanc ob cauſam non credidi Euangelio, quia conſiderans tot currus & quadrigas priſcorũ patrum,qui tot reges ſuperarũt,vt terrã ſanctam poſſiderent,in faſtũ ſuperbię eleuata,nolui Chriſto in humilitate nouam legẽ nuncianti auditum præbere.Sãctus
S.Grego. Gregorius, *Aminadab* populum ſpontaneum ſignificari aſſerit.Ideò ait.*Neſciui,anima mea cõturbauit me,&c*,ideſt: Tot virtutes in ſancta Eccleſia fieri vidẽs, quare in tanto tẽpore non percepi? quare incredula perſtiti? cur tã diu per infidelitatem meam in tenebris ignorantiæ remanſi? Sed propter quadrigas Aminadab cõturbatur, quia quãdoq; per prędicationem Chriſti ad fidẽ ſuſcipiendã excitatur. Aminadab ſpontaneus populus interpretatur. Et benè proculdubio Chriſtus ille à patre ſpontaneus populus dicitur:quia cum ſpontanea charitate ad populũ ſal-

uan-

uandũ deſcendit,& vt nos à morte eleuaret,pia volunta-
te,& benigna gratia mortẽ in cruce ſuſcepit. Vndè benè
ad patrẽ ait: Volũtariè ſacrificabo tibi. Et rurſus: Nõ mea *Matth.26.*
volũtas,ſed tua fiat. Propter quadrigas Aminadab ergo
ſynagoga conturbatur,quia quãdo quatuor Chriſti euã
gelia in mũdo currẽtia in cordibus hominũ per fidẽ con
tẽplatur,mox in tenebris ſuæ infidelitatis cõfunditur, &
ab orta confuſione ſalubri ad pœnitentiam cõmouetur.

R*Euertere, reuertere Sullamitis, reuertere, reuertere, vt intueamur te.*

VOX Eccleſiæ ad ſynagogã inſonat, vehementer
cupiens,eã ad Chriſtum venire,eiq́; corde ſincero
credere. Aduertendum,quòd non Sunamitis, ſed Sulla-
mitis dicẽdum eſt: nam Græcè & Hebraicè ſic ſcribitur:
imperitia autem ſcriptorũ litera. L. mutata eſt in. N. Inter
pretatur pacifica : nam deducitur à Salem ciuitate me-
tropoli Iſraël. Salem verò pax interpretatur. Enimuero
quod in pſalmo legimus: Factus eſt in pace locus eius, in *Pſal.76.*
Hebręo ſic habetur: Factus eſt in Salem locus eius. Atqui
Salem illa metropolis in regno Iſraël, noſtram ciuitatem
Romam adumbrabat: quippe quæ omnium Eccleſiarũ
caput eſt,& catholica, id eſt, vniuerſalis in toto orbe vo-
catur. De qua Dominus ad Petrum: Super hanc petram *Matth.16.*
ædificabo Eccleſiam meam. Hinc palàm eſt, quàm fal-
ſò hæretici comminiſcuntur,& confingunt, tot eſſe Ec-
cleſias,quot oppida,& ciuitates in mundo : tot etiam fo-
rè ſummos Pontifices,quot ſacerdotes. Verùm vna eſt
principalis Romana Eccleſia, vnuſq́ue precipuus atque
ſummus Pontifex,beati Petri vices habens. Alioqui non
tantopere Saluator noſter ſoli Petro claues ſpopõdiſſet, *Ioan.21.*

Ioan.21. & cæteris Apoſtolis præſentibus tàm obnixè eidem oues ſuas commendaſſet. Veruntamen illorum commenta relinquamus, quibus cōminatio illa ſtupenda inſtat: Si quis Apoca.22. appoſuerit ad hęc, apponet Deus ſuper eū plagas ſcriptas in libro hoc: Et ſi quis diminuerit de verbis libri Prophetię huius, auferet Deus partē eius de libro vitæ. Hactenus vndè Sullamitis dicatur, & quomodo pacifica, vel pacē habens interpretatur vidimus.

Quorſum verò quater repetatur, *reuertere* indagare lubet. Nēpè quia in captiuitate vltima, quā in vltionem ſui ſceleris patiuntur, quod nimirū Meſsiā verū crucifigendo patrarūt, per quatuor mūdi partes diuiſi ſunt Iudęi. Hoc Dn̄s eis prædixit, vt pœnitentiam agentes conuerterētur: Luce.21. Erit preſſura magna, & ira populo huic: & cadent in ore gladij, & captiui in omnes gentes. Ad reuocandū ergo à captiuitate hac miſerāda ad vnitatē catholicę fidei, quater clamat ſancta Eccleſia dicēs: *reuertere*. Equidē Euāgeliū ante ſeculi cōſumationē, in toto orbe, ſicuti Chriſtus IESVS præmonuit, & vbi intrauerit plenitudo Gentiū, Iudęi ex omnibus mundi partibus cōgregabuntur ad vnitatē Eccleſię: adiicienturq́; quotquot prædeſtinati ſunt ad vitā in credentiū numerum. Adidit ſtatim cauſam vocationis, *Vt intueamur te*. Alludit illi ſententię: Conuertimini Ezec.18. ad me, & ego conuertar ad vos. Et iterū: In quacunq; hora ingemuerit peccator, omniū iniquitatū, quas operatus eſt, nō recordabor ampliùs. Si verò quis legat nō quater, ſed ter, *reuertere*, vt in originali Gręco extat, poterit benè accōmodari ad fidē ſanctę Trinitatis: perindè atq; illud: Veni de Libano ſpōſa, veni de Libano, veni & coronaberis. Nihilominus prima expoſitio magis conſonat literæ. S.Grego. Beatus Gregorius ſuper Cantica Sullamitem, ideſt, captiuam ſignificari aſſerit. Vndè inquit: Sullamitis,

captiua

captiua interpretatur. Hæc, vt reuertatur, vocatur, quia ſynagogæ in fine mūdi fides ab Eccleſia affertur, vt dignitatē priſtinam accipiat, quæ ſub infidelitatis iugo à dæmonibus captiuatur. Et rectè quater vt reuertatur dicitur, quo Iudæi per quatuor mundi partes diſperſi, ad agnitionem fidei ſanctæ currant. Par eſt, vt ſynagoga conuerſa omnibus oſtendat, quantum malum fecit, Chriſtum verum Meſsiam crucifigendo. Sed protinus dum Eccleſia fidem ſynagogæ intueri appetit, ſponſus congratulando quaſi interrogans, reſpondet, & dicit.

CAPVT SEPTIMVM
CANTICORVM.

Quid videtis in Sullamite, niſi choros caſtrorum? Græcè ſic: *Quid videbitis in Sullamitide quæ vadit, vt herba caſtrorum?* Hebraicè: *Quid videbitis in haſſulamnith, ſicut choros caſtrorum?*

HÆC profectò, ad baptiſmatis ſacramentum pertinere arbitror, quæ de Sullamitide narrantur. Nam quod vti caſtrorum chori venire dicitur, vel incedere, ad ſanctorum multitudinem, & electorum numerum referri credimus. Quiquidem vti Dei Angeli ad fidem Chriſti IESV per Euangelium ve-

Gen.ſ.32. ritatis illuminati perueniũt ad baptiſma. Hinc Iacob Angelis occurrens exclamauit: Caſtra Dei ſunt hæc. Eſt ergo verbum iſtud commendaticium ſponſæ Sullamitis, vel Sullamitidis, ſub conditione tamen, ſi iuxta vocantis inuitationem reuertatur ad ſuum virum priorem. Dicatque toto corde: Reuertar ad virum meum priorem, quia Oſee.2. meliùs erat mihi tunc, quàm nunc. Perindè dicat ſpõſus: ſi velit mihi vocanti acquieſcere iſta Sullamitis, & ab errore ſuæ cæcitatis ad me reuerti, quanquam diſperſa eſt in gentibus, & deſpectui habetur, quaſi errans, & vagabũda, iterum coadunabitur, & in vnitate Eccleſiæ catholicę congregabitur: & tunc fiet aſpectu pulchra, & hoſtibus ſuis formidabilis, ac ſi eſſet chorus, vel exercitus caſtrorum, in magna vnitate & cõcordia ſpiritali pulchrè diſpoſita. Potuiſſemus in plurali numero legere, ſicut in Græca & Hebraica editione habetur: ita vt ſponſus generaliter ad ſuos comites dicat: Quid videbitis in Sullamite, niſi choros caſtrorum? Mirabile eſt, quòd chori ad Nota. triumphum & delicias pertinent, caſtra verò ad laborem & pugnam attinent. Et ſic videtur, quòd duo contraria hîc iũgantur. Planè, qui ad veritatem conuertuntur, errore ſuo ſpreto, poſt conuerſionem, quaſi chori iubilantes apparent, & ceu caſtra ſimul videntur: nimirum vt chori ouãtes, cum Regali citharedo decantant: Incõ-Pſal.125. uertendo Dominus captiuitatem Sion, facti ſumus ſicut conſolati: tunc repletum eſt gaudium noſtrum, & lingua noſtra exultatione. Cæterùm caſtra ſint oportet, certo ſcientes, quoniam militia eſt vita hominis ſuper ter-Iob.7. ram, teſte Iob. Ideò ſatanas vt leo rugit, diu noctuque circuens, & quærens quem deuoret. Quam ob cauſam nos vigilare, & orare, indeffeſsè decet, quemadmodum pro-1.Grego. bè Petrus fideles omneis hortatur. Huc pertinet, quod di

uus

uus Gregorius ait: Caſtra quippe militantium ſunt. Caſtra ergo in Sullamite videbuntur, quia pro fide, quã modo impugnat contra infideles robuſtè, aliàs contra perfidos præliabitur. Sed quia hoc per ſanctam Eccleſiam fiet, vt ſynagoga conuertatur, quia ſermonibus & exortationibus prædicatorum tandẽ reuertetur ad fidem: ideò iuſtè ad laudem ſponſæ ſponſus ſe conuertit, dicens.

Q*Vàm pulchri ſunt greſſus tui in calciamẽtis filia principis!* Sic ferè in omnibus tribus linguis.

FILIAM principis vocat ſynagogam conuerſam ad fidẽ Meſſiæ totius mundi redemptoris: quia filia fuit magni principis, putà Abrahę. Senſus eſt: ô quàm pulchri fuerunt greſſus tui hactenus in calciamẽtis! id eſt, pedes tui calciamentis fuerunt accincti ad ambulãdum, & iter agendum, & ſi laborioſum propter me. Et filiã principis eã appellat, vt ingenuitatẽ ſuam agnoſcens in virtutibus creſcat. Virtus ſiquidẽ (vt vulgo dicitur) laudata creſcit. Quod autem Abrahã princeps vocetur, ſacra conteſtatur ſcriptura. Filij Geth dixerunt ei: audi nos Domine, princeps Dei es apud nos, in electis ſepulchris noſtris ſepeli mortuum tuum. Mirabile dictu, non ſat fuit ſponſo capite quarto laudare ſponſæ pulchritudinem, vbi dixit: Quam pulchra es amica mea! oculi tui columbarũ &c. niſi eã laudet de infimis membris: quo oſtendat in Eccleſia nullã eſſe maculã, ſed totam eſſe decoram, ex quacũque parte ſpectetur. Itaq; à pedibus exorſus ait: *Quàm pulchri ſunt greſſus tui!* Nẽpe filiã principis iure eam vocat, vt nũc attigimus, quia filia Abrahæ. Sed altiùs repetentes hunc titulum, rectè filia principis Eccleſia vocatur, quia

Gen. 23.

Canti. 4.

Apoc.3. per adoptionē filia Chriſti efficitur in baptiſmo. Et ideò Rex regum, & Dominus dominantium in Apocalypſi Chriſtus vocatur: imò in pſalmo regina benè merito nūcupatur, quippe quæ à dextris ſponſi ſui aſtat. Cæterum calciamenta vel legis præcepta ſunt, vel patrum antiquorum egregia exēpla. Hiſce calciamētis affectiones, quæ, ni fallor, pedes animæ ſunt, tùm à luto peccati, tùm etiã à ſpinis, quibus mundus plenus eſt, defenduntur. Cùm ergo Eccleſia iter ſuum agat, non declinans ad dexteram nec ad ſiniſtram, immaculatis pedibus regiam viam gradiens, benè laudatur à ſponſo dicente: *Quam pulchri ſunt greſſus tui!*

Nota.

Hinc pulchrè ſanctus Gregorius dixit: Filia principis ſancta Eccleſia dicitur, quia prædicatione in vitam nouã regeneratur, & quia per diuinitatis potentiam omni creaturæ, quam condidit principatur. Quid autem ſunt calciamenta Eccleſiæ, niſi exempla præcedentium patrum, quibus in via mundi huius munitur? Sic per omnes tribulationes, quæ exurgunt, confidenter calciata gradiatur, Vndè Paulus dicit: Calciati pedes in præparatione Euangelij pacis. Calciamenta quippe de mortuis animalibus fiunt: & nos pedes ſpiritualiter calciamus, quando à patribus ſanctis, carne mortuis, exempla illuſtria ſumimus: vt ad eorum ſimilitudinem tentationes expugnemus. Poteſt etiam intelligi, quod Eccleſia calciatur, quando in prædicatione ſua, ad perferenda mala, morte Chriſti munitur. Quo pertinet illud Petri: Chriſto in carne paſſo, vos eadem cogitatione armamini. Et eodē attinet, quod Apoſtolus dixit: Recogitate eum, qui talem ſuſtinuit à peccatoribus aduerſus ſemetipſum contradictionem, vt ne fatigemini animis veſtris deficientes. Equidem ſingula annotatu ſunt digna: nos verò progrediamur. Pulchri

Ephe.6. 1. Petri.4. Hebræ.12.

ergo

ergo ſunt ſponſæ greſſus calciatæ, quæ filia eſt principis: quia coram diuinis oculis placet officium, cuiuſlibet electi, ſecundum exempla patrum præcedentium. Sicut ſcriptum eſt: Interroga patrē tuum, & annunciabit tibi, maiores tuos, & dicent tibi. Deut. 32.

IUncturæ feminum tuorum, ſicut monilia, quæ fabricata ſunt manu artificis. Umbilicus tuus crater tornatilis, nunquam indigēs poculis. Hebraicè. *Vertebra femorum tuorū, ſicut pretioſa, opus manuum artificis.* Grecè. *Numeri femorum tuorum, &c.*

VT par pari referret ſponſus, nunc laudat ſponſam de omnibus ſuis membris: quoniam ipſa eodem modo ſuum laudauit ſponſum. Vbi maximè notādum, quòd ſponſa ſui ſponſi pulchritudinem commendans, à capite cœpit vſque ad pedes. At contrà ſponſus collaudans ſpeciem ſponſæ, à pedibus exordium ſumens, ad caput vſque aſcendit. Ratio, quia intentio ſpōſæ erat, deducere ſponſum de ſummo cælo ad ſe: intentiò verò ſponſi erat, ab ima terra exaltare ſponſam vſque ad cælos. Cæterùm comparando iuncturas feminum, vel femorum ſpōſæ rebus pretioſis, latenter laudat ſummam eius honeſtatem. Sanè res pretioſæ ſemper coopertæ, & velatæ tenentur, ob earum excellentiam. Item laudat eam ab eorum artifice, qui eſt ipſe Deus. Vndè ait: *quæ fabricata ſunt manu artificis*: id eſt, qui eſt ſummus artifex Deus, hanc Eccleſiam fabrefecit, & decorauit. Sanè Spiritus ſanctus, qui in libro ſapientiæ artifex omnium vocatur, ipſe caſtitatis, & pudicitiæ, & virginitatis ornamentis honeſtare eam dignatus Nota.

V 5

gnatus eſt. In cuius typo Eliezer monilia aurea dedit Re-
Gene. 24. becæ, iuxta fontem ſtanti. Nec non rex Aſſuerus Heſter ſponſæ ſuæ, aliàs pauperi, ornamentis pretioſis veſtiuit ornauitq́ue.

Vmbilicus tuus crater tornatilis, nunquam indigens poculis. Hebraicè. *Crater lunæ*: ideſt, perſimilis eſt crateri lunari, ad ſimilitudinem lunæ plenæ. Perindè dicat, fœcundus eſt vti luna plena. Profectò ſancta Eccleſia nullo vnquam tempore ſterilis eſſe poteſt, quin & fœcunditate & prole ſanctorum abundat, abundabitq́ue, quandiu mundus ſtabit. Vel crater abundans poculis, cui vmbilicus Eccleſiæ comparatur, abundantia doctrinæ ſalutaris eſt. Enimuerò ſub vmbilico matris infans fouetur, ac nutritur: & ſic fideles in Eccleſia doctrina ſancta fouentur, & magis atque magis piorum animæ vegetantur. Et quia ſalutaris doctrina fieri non poteſt, vt deficiat, Spiritu ſancto ſuggerente, & in ore concionatorum Euangelij loquente, optimè dictum eſt: nunquam indiget po-
S. Grego. culis. Vndè ſanctus Gregorius inquit: Manu fabricata artificis monilia dicuntur, quia per opera Chriſti prædicatores pulchri & vtiles efficiuntur. Vmbilicus etiam prædicatorum caterua eſt, qui benè crater eſſe dicũtur, quia per eos populus eruditur, vino ſpiritali ipſorum officio inebriatur. Qui benè crater tornatilis ordo prædicatorũ nuncupatur: quoniã iuxta mores vniuerſos hominũ neceſſe eſt, vt lingua prædicatoris voluatur. Qui poculis nõ indiget: quia quod aliis præponit, neceſſe eſt, vt abundantiùs bibat, & pleniùs, quod aliis largitur, ipſe cõtineat. Huc
Matt. 5. attinet, quod Saluator dixit: Qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum. Alij de ſacerdotibus hoc intelligunt, quos maximè oportet fore mundos, & apprimè eruditos. Sicut in Malachia ſcriptum

eſt:

eſt: Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam,& legem de ore eius exquirent, quia Angelus Domini exercituum eſt. Quàm horreat Dominus ignorantiam & ruditatem perſpicuum eſt, vbi ait: Quia tu repuliſti ſcientiam, ego repellā te ne ſacerdotio fungaris mihi. Quā ob cauſam in lege Deus optimus aſinum ſacrificio ſuo animal, immundum eſſe declarauit. Orabat quidē obnixè Rex ſanctus Dauid, & dicebat: Sacerdotes tui induantur iuſtitiam, & ſancti tui exultent: noſque idipſum ſuppliciter precari debemus. *Malach. 2.* *Oſee. 4.*

V*Enter tuus aceruus tritici vallatus liliis.* Sic in Græco,& Latino. In Hebræo verò ita: *Venter tuus aceruus tritici, circūſeptus violis.*

OPTIMA quidem comparatio hæc eſt. Nam ex aceruo faſciū tritici fit panis, quo vel maximè ad vitæ præſentis victum omnes indigemus. Sic ex ventre ſponſæ ortus eſt cæleſtis ille panis, qui panis vitæ iure appellatur, quem qui dignè ederit, viuet in æternum. Lilia, ſeu violæ, quę circuunt Eccleſiam, ſancti ſunt, qui ex aluo ſponſæ nati fuere, naſcenturque. Etenim vt flores benè olent, vt ſuapte natura fragrantiam præ ſe ferunt: ad eundem modū ſancti, mirū odorem emittunt, egregia opera patrātes. Sicut thus ardens in igne, de vno quoque iuſto dictū eſt. Et Apoſtolus ait: Bonus odor Chriſti ſumus in omni loco: hoc eſt, patiētia, humilitas, & charitas noſtra Chriſtum IESVM indicāt, vbicunq; ſumus: ita vt quibuſdam ſimus odor vitæ in vitā. Sed vndè hic aceruus tritici prodierit, altiùs perſcrutemur oportet. Nempè ex illo benedicto *Ioan. 6.* *Eccle. 50.*

Ioan.12. nedicto grano, quod cecidit in terram & mortuum, multum attulit fructum, aceruus hic ortus eſt. Hinc tot Apoſtoli, Martyres, Confeſſores, & Virgines exierũt. Alioqui niſi Chriſtus in cruce pro mundi ſalute obiret, ipſe ſolus maneret, veluti ore ſuo benedicto ipſe proteſtatus eſt. Cęterùm ſicut multa grana aceruum tritici efficiunt, ita fidelium multitudo & Eccleſia copulatur. Vnus atque idem fide Chriſti populus, & communione vnius baptiſmatis colligitur. Sic eſt omnia in omnibus vnus Deus, & pater omnium. Sed hic liliis conſtipari, & ſepiri debet, odoratiſsimis, & frugiferis virtutum actionibus, caſtiſsimiſque colloquiis exerceri: vt vnicuique detur ſecundum opera

Prouer.31. ſua merces: ſicut ſcriptum eſt. Date ei de fructu manuum ſuarum, & laudent eam in portis opera eius. Confirmat hanc ſententiam diuus Gregorius, inquiens. Per ventrem populi latitudo deſignatur, qui benè ſicut aceruus tritici liliis vallatur: quia dum operibus ſanctis intendens in cæleſte horreum preparatur, exemplis ſanctorum, vt perſeueret, vndique munitur. De quibus iterum dicitur.

D*Vo vbera tua, ſicut duo hinnuli capreæ gemelli.* Sic in omnibus tribus linguis

DVO teſtamenta, vetus ſcilicet, & nouum, velut duo vbera ſunt, ex quibus lac ſuaue dimanat, quo omnes fideles alimur, & ſaginamur. Sed quia in capite quarto de iis vberibus iam tractauimus, ſat ſit expoſi-

S.Grego. tionem ſancti Gregorij enarrare. Duo vbera ſponſæ autem, duo populi ſunt: quia dum amore fraterno ſemper viuunt, ſe inuicem lacte pietatis in charitate nutriũt. Qui benè duo hinnuli capreæ gemelli nominãtur, in ſpe ęternitatis intendentes, quaſi in montibus concordes paſcũtur,

tur: dum per prædicationem in fide geniti ſacris ſcripturis nutriuntur. De quibus iterum dicitur.

COllum tuum, ſicut turris eburnea. Oculi tui ſicut piſcinæ in Heſebon, quæ ſunt in porta filiæ multitudinis.

COMMENDAT collum ſponſæ tùm à candore, tùm etiam à fortitudine. A candore, cùm dicit eã eburneam per nimiam eius ſanctitatem & innocentiam: à fortitudine, vbi turri ipſam comparat. Vndè liquido cõprehenditur, ſponſa adeò fortis eſſe, vt nullis infidelium, hæreticorumvé perſequutionibus flectatur, neque deprimetur. *Oculi tui*, ideſt, prophetæ, per quos tanquã per oculos vides futura, qui primò fuerunt in Heſebon ciuitate Iſraël, quam acceperunt Hebræi de manibus Seon regis Amorrei, vti in Numeris memoriæ proditum eſt. Inibi prophetæ tanquam fontes fuere, effundentes multam aquam doctrinæ ſanctæ. Intelligit etiam per oculos, qui erant in Heſebon tanquam fontes, duos maximos prophetas Spiritu Dei afflatos, qui ſe contulerunt ad nunciãdum Chriſtum IESVM, & hoc *in porta filiæ multitudinis*, hoc eſt, ad populoſam, & magnam ciuitatem metropolim Gentium, vrbem Romam. Sunt etiam in ſancta Eccleſia prædicatores, ſicut turris eburnea, quia excelſi propter contemplationem: fortes ob ſanctorum operũ exercitationem: pretioſi per diuinam ſapiẽtiam, vt diuus Gregorius ait. Et ideò de illis Saluator noſter ait. Vos eſtis lux mundi. Sanè vt lumina corporis oculi, ita prædicatores mundum illuminant, tenebras viciorũ virtute verbi Dei depellunt, atque cæleſtis vitæ iter velut digito oſtendũt. Nempè vt Deus optimus primò lucem creauit, dicens:

Nota.

Num. 21.

Matt. 5.

Gene.1. Fiat lux,& facta eſt lux:ſic ante quã miracula patraret,aut ſacrũ Euangelium ore ſuo ſacro prædicaret, iuxta mare Galileæ Petrũ,& Andream,Ioannẽ & Iacobũ accerſiuit. Venite poſt me(inquit) & faciã vos fieri piſcatores hominũ.Idq; de oculis aſſerendũ reor. Equidẽ piſcinæ ex vna parte aquã recipiunt,& ſubindè ex alia effundunt.Ad eũdem modũ doctores Eccleſię & prædicatores dogmata, quæ à Chriſto ſuſcipiũt,populo impertiunt. Vndè Saluator noſter cõcionatores ſuos exortans dixit:Gratis accepiſtis,gratis date. Et iterũ: Quod vobis dico in abſcondito, prędicate ſuper tecta,ideſt,omnibus palã ea narrate.Hinc ſtupefactus Paulus aiebat:Si nõ euangelizauero, vę mihi eſt.Timẽda valde ea ſententia eſt:Qui abſcõdit frumẽta panis,maledicetur in populis. Rurſus:ſacerdotes,qui peccata populi comedũt,oculi ſunt in Eccleſia:ij ſanè precari & ingemiſcere debent ante Deũ,ne,vt ius eſt,populum percutiat:Vti Moſes in mõte Sina oratione Deũ placauit pro ſcelere quod comiſit,vitulũ adorans.Mira res placatus eſt Dñs ne deleret populũ ingratũ: Iterum Aarõ arripiens thuribulũ incẽſum poſuit,& flãma Hebræos deuorans ceſſauit.Vndè Ioël Propheta inquit:Inter veſtibulũ & altare plorabunt ſacerdotes dicentes:parce Dñe, parce populo tuo,& ne des hæreditatem tuam gentibus. *In porta multitudinis* ſunt,qui in fide ſtant,per quam Eccleſię multitudinem ad cæleſtia introducunt,vt pulchrè aſſerit ſanctus Gregorius.

Matt.10.

Prouer.11.

Exo.32.

Ioe.2.

N*Aſus tuus,ſicut turris Libani, quæ reſpicit contra Damaſcum* Hebraicè. *Naſus tuus,ſicut turris Libani ſpectans facies Damaſci* Græcè ferè idem.

ECCE

ECCE quàm ſeipſos decipiant, qui falsò hæc Canti ca Salomonis aſcribant filiæ Pharaonis, quam ipſe duxerat magno ſuo malo. Dubio procul ad deformitatẽ ſpõſæ ſpectare videtur, quicquid de vmbilico, collo, oculis, & de naſo dictũ eſt. Quænam mulier pulchra naſum inſtar turris excelſę, habuit? Ergo hæc omnia ad ſpiritalẽ ſenſum nos mittunt, alioquin riſu digna forent. Et notandũ, quòd in naſo diſcretionis iudicium ſignatur. Etenim per odorem de iis, quæ longè ſunt, iudicamus. Vndè nihil naſi eos habere dicimus, qui rudes ſunt, & malè iudicant. Et quia ſancta Eccleſia non caret iudicio & diſcretione, imò iudicium habet exactum cũ rigida diſcretione, ita vt nullatenus pro veritate falſitas, pro virtute vitiũ poſsit obtrudi, quin ſtatim vel à lõge percipiat fraudem & fallaciam, ſit mendacium quouis colore depictum: ſolo nihilominùs olfactu facilimè diſcernit inter mundũ, & immundum. At contrà iniquorum & hæreticorum ſynagoga naſum non habet: eam ob rem pro auro amplexatur ſtercora. Cõtra quos inuehitur Propheta dicẽs: Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponẽtes tenebras lucẽ, & lucẽ tenebras. En quàm cæcutiãt miſeri, qui cũ oculos habeant, haud videre queũt. Quid plura? vt turris alta quam extruxit Salomon in mõte Libano, ita naſus Eccleſiæ eſt. Vt enim ex illa turri inſidias latrunculorum Syriæ exploratores contemplabantur: ita ſanctà Eccleſia dæmonum & hæreticorum technas intuetur: adeò vt nec portæ inferi quicquam valeant aduerſus eã. Exploratoris vigilantiſsimi verba iam audiamus. Vt non circunueniamur à ſatana (ait) non enim ignoramus aſtutias eius. Itaque per Damaſcum ciuitatem metropolim Syriæ, antiquo & obſtinato odio Iudææ ſemper aduerſantem, ſatanæ regnum intelligimus: qui diu noctuque

Nota. *Eſai. 5.* *Matt. 16.*

ſato-

ſatelites ſuos mittit, inſidias parat, trucidare cupiens piorum animas. Ideò Petrus clamat: Sobrij eſtote, & vigilate, quia aduerſarius veſter, tanquam leo rugiens, circuit quærens quem deuoret, cui reſiſtite fortes in fide, hoc eſt in fide viua.

1. Pet. 5.

S. Grego. Cæterùm per naſum Eccleſiæ ſanctus Gregorius prædicatores intelligit: ait enim: In naſo odoris diſcretio habetur. Per naſum igitur diſcretio prædicatorum deſignatur: quia per eos virtutum odores, & vitiorum fœtores demonſtrantur. Sed naſus ſicut turris Libani exiſtit: quia dum ſemel prædicatores aqua baptiſmatis lauantur, & quotidie lachrymis à peccatis, quę contra Deum commiſerũt, dealbãtur, digni ſunt, vt ad altiora magis ac magis per fortitudinem erigantur. Atqui turris contra Damaſcum reſpicit: quia peccatoribus ſemper ſanctus quilibet prædicator contradicit. Damaſcus quippe ſanguineus interpretatur: & peccatrici genti dicitur: Manus veſtræ plenæ ſunt ſanguine.

Eſai. 1.

CAput tuum, vt Carmelus: & coma capitis tui ſicut purpura regis, iuncta canalibus. Hebraicè. *Caput tuũ ſuper te, ſicut Carmelus: & coma capitis tui ſicut purpura, rex ligatus cum canalibus.*

CARMELVS mons altiſſimus in terra Iſraël eſt, per quem Chriſtus IESVS intelligitur: qui, in monte altiſsimo cælorum ſedens ad dexteram Patris, caput eſt Eccleſiæ. Iuxta illud Pauli: Ipſum dedit caput Eccleſię, Pater, vt pote ſua gratuita dignatione, filium ſuum miſit in mundum, vt caput foret Eccleſiæ ſanctæ. Mira res:

Ephe. 1.

Salua

Saluator noſter adhuc in terra confractis quatuor regnis gentium, creuit in montem magnum, & replebit omnẽ terram: ſicut Danielis prophetia teſtatur. Ipſe namque lapis eſt abſciſus ſine manibus virtute Spiritus ſancti in aluo almæ virginis genitus: qui vbi ſtatuam percuſsit, mũdique potentiam proſtrauit, factus eſt mons magnus. Itaque mirificè temporibus noſtris fides amplificata eſt apud Indos, vbi, Chriſto IESV cooperante, tanquam nouus mundus apparuit. Eſt etiam ſecundarium caput Eccleſiæ, quod ſuo loco Chriſtus ſalus noſtra vniuerſo ouili ſuo præfecit, vniuerſalem ei tradens & plenariam poteſtatem, ligandi atque ſoluendi, ſuper vniuerſam Eccleſiã. Is, propter ſuam eminentiã, Papa appellatur, ideſt, pater patrum meruit ab Eccleſia nominari. Voluit, & rectè voluit, Chriſtus abſcedens non modò ipſe caput inuiſibile Eccleſię remanere, ſed etiã aliud viſibile caput ſuo loco ei aſsignare, ne quaſi acephala poſſet ab hoſtibus irrideri. Itaque Petro primatũ dedit, quãdo poſt reſurrectionem Dominus ei oues ſuas tã ſeriò commẽdauit. Et poſt eum alij Summi Pontifices locum eius obtinuerunt. Per quos Petri nauicula inter procellas turbulenti ſeculi exiſtit gubernata, & ſummi numinis virtute conſeruata. Vt palàm appareat, verum eſſe ſermonem Saluatoris. Portæ inferi non præualebunt aduerſus eam: & iterum: Ego rogaui pro te, ne defficiat fides tua. Quod verbũ neutiquã ad illam ſingularem perſonam pertinet, ſed ad Petrũ, & vniuerſos poſteros illius ſucceſſores: quippe qui ſecundũ canonicam electionem, ad hanc paſtoralem curam fuerint aſſumpti. Poterit locus hic de vtroq; capite exponi: nam vtrunque monti Carmelo valdè excelſo, fertili, & ameno rectè comparatur. Equidem Chriſtus in ſcriptura ſancta ſæpè mons dicitur. Erit mons Domini ſupra ver-

Danie.2.

Summus Pontifex.

Ioan.21.

Matt.16.

Eſai.2. ticem montium (dixit Eſaias) & ad eum venient omnes
Pſal.67. gentes. Et regalis Propheta: Mons coagulatus, mons pinguis, mons in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo. In hoc mõte ameniſſimo ac fertiliſſimo, magna cum voluptate paſcuntur oues, id eſt, fidelium populi.

Nota. Nec deſunt, qui per Carmelũ, non montem, ſed colorẽ puniceum intelligant: iuxta illud Paralipomenõ: Carmel cũ purpura. At doctores omnes de monte Carmelo hoc intelligũt. Vndè ſanctus Gregorius ait: Caput eſt Eccleſiæ Chriſtus, qui benè, vt Carmelus dicitur: quia ipſe per paſſionẽ, quã ſuſtinuit, ad gloriã Patris eſt exaltatus. In Carmelo quippe Helias orãs, obtinuit pluuiam: & nos in Carmelo orãtes, pluuiam impetremus: quoniã in Chriſtũ credentes, Chriſtũ deſideramus, & à patre irrigationẽ
Moraliter. gratiæ ſuſcipimus, quã rogamus. Moraliter: caput ſponſæ mẽs vocatur: quia ſicut à capite mẽbra, ſic à mẽte omnes cogitatus noſtri diſponũtur. Carmelus autem ſcientia circuncisionis interpretatur. Caput ſponſæ, vt Carmelus eſt: quia quælibet mẽs ſancta nouit, qualiter dignè circuncidatur. Nouit, quia nihil eſt, quicquid in corpore agitur, ſi mens immũda fuerit, quæ tẽplum Chriſti efficitur, & ab ipſo inhabitatur. Et quia phariſæi perperam agebant, ideò ſanctus Stephanus illis dicebat: Dura ceruice, & incircuncisi cordibus & auribus, ſemper reſiſtitis Spiritui ſancto.

Comæ capitis tui, vt purpura regis &c. Aduertendũ, quòd Hebræa dictio, *dalad*, comam & pauperiem ſignificat. Eam ob cauſam Hebræi per comam purpuream, pauperes intellexerunt, qui ſunt vt purpura, id eſt, coloris punicei, vel purpurei per magnam charitatem. Quod rectè dictum eſt, quia per comam ſponſæ Apoſtoli ſignificãtur: ij ſanè paupertatis amantiſſimi merito purpurei, & charitate flammigeri dicuntur: quandoquidem amore Chriſti ſuc-

ſti ſuccenſi vitam pro Chriſto expoſuerunt. Idq́; de Martyribus dicendū, nemo eſt qui ambigat. Sunt vtiq; comæ Eccleſiæ valdè eā decorantes. Alij de Angelis hoc exponunt: quiq́ue vt capilli adhærent Chriſto Eccleſiæ capiti, eumq́ue circunſtant, vt capilli circundāt & ornāt caput. Sic in deſerto, Saluatore fameſcēte, ſtatim acceſſerunt & ei miniſtrauerūt, Matthæo teſtante. Quid plura? Cū ad iudicandū venerit, omnes angeli cū eo apparebunt: ſic Dñs ipſe pollicetur. Sunt etiam velut comæ capitis Eccleſiæ, quod eſt Chriſtus, omnes fideles, qui ab eo pendent, & à quo veluti capilli virtutem ſuam ſortiuntur. Qui q; *ſicut purpura regis iuncta canalibus* fore dicuntur, ob purpereā & ardentē charitatem. Purpura canalibus iuncta, & recēter tincta plus ſplendet: & huic ſimiles ſunt ſancti viri in Eccleſia. Vel canales Chriſti vulnera ſunt, quibus mentes piæ indefeſſè inhærent, profundè ea contēplantes. Quod verò Hebraicè habetur, *Rex ligatus canalibus*, vel de mādatis Dei intelligendum eſt, nam ipſe amore ſuis præceptis adhæret, vt fuſiùs mercedem largiatur ea obſeruanti bus: vel canales ſunt ſacramenta, per quæ abūdantia gratiæ in mētes noſtras fluit: quibus rex ęternus Chriſtus alligatus eſt, ob ſuā ineffabilem pietatē. Annotatu dignum eſt, quòd editio quędā habet: *Vt purpura vincta canalibus.* Verū hoc plus eſt, quā ſi iuncta ſit canalibus. Cæterū ſanctus Gregorius comas haſce aſſerit eſſe cogitationes ſanctas: quippe quę animā ornant, atq; decorāt valdè. Comę quidē capitis (ait) ſunt cogitationes mētis, quæ in canalibus ligātur: quia in ſcripturis diuinis, ne inutiliter fluāt, ligantur. Et dū in cogitationibus ſanctę mētis gratia cæleſtis ſuſcipitur, & totā animā in cęleſte ornamētum cópo nit, tūc tota anima in vitā æternam inardeſcit, & ad æternū ſponſum etiam per ſanguinē martyrij pergere cupit,

Matt. 4.

Nota.

S. Grego.

Nóne de Eccleſia Paulus aſſerit: quòd Chriſtus tradés ſemetipſum pro ea, & exhibuit ſibi illam, non habentẽ maculã nec rugam? imò de omnibus fidelibus ſcriptũ eſt:
Eſai. 49. Viuo ego, quia iis omnibus velut ornamẽto veſtieris. Sic ergo tincta, ſic pulchra, ſic purpurea facta ſponſa, gaudés ſponſus loquitur, dicens.

QVàm pulchra es, & quàm decora chariſſima, in deliciis! Hebraicè. *Quàm pulchra es, & quàm dulcis dilecta in deliciis!*

SENSVS eſt, poſtea quã ligatus fuero pro te in cruce cum canalibus, ideſt, cum plagis, per quas corporis mei cruor ſacer deffluet, efficieris per mea vulnera re-
Nota. dempta, & valde pulchra in deliciis. Hoc eſt, digna eris & decora, qua ego inter omnes delicias meas fruar. Volens ergo ſponſus cõcludere canticũ laudatoriũ, poſt omnia adiungit? *Quàm pulchra es, & quã decora*: ſic ipſa encomia ſponſi ſui concluſit: & totus deſiderabilis. Quandoquidẽ geminatio hæc laudis, tùm ad externam, tùm verò ad internam pulchritudinem ſponſæ referri poteſt: vel ad maiorem aſſeuerationem non incommodè refertur. Nec
Sapien. 8. abs re dictum eſt *in deliciis*, quùm alibi ſponſus dicat: Deliciæ meæ cum filiis hominum. Sanctus Gregorius de dulcedine & mira ſuauitate, qua anima pia fruitur, hoc ex-
Pſal. 36. ponit: in Pſalmo ſcriptũ eſt: Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones tuas. Notandum, ait Gregorius, quòd chariſſima eſt in deliciis ſpõſa: quia ad charitatẽ & ad familiaritatẽ Chriſti nõ peruenit, quiſquis ſcripturæ ſanctę deliciis abũdare nõ contendit. Indè enim dicitur: Omni habẽti dabitur: & abũdabit, ei autem qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo. His enim deliciis, qui abũdat, reficitur, his refectus aſſiduè ad maiora perci-

pienda

piēda pręparatur. Huc pertinet illud Pſalmographi: Beatus populus qui ſcit iubilationem, ideſt, qui ſcit iubilare in Deo. Quid quòd mens iubilo hoc rapta tacere non poteſt, quo minùs alios allectare enitatur, vt has delicias cæleſtes ſaltim delibare ſtudeat. Guſtate & videte (ait Dauid) quoniam ſuauis eſt Dominus. Imò memoriam abundātiæ ſuauitatis Dei eructabunt, & iuſtitia illius exultabunt. O nimis fœlix, qui quotidie haſce delicias deguſtat, & memoriam abundantiæ ſuauitatis Dei eructat, tùm Deum optimum laudando, tùm verba ardentia proferēdo, quibus alios ad Chriſti IESV amorem accendat. *Pſal. 88.* *Pſal. 110.*

S*Tatura tua aſſimilata eſt palmæ, & vbera tua botris*, Sic in omnibus tribus linguis, niſi quòd in Hebræo habetur, *Iſta ſtatura tua.*

PALMA nimirum arbor frugifera eſt, & rectitudinē mirabilem habet. Huic comparatur ſponſa ob rectitudinem antiquorum patrum, quiq; & frugiferi fuerūt, ſummi numinis mandata opere adimplentes. Hinc regalis Propheta dicebat: In mādatis tuis exercebor. Et iterū: Ideo dilexi mandata tua ſuper aurum & topazion. Vel ideò palmæ comparatur propter ſpiritalem rectitudinē & conſtantiam quam habet, per fidem, ſpem, & charitatem: iis virtutibus ſtabilita frangi aut incuruari nullo ponderetribulationum poteſt. Quin quo magis vexatur, eo magis creſcit, & in ſublime aſcendit: vti de arca Noë legimus diluuij procellis tumentibus. Vndè pulchrè Apoſtolus ait: Tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio ſpem, & ſpes in Deo nullatenus confirmdit. Nónne populus Dei in Ægypto quanto magis labo- *Pſal. 118.* *Rom 5.* *Exo. 5.*

 ribus

ribus grauabatur, magis augebatur? Vtinam calamitatũ commodum agnoſceremus: ni fallor, ignorantia noſtra in cauſa eſt, ne cum Iob obnixè precemur: Domine hæc mihi ſit conſolatio, vt affligens me dolore non parcas. Cæterùm vbera ſpõſæ ſimilia ſunt botris, ſeu racemis palmarum, in quibus fructus ſatis ſuaues pendent. Tabulæ quidem legis tanquam duo vbera erant, ex quibus lac ſcientiæ & ſapientiæ profluebat. Sunt etiam duo vbera Eccleſiæ doctrina Saluatoris, & ſalutaris gratia, nam iis vberibus fideles lactantur, & abundè paſcuntur.

Iob. 6.

S. Grego.

Palmæ decenter anima ſancta comparatur: nam dum hæc arbor creſcit, deorſum ſtringitur, & ſurſum dilatatur: ſic pia anima ab imis ad minima incipit, & paulatim ad maiora creſcendo vſque ad plenitudinem perfectæ charitatis peruenit. Nemo ſanè repente fit ſummus: nec abs re in Pſalmo Spiritus ſanctus dixit: Iuſtus vt palma florebit, & ſicut cedrus Libani multiplicabitur. Et alibi de quouis iuſto dictum eſt: Erit tanquã lignũ, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructũ dabit in tempore ſuo, & foliũ eius non defflues. Hæc omnia peculiariter palmæ pertinent, quippe quæ vt cætere arbores frugiferæ fructus ſuos gignit, & hyemali tempore folia non amittit, virorem ſuum ſemper retinens. Ad hæc, vbera ſponſæ duo præcepta charitatis exiſtunt, quæ animam quam poſſident, vino cæleſti inebriant, ac nutriunt. Poteſt tamen per palmam crux Chriſti intelligi: præbuit planè nobis cæleſtem cibum, ideſt, Chriſtum I E S V M, qui in ea obiit. Cui ſtatura ſponſæ aſſimilatur, quia pro Chriſto non dubitat, quiſquis Chriſtum valde diligit, mori. De qua palma adhuc ſponſus loquitur.

Pſal. 91.

Pſal. 1.

Crux,

Aſcen-

ASCendam in palmam, et apprehendam fructus eius. Hebraicè. *Dixi, aſcendam in palmam, & prahendam in cimis eius.*

SPONSVS, pro ſua in nos ingenti charitate, pollicetur ſe crucem aſcenſurum, ibique moriturum aſſerit, vt ampliſſimos crucis fructus apprehendat, nobiſque eos largiatur. *Dixi, aſcendam in palmam,* in corde meo ſtatui, vt in palmam aſcenderem, hoc eſt, in crucem, de qua Sapiens: Benedictum lignum per quod fit iuſtitiam. Sanè per mortem crucis factus eſt nobis Chriſtus iuſtitia, ſanctificatio, & redēptio: eo quod ibi totius mundi debita Saluator noſter perſoluit. Verùm quod antea ſuboſcurè dixerat, rex ligatus canalibus, nunc palàm loquitur, vbi ad palmā aſcendere pollicetur, & carpere fructus eius. O lignum benedictum, in quo ſalus noſtra pepēdit. O mirabile lignum vitæ in medio paradiſi, hoc eſt, in ſancta Eccleſia plantatum. Videre eſt ſanè, quantopere nos amauit, qui formam ſerui accipiens, ignominiā crucis, tàm atrocemque mortem nō horruit: quo in ligno perſolueret reatū, quem in ligno Adamus comiſit. Hinc Paulus, omneſque ſancti in crucis probro, & paſſionis Chriſti gloriantur. Abſit mihi gloriari niſi in cruce Dñi noſtri IESV Chriſti. Sanè deguſtauerat Apoſtolus perpulchros atque ſuaues fructus huius palmæ: ideò ſe ſe continere non valuit, quominus verba hæc proferret. Nempè in arbore crucis, tùm iuſtitiam, tùm charitatem, tùm denique tolerantiam, & ſtupendam humilitatē, quis non inueniet. Quid plura? in hac vna arbore tentamenta omnia quāliber immania, & erumnarum tormenta ſedantur; nec non & vulnera cuncta, & ſi lethalia fœliciſſimè curantur.

Sap. 14.

Crux.

Gala. 6.

S.Grego. Hinc ſanctus Gregorius: *Dixi aſcendam in palmam.* Dixit,& verè aſcendit:quia ſicut ante ſecula pro morte noſtra mori diſpoſuit,ſic in fine mundi propitius & verax adimpleuit. In palmam ergo aſcendit,& fructus eius apprehendit,quia in cruce ſuſpenſus fructum vitæ inuenit, & nobis tribuit abundè.

Cæterum, de ſancta Eccleſia verbum hoc exponitur, ipſa namque palma virens eſt,in quam Christus aſcendit quotidie dum eam fructificantem conſiderat, & ſancta eius opera acceptat,tùm inquam quaſi fructus palmæ ſuę apprehendit. Nónne ſponſa paulò ſuprà orabat: Deſcendat dilectus meus in hortum ſuum, & comedat fructus Canti.6. pomorum ſuorum? Idem hic videtur, quod dictum eſt. *Dixi aſcendam in palmam,&c.* Nec eſt cōtrouerſia in hoc, quod ſponſa dicit: Deſcendat dilectus meus: ipſe verò reNota. ſpondens ait: *Aſcendam in palmam.* Equidem horti in locis humilioribus eſſe ſolent,ob humoris copiam: & quia Eccleſia hortus dicitur,rectè dictum eſt: Deſcendat dilectus in hortum ſuum. Nunc verò quia ſponſa aſſimilatur palmæ,quæ valdè in ſublime aſcendit,ſe aſcendere profitetur ſponſus,& non deſcendere. Itaque ſecundum varias comparationes ſpōſæ accommodatæ, variæ de ſponſo fiunt loquutiones.

De cruce. Ad hæc,quotidie anima pia ſæpe numero eadem verba profert,myſterium magnum crucis penitiùs contemplans. Ait intra ſe ſummi numinis afflatu tacta: *Dixi aſcendam in palmam & apprehendam fructus eius.* Ecce arbor illa Danie.4. magna,cuius fructus nimius,cuius altitudo tãgit cælum, Figura. imò aperit cælum,referans paradiſum ſanctis. Rami illius implent terram,in quibus volucres cæli,ideſt,Angeli habitant,indefeſsè laudes concinentes Deo. Animalia autẽ in umbra eius quieſcunt. Ecce fructus vberrimi, quos

profert

profert ſancta crux. Verùm ſingula adnotatione ſunt digna. Mitto lubens, quòd fructum virgineum quem Deipara virgo, Spiritu ſancto cooperante, cõcepit, & in hac benedicta palma pependit, eo omnis caro, ideſt, omnes fideles quotidie victitant, adorantes Chriſtum I E S V M regem gloriæ ſub velaminibus, & accidentibus panis & vini, dum ſacrum myſterium in altari celebratur. Enimuerò, qui fide integra, charitateque flammigera ſanctam Euchariſtiam adorat, ſpirituali communione reficitur. *Euchariſtia.*
Ad virtutes veniam, quippe quæ in hac ſalutifera arbore irradiant. Nempè vt pulchrè ſanctus Auguſtinus aſſerit, crux Chriſti pendentis cathedra eſt magiſtri docentis. *S. Auguſt.* Quinimò Saluator mundi ſcolam omnium virtutum crucem ſuam effecit? Planè ſi quis patientiam & beneuolentiam erga inimicos diſcere appetit, vocem illam intentiſsimo corde audiat: Pater ignoſce illis, quia neſciunt, quid faciunt. En pro crucifixoribus precatur, qui pro inimicis nos docuit orare. *Lucæ.23.* Qui miſericordiam in proximum deſiderat exercere, reſponſum Chriſti meditetur, qui latronem conſolatus eſt dicens: Hodie mecum eris in paradiſo. *Ioan.19.* Denique, qui pietatem parentibus vult impertire, verbum illud Saluatoris auſcultet: Mulier ecce filius tuus. Si quidem ſi per ſingula Chriſti verba, quæ in cruce protulit, quis corde candido percurrat, omnimodam virtutem addiſcere poterit: nec nõ fructus palmæ, quæ eſt benedicta crux, omni nectare dulciores inueniet. Sed proh dolor quòt orthodoxi, non abſimiles Hebræis, deguſtato cælico hoc manna exclamant: Nauſeat anima noſtra ſupra cibo iſto leuiſſimo. *Numc.11.* Nimirum Ægypti rudes cibos qui appetit, mellitos ſacræ crucis guſtare haud poteſt.

X 5 Et erunt

ET erunt vbera tua, ſicut botri vineæ, & odor oris tui, ſicut odor malorum.

VBERA ſpõſæ ſicut botri vineę dicũtur, eo quod racemi vitis dare ſolent vini copiã: & ſic ſponſa ex vtroque teſtamento profert fidelibus abundantiam doctrinæ. Verũ electi Dei in Eccleſia diris cruciatibus, atq; preſſuris inſtar racemorũ cæleſtem lætitiam de ſe pariũt. Et ſicut vinũ ſuapte natura cor lætificat, ipſi vt botri vineæ, merũ lætitiæ proferũt, nedũ hominibus, ſed etiã Angelis. At ſanctus Gregorius inquit: Verè per crucem vbera ſpõſæ ſicut botri vineæ exiſtũt, quia in morte Chriſti duo præcepta charitatis ſenſus animæ ſuſceperũt, quibus paſta anima debrietur, debriata poſteriora obliuiſcatur, & in anteriora extẽdatur. His vberibus etiam proximos nutrit, ac robuſtos ſecum ad ea, quæ concupiſcit, perducit. Vndè optimè ſcriptum eſt: Qui audit, dicat veni. Et rurſus: Qui non colligit mecum, diſpergit.

S. Grego. Apoca. 22. Lucæ. 6.

Odor oris tui ſicut malorum: id eſt, optimè olentium. Tũc horridus erit & fœtidus, dũ quis dogmata iniqua docet. Tales ſunt hæretici corrumpentes bonos mores, & ſua cõmenta falſaque documenta ſeminantes. Atqui, ſancta Eccleſia ſanctam doctrinã docens, vt mala odorifera, ſuaue emittit odorem Deo optimo gratum. Hinc Apoſtolus ait: Chriſti bonus odor ſumus Deo. Etenim ſermo blandus, non aſper, aut cõtentioſus, ſicut malorũ odor ſuauis eſt. Quid multa? tã eſt potens ſermo blãdus, vt, teſte Salomone, frangat irã. Diuus Gregorius de malis punicis hoc exponit. Mala punica (ait) de quibus ſuperiùs tã ſæpe dictũ eſt, hîc rememorãtur, quorum odori odor oris ſpõſæ aſſimilatur. Per mala autem punica Martyres deſignari diximus: per os autem ſponſæ hîc debere intelligi eius prædi-

S. Grego.

cationem

cationẽ putamus. Quæ dũ virtutes Martyrum prædicat, dum ad eorum ſimilitudinem animos audiẽtium inſtigat, quid aliud quã malorũ odorẽ in ore portat? Sanè ruborẽ corticis in martyrio oſtendit, & in virtutibus multitudinẽ granorum ſub eadẽ fide, quaſi ſub eodem cortice, demonſtrat. Rurſus, lib. 12. Mora. ca. 26. Odor oris ſpõſæ propoſitũ benè operandi indicat: ſi tamen opera non ſubſequãtur, iam malorũ odor non erit. Planè vti odor ſuauis, ſanctum deſiderium eſt: oportet autem quod in opere perficiatur: alioqui inſtar fumi ſtatim euaneſcit, ſi oportunitas & facultas operandi adſit. S. Grego. lib. 12. Mora. capit. 26.

GUttur tuum ſicut vinum optimum, dignum dilecto meo ad potandum, labiiſq; & dentibus ad ruminandum. Hebraicè. *Palatum tuum ſicut vinum, &c.*

PERINDE dicat: Cùm ego aſcẽdero in arborẽ palmam, palatũ tuum ſicut vinum optimum, non ampliùs corruptus erit, ſed ſanus, & ſicut fuerit vinũ bonum, ſic guſtabit ipſum. Etenim diuini amoris vinũ ſponſa deguſtat: nec dicit malum bonum, aut bonum malum, ſed bonitatẽ Dei, eiuſq; ſuauitatem guſtat, vt ipſa eſt. Vel ſic: *Guttur tuum ſicut vinum optimum:* hoc eſt, guttur tuum habes plenum vino optimo, vt quaſi vter vino plenus videri poſſit, præ vini præſtantia & plenitudine diſtentus. Et hoc verum eſt, qui quæcunque Eccleſia prædicat, vino præſtantiſſimo cõparatur, quoniã ſpirituales delicias prębẽt, non carnalẽ lætitiam. Contrà de impiis dicitur, quòd guttur eorũ fœtorẽ exhalet. Sepulchrũ patens eſt guttur eorũ, linguis ſuis doloſè agebãt Et alibi de viro improbo dictũ eſt: Cuius os maledictione plenũ eſt, ſub ligua eius Pſal. 13.

labor

labor &dolor.Talia ſunt impiorũ guttura, potiſsimè hæreticorũ,quippe quæ ſemper,& vbiq; venena ſua effunderemoliũtur,in animarum perniciem.Dignũ hoc vinum, quod ſpóſa effundit,eſt dilecto ad potandũ.Vbi aduertẽdũ,quòd primò ſpóſus ait: *Guttur tuũ ſicut vinum optimũ*: & ſtatim ſponſa reſpondet:ita ſponſe mi verum eſt,quod affaris,optimũ vinum eſt guttur meum,& tale vinũ , quo tu oblecteris,quodq́ue dentes tui & labia ruminare non deſinent,quemadmodum ſolent, qui vinum inſigniter bonum bibũt.Verùm doctrina veritatis,quã ſancta dogmatizat Eccleſia,tam eſt pręclara,candida, & efficax, vt

S.Grego. ipſe Chriſtus omnis veritatis autor plurimum ea delectetur.Hinc ſanctus Gregorius:Per guttur ergo ipſa prædicatio iterum deſignatur. Quæ quaſi vinum optimum eſt, quia mentes hominum inebriat,vt præteritorum,ſicut dictum eſt,obliuiſcantur,& in anteriora currentes non laſſentur.De quo ſponſa verbum de ore ſponſæ ſuſcipiens adiungit:*Dignum dilecto meo ad potandum,labiiſque & dentibus ad ruminandum.* Quia dum Eccleſia docet ſummi Dei & proximi dilectionem,quid aliud quàm vinum ſuũ dignum facit,vt in ore ſponſi dulce ſapiat? Quod benè

Nota. Chriſtus potare dicitur,quia à corpore ſuo,ideſt, à fidelibus ſuis mirabiliter potatur.De quo omnes bibunt,ſed labia ſola,& dentes ruminant:quia dum Eccleſia per ſanctos prædicat,omnes quidem audiunt , ſed non omnes virtutem ſententiarum, quę dicuntur, ſentiunt, aut diſcernunt.Labia verò & dentes ruminant, quoniam dum perfectiores quique poſt auditum verba ad memoriam reuocant,dum audita quæque exercitatione aſsidua cogitant,quaſi ad os reuocantes,quod ſumpſerunt , quanta ſit virtus cibi , quem comederunt, ſentiunt: Idcirco

Leui.11. in lege ſcribitur:Animal,quod non ruminat ,immundũ

habea-

habeatur. Nam quiſquis bona, quæ audit, ſiue legit, non recogitat, vacans ſanctis cogitationibus, neceſſariò immundas congregat. Cæterùm, alij guttur ſponſæ eſſe dicunt Chriſtum IESVM, per quem dulcedinem ſpiritualium dapum percipimus, & amaritudinem temporariũ rerum ſentimus. Huc pertinet illud: Guſtate & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus. Nempè qui Chriſto non adhæret, abſque gutture viuit: eam ob rem, ij præpoſterè ſe habent, dicentes malum bonum & bonum malum. Vinũ optimũ, cui comparatur hoc guttur, ſanguis Chriſti eſt, quo reficimur fideles, exhilaramur, & inebriamur. De quo in Pſalmo: Calix meus inebrians quã præclarus eſt. Figura. Pſal. 33. Pſal. 22.

EGo dilecto meo, & ad me conuerſio eius. Sic in vtraque lingua. Hebraicè. *Ego dilecto meo, & ſuper me deſiderium eius.*

AC SI patenter dicat: Ego Saluatori meo Chriſto IESV totis medulis cordis mei adhæream, ei totis nitibus inſeruiam, & ipſe affatim me remunerabit, cũ in ſecundo illo aduentu è cælis deſcenderit, iudex ſeſſurus, omniumq; diſcuſſor, congregans omnes à quatuor ventis & angulis terræ, miniſterio Angelorum. Sed opus eſt, vt illi primò conuertamur, ſicut ſcriptum eſt: Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos: nihilominus, ipſe priùs nos trahat, neceſſe eſt, ſine cuius ope nos nil valemus facere. Sana me Domine, & ſanabor, ſaluũ me fac, & ſaluus ero, ait Propheta. *Ego dilecto meo*, inquit ſponſa, ideſt, Mihi adhærere Deo bonum eſt, & ponere in Domino ſpem meam. Idque non ſemel, ſed iam tertiò ſponſa repetit, magnitudinis amoris inſigne erga Chriſtum IESVM ſubindicans. Capite primo dixerat: Dilectus meus mihi, Zacha. 1. Pſal. 72. Canti. 1.

mihi,& ego illi: Iterũ capitulo quinto: Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi. Nunc tertiò eãdem ſententiam, licet aliis verbis, profert: Ego illi adhęreo, cãdido pectore ipſum amãdo: ille verò placido aſpectu me intuetur, viciſſim vnicè ſponſam ſuã diligendo. Rurſus, Ego illi, & ipſe ad me cõuertitur, nã ego per omnia ei placere cogitatione, verbo, & opere ſtudeo. Enitarq́;, quoad fieri poteſt, vt voluntatẽ illius adimpleã, quæ ſanè bona eſt, benè placẽs & perfecta: bona, incipientibus: beneplacens, proficientibus: perfecta verò, perfectis. Quod verò Hebraica traductio habet, *Deſiderium eius ſuper me*, hũc ſenſum ſignificat: Voluntas dilecti mei eſt, vt ego fideliter illi ſeruiã, ſanctè viuã, & hoc mihi eſt curæ: iuxta illud: Volũtas Dei ſanctificatio veſtra. Vbi diuus Gregorius ait: Quoniã fide, & dilectione ſoli Chriſto adhæreo, ipſum ſolũ ſequor, ſolũ cũ Patre, & Spiritu ſancto, vnum Deũ videre cupio, reſpectionis ſuauitatẽ, viſitationis benignitatẽ, conuerſionis dulcedinem gaudenter experior, experienſq́ue proclamo.

S.Thom. 2.2. q.24. arti.9.

VEni dilecte mi, egrediamur in agrum, cõmoremur in villis. Manè ſurgamus ad vineas. Hebraicè. *Pernoctemur in villis.*

HIC eſt locus, vbi ſignanter denotatur tranſlatio domus Dei ab Hebræis ad Gentes, & à vetere Hieruſalem in nouam Hieruſalem catholicam Eccleſiam Romanam, Quod mirè non ſignatur, niſi poſt factam memoriam paſsionis, & mortis ipſius regis Chriſti, quippe quí aſcendit in arborem crucis, vt iam meminimus. Vndè indignata ſponſa, hoc eſt, vera gens Iſraëlitica, quæ credidit in Chriſtum, eumq́ue vltronea ſua voluntate recepit, perſuadet ſponſo, vt relictis Hebreis, & terra eorum,

vnà

vnà ſecum egrediatur in agrum. Egrediamur ab Hieruſa lem in campum, id eſt, in mundum, & commoremur in villis, vel pernoctemur, donec peruenerimus in vrbē Romam, alteram Hieruſalem nobis congruam ad habitandum. Villas vocat alias ciuitates & oppida, reſpectu vrbis magnæ Romæ. *Mane ſurgamus ad vineas*, id eſt à villis mane ſurgentes, proficiſcamur ad vineas Gentium. Ecce quanto affectu ſponſa rogat ſponſum, vt ad Gentes tranſeat Euangelij prædicatio. Ni fallor mundus velut ager incultus erat ante Chriſti IESV aduētum: iuxta illud Sal- *Matt.13.* uatoris in quadam parabola: Ager eſt mundus, inquit. Heu, quot ſentibus, & errorū vepribus erat plenus. Equidem donec ſacri Euangelij vomere orbis fuit excultus, ſpinas & tribulos proferebat. Eamus in agrum dilecte mi, ad laborandum, & ſentes euelendum, triticumque optimum ſerendum. Exibit homo ad opus ſuum, & ad operationem ſuam vſque ad veſperam. Ecce ad quid *Pſal.103.* egredi ſolet homo. Non fas eſt, ait ſponſa, nec mihi manere in angulo mundi, & tecum habitare, quomodo olim in Iudæa cum matre mea habitaſti: ad inuiſendas gentes omneis hactenus occultas, longè lateque diffundatur nominis tui ſacra fides, dilatentur termini ditionis tuæ. Notandum, quòd non ſola exire audet: quoniam in propaganda Chriſti IESV fide per conuerſionem infidelium, fruſtra humana ſapientia laborat, cooperans gratia adſit neceſſe eſt: dicente ſponſo: Sine me nihil poteſtis facere. *Ioan.15.* Mira res: nec ſponſus ſeorſum vult, opus hoc magnum patrare, ſed miniſtros ſuos vocat. Vnus illorū ait: Cooperatores Dei ſumus. Et in Pſalmo: Adiutor meus es tu. Et hæc magna dignatio Dei eſt, quòd velit cum miniſtris ſuis facere, quod ipſe ſolus poterat. Hinc Paulo iam conuerſo, mittit Ananiam Prophetam,

Acto.9. tam,qui imponat ei manus,& oculos: aperiat, comedat, & conualeſcat.

Sed nunc ex ore diui Gregorij hæc omnia audiamus *Veni dilecte mi egrediamini in agrum.* Dum ſponſa ſponſi dulcedinem experta ſe reficit, de proximo etiã cogitat: quem ipſius ſponſi præcepto ſicut ſe diligit: & quia ſponſi præcepta agnoſcit,concupiſcit,vt alij intelligant. Ideò in agrum exire vult,ideſt,in mundum. In agrum verò cũ ſponſa ſponſus egreditur,quando verbum Dei carne ſuſcepta in thalamo virginis in mundo monſtratur: in villis commoratur,quando gentes per fidem viſitat, quam recipientibus largitur:mane ad vineas ſurgit, quia per reſurrectionem ſuam in gloriam Patris ſedens Eccleſias, quas conſtruit,etiam defendit.Sequitur.

Nota.

V*Ideamus ſi floruit vinea, ſi flores fructus parturiunt, ſi floruerunt mala punica: ibi dabo tibi vbera mea.* Hebraicè. *Ibi dabo tibi amores meos.*

FLORES vineæ odorem mirum emittentes ſunt, qui per prædicationem Euangelij in Chriſtum credere cœperunt. Ij incœperunt in populo florere,& dare odorem ſuaue olentem, ſpem præ ſe ferentes bonorum operum:nam flos ſignum fructus eſſe ſolet. Mala punica Martyres ſunt,qui proprio ſanguine rubricati palmam victoriæ accipere meruerunt. *Ibi dabo tibi vbera mea*,vel *amores meos.* Hoc eſt,inter gentes, in Roma toto corde te diligam ſponſe mi,quem in Hieruſalem Hebręi fratres mei diligere noluerunt.Ecce tres ſtatus in Eccleſia hîc deliniãtur: per flores,incipientes:per fructus vinearum, proficiẽtes:per mala punica,perfecti,qui infracto animo pro fide

certantes ſanguinem ſuum effundere non metuunt. Hos probat ſanctus Thomas fore ex illa autoritate Pauli ad Romanos ſcribens: Vt probetis, quæ ſit voluntas Dei bona, beneplacẽs, & perfecta. Videamus ſinguli ſtatus quali ter ſe gerant. *Ibi dabo tibi vbera mea*: id eſt, tunc diſponã duo teſtamenta, & ea prædicabo ad tuam gloriam, quod eſt magnum amicitiæ ſignum. Propinare vtriuſque teſtamẽti doctrinam fidelibus, valde placet ſponſo Chriſto. Vel hæc pollicitatio ſponſæ eò tendit, vt iterum dicat, quod alibi dixit: Dilectus meus mihi, & ego illi, inter vbera mea commorabitur, in pectore meo requieſcet, nam ibi cor ſitum eſt. O ingentem Chriſti IESV pietatem, ô modis omnibus laudandam clementiam: nec olim dum taxat ſponſæ ſuæ petitioni fecit ſatis, ad exteras gentes cum ſpõſa egrediens: ſed noſtris temporibus vidimus per Hiſpanorum nauigationem regiones, quæ apud Indos erant, cunctis Coſmographis, & Aſtronomis incognitæ, ad fidem Saluatoris conuerſas: ita vt Domini noſtri verba videamus, quaſi adimpleri: Prædicabitur Euãgelium in toto mundo, & tunc erit conſummatio. Cæterum notandum, quòd viſis floribus malorum punicorum, ſponſa dat vbera ſuo ſponſo. Quia in perfectis viuit charitas gemina, ex qua dum infirma membra in Eccleſia nutriunt, quaſi Chriſtum lactant, quem in minimis ſuis eſſe præſentem cognoſcunt. Dicente Domino: Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Vel vbera quibus Eccleſia Chriſtum, id eſt, eos qui membra ſunt Chriſti, lactat, duo teſtamenta ſunt, ex quibus profunda ſenſa myſteriorum fidelibus quotidie palàm facit. Verùm ſpiritalibus, qui palatum infirmum non habẽt, incredibile eſt quàm ſuauis ſit ſcriptura ſacra benè cognita: modo abſit arrogantia, abſcedat animi faſtus, ac tumor: imò mens caſta ſit, &

S. Tho.

Rom. 12.

Canti. 2.

S. Grego.

humilis,non ocio lãgueſcat.Teſtis ſit Vates regius,qui di-
Pſal.115. xit: Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, ſuper mel ori meo! Cùm ergo quis iuſtus guſtauerit ſacræ ſcripturæ nectareum manna,tunc fiet quod ſequitur.

M*Andragoræ dederũt odorem ſuũ,in portis noſtris.* Hebraicè. *Mãdrogoræ dederũt,ad portas noſtras,fructus pulcherrimos.*

MANDRAGORA herba eſt, cuius radix, vt fertur,ad ſimilitudinem formæ humanæ videtur.Per mãdragoras intelligit herbas campi, ideſt,omnes populos gentiũ,quique vti herbæ agri ſunt.Ij Chriſto IESV paſſo florere cœperũt,& odorẽ fidei & charitatis,atq; omnigenę virtutis dare:Et hoc *in portis*,ideſt, palam Chriſtũ IESVM corã tyrannis infracto animo confitebãtur, carceres ſqualentes, ſartagines,& rogos minimè timẽtes.
Hebr.11. Secti ſunt,tentati ſunt,in occiſione gladij mortui ſunt, ſicut latiùs Apoſtolus narrat.

Sed vt de mandragoris aliquid diſſeramus, de quibus Geneſeos. 30.capite legimus,quod Ruben filius Liæ eas inuenerit in agro,& domo illas dedit mátri ſuæ,quibus viſis,ſubindè Rachel eas concupiuit. Sanctus Auguſtinus contra Fauſtum Manicheum,mandragoras dicit innatã virtutem habere contra ſterilitatem : quam ob rem Ra-
S.Aug.li.22. ca.56. chel poſtulauit eas à ſorore ſua Lia,& obtinuit.Plinius.li. 25.ca.13.mãdragoras teſtatur cõducere ſomno. At vt aliquid vtilitatis hinc eliciamus, poma mandragorica (ea ſic appellat diuus Auguſtinus) vix in terra videntur, niſi magno ſtudio quærantur, quæ odorem ſuauem ſuapte natura emittunt. Ad eundem modum verba Chriſti, & opera humilitate ſunt plena, & mirabili odore fragrant,

& longè

& longè lateque fragrantiam ſuam cælicam effundunt. Hæ mandragoræ odorem ſuum dederunt, quam Apoſtoli per vniuerſa terrarum climata tùm verba, tùm etiam exempla Chriſti prædicauerunt. Et quia ipſe diues eſt in omnes, qui inuocant illum, Apoſtolo teſte, & perſonarũ acceptio apud eũ nullatenus inuenitur, eam ob cauſam in portis mandragoræ dant ſuum odorem. Obſeruandum verò quod Ruben non domi ocioſus mandragoras inuenit, ſed in agro. Qui verò verba ſancta & exempla Chriſti IESV deguſtare vult, laboret oportet, non ocioſitati ſe dedat. Rachel magno emit mandragoras, per quã contẽplatiua vita figuratur: ſic qui contẽplationi vacare vult, externa res contẽnat, & cum Magdalena ad pedes IESV ſedeat, dicente Dño: Vacate, & videte, quoniã ego ſum Deus. Quid multa? ſicut odor, qui ex mãdragoris cõſurgit, ſomnum inducit, ſic verba Chriſti & exempla ſomnũ contemplationis affert: ita vt mens cum ſpõſa ſępe clamare valeat: Leua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Rurſus teſte Plinio, ſi quis abũdè liquorem horum pomorum bibat, animã exhalat. Ad eundẽ modum, quiſquis affatim verborum Chriſti ſuccum & virtutem biberit, ſtatim cum Apoſtolo dicet: Abſit mihi gloriari, niſi in cruce Dñi noſtri IESV Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mũdo. Et iterũ: Viuo iam nõ ego, viuit verò in me Chriſtus. Denique ſi liquor horum pomorũ contra ſerpentium morſus valent, verba Chriſti & exẽpla tàm ſunt ſalutifera, vt ipſe dicat: Diſcipuli mei ſerpẽtes tollẽt, & ſi mortiferũt quid biberint, nõ eis nocebit. Sãctus Gregorius mãdragoras benè olẽtes perfectos viros eſſe teſtatur. Ideò ſic ait: Quid per mãdragoras herbã, ſcilicet, medicinalem, & odoriferã, niſi virtus perfectorũ intelligitur? per quã perfecti quiq; imperfectorũ in-

Nota. *Pſal. 45.* *Canti. 2.* *Galat. 6.* *Mar. vlt.*

firmitatibus medentur:nã in fide,quam prædicãt in portis Eccleſiæ,veri medici cóprobantur eſſe:ij dũ operũ bonorum exẽpla circumquaq; per ſanctam famam tribuũt, quaſi odorem,quo egroti ſanantur,aſpergunt.Cæterum, mandragoris ſimiles dicam prophetas, & antiquos patres eſſe,eo quod corpora eorum ſubtus terra ſint, vt poma mandragorarum,tamen mirabilem fragrantiam nobis exhibent,exempla pietatis,fidei, & charitatis ſemper emittentes.Enimuerò,Abrahæ obedientia, Iob inſignis Nota. patientia,Tobiæ mirabilis tolerantia,aliorumq́ue ſanctorum mirifica exempla ad finem vſque mundi ſalutarem odorem ſpirant:Quo,ni fallor,nos roborati, ad virtutes exercendas anhelemus,tanquam Saluatoris noſtri veri filij,& imitatores. Sequitur.

O*Mnia poma noua, & vetera ſeruaui tibi dilecte mi.* Hebraicè.*Nouos fructus et veteres dilecte mi abſcondi tibi.*

SENSVS eſt:Sponſe mi,poſtquã Romã venerimus, & fides ſancta relictis idolis fuerit tibi fundata,theſaurizabo tibi non modò poma vetera,ideſt Apoſtolos Petrũ & Paulũ inibi pro amore tuo trucidatos,ſed noua poma,nouoſq; fructus ſeruabo tibi:quia plurimi Romani à tyrannis perſequuti,pro defenſanda fidei veritate tormẽta immania ſuſtinebunt,vltronea ſua volũtate obeuntes, & martyrij palmam obtinentes.Quo pertinet illud Pauli: Roma.1. Fides veſtra annũciatur in vniuerſo mundo.Quibus verbis laudat conſtantiam inſignẽ Romanorũ, in grauibus perſequutionibus obeũdis: quã ob rem plurimum gaudere ſe fatetur Paulus.Quod verò pollicetur dicens:*ſeruaui tibi*,perindè eſt,ac ſi dicat:vt tibi ſeruiam,poma hęc ſeruaui,& ad gloriam tuam ea theſaurizaui.

Alij,

Alij poma vetera, & noua, verba & exempla patrum antiquorum, & cæterorum ſanctorum dicunt eſſe. Nõne Sapiens ait: Sapientiam antiquorum exquiret ſapiens. Et ſanctus vir Iob: In antiquis eſt ſapientia, & in multo tẽpore prudentia. Hinc Apoſtoli doctrinam nouam, quam à Chriſto acceperunt, annunciãtes prophetarum oracula non ſpreuerũt. Quin & diuus Petrus Spiritu ſancto deſcẽdẽte ſuper Apoſtolos, vaticiniũ Ioëlis Prophetæ enarrãs, aduerſarios cõfudit. Cæterũ Dñs ipſe Prophetarũ Chriſtus IESVS ſæpè in Euangelio Eſaiã & alios vates refert, quò Phariſæos & ſacerdotes ſynagogę erudiret. Imò verba ſponſæ maximè alludunt ſententiæ Chriſti dicẽtis: Omnis ſcriba doctus ſimilis eſt patri familias, qui profert de theſauro ſuo noua & vetera. Noua quidem ſunt illa mandata euangelica perfecta & abſoluta, quibus nil in terris poteſt eſſe diuinius, nihil illuſtrius, nil denique vtilius. Vetera autem ſunt quæcunq; in lege & prophetis ad ſalutem æternam conducunt. Et hæc ſunt, quæ ſponſa caſtiſsima ſeruauit, ſeruatque in laudem & gloriam Chriſti IESV ſponſi ſui. Hinc ſanctus Gregorius inquit: Hîc per poma ſenſus ſcripturarum ſanctarum intelliguntur, quæ dum ex patribus ſanctis ad nos vſque perueniunt, & credũtur, ex arboribus poma exurgunt, quibus animæ delectantur. Omnia ergo poma noua & vetera dilecto ſuo ſeruat, quia ſic nouum teſtamẽtum Eccleſia Catholica recipit, vt vetus non abiiciat: Sic vetus veneratur, vt nouũ ſemper in ipſis ſacrificiis carnalibus per ſpiritum intelligat: in nouo ſcilicet Chriſtum veniſſe congaudẽs, in veteri autẽ ſemper venturum expectans. Hæc benè ſponſa ſeruat, ne corrumpãtur & pereant, quibus quotidie vtitur, cùm ad ſponſi ſui honorem, tùm etiam ad animarum commodum, & ſalutem.

Eccle. 39. *Iob. 12.* *Matt. 5.* *S. Grego.*

CAPVT OCTAVVM CANTICORVM.

Quis mihi det te fratrem meum, ſugentem vbera matris meæ: vt inueniam te ſolum foris, & deoſculer, & iam me nemo deſpiciat. Sic ferè in omnibus tribus linguis.

HIC nimirum exardeſcens ſponſa in amorem ſponſi Chriſti, dolet nõ poſſe ipſum oſculari ad libitum, abſque vlla verecundia. Propterea cupiens ſoluere quemuis pudorem, optat, dicens: *Quis det te fratrẽ meum.* Ac ſi patenter dicat: ſi te ſponſum meũ paruulum inuenire meruero, & matris vbera ſugentem, iamque fratrem meum factum, ita vt qui olim Deus omnipotens eras, homo fieri dignatus ſis, audacter accedã, & oſcula tibi figã, ne quiſquã me deſpectam habebit: quin & Angeli valdè me honore afficient.

Incarnatio.

Itaq;, ſponſa verbis hiſce aduentum Chriſti in mundũ poſtulat per humanę naturæ aſſumptionẽ. Et in hoc vltimo capite huius epithalamij idipſum obnixè petit, quod aliis verbis in primo capitulo expoſtulauit: Oſculetur me oſculo oris ſui. Enimuerò ſancta Eccleſia, tũ ex patribus antiquis, qui in vetere teſtamẽto fuere, tùm etiã ex patribus noui conſtat. Quas ob res ſatis ſapienter nunc ſponſa de ſpõſo affatur tanquã pręſenti: vt eſt illud: Tenui eũ, nec dimittã: nunc autem ſe vocat ipſum quaſi venturũ. Eſt ergo vox

Cant. 1.

go vox hæc priſcorum patrũ,vehementer cupientiũ aduentum Meſsiæ, in quo ſolo ſalus totius mundi ſita erat: iuxta illud:Non eſt aliud nomẽ nobis datum ſub cælo,in quo oporteat nos ſaluos fieri. Vbi notandũ,quòd Saluator triplicẽ matrem habuit,quarum vbera ſuxit:humana natura,quã induit, quaſi mater eius fuit,atq; nutrix : nam de Virgine Maria homo factus eſt filius Dei:deindè ſynagoga mater eius eſt, eo quod ex populo Hebræo natus. Vndè Apoſtolus ait:Qui natus eſt ex ſemine Dauid ſecũdum carnem. Ab hac matre educatus fuit Chriſtus. Tandem ſingularíſsimo priuilegio alma Maria,quæ illum cõcepit, Spiritu ſancto cooperãte,ipſum abſq; dolore peperit,in Bethlehẽ, virgineoq; ſuo lacte aluit. Vndè pulchrè mulier illa ſonora voce cantauit:Beatus venter qui te portauit,& vbera quę ſuxiſti. Quod autẽ foris appetit,eũ inuenire,eò tẽdit,vt qui in ſinu patris ab æterno erat,palàm appareret homo factus. Deũ nemo vidit vnquã (ait Ioannes) ſed qui eſt in ſinu patris,ipſe nobis narrauit. Nec non & ipſe Dñs clamat:Exiui à patre,& veni in mundũ :perindè dicat:Qui tot retro ſeculis quaſi abſconditus erã,ecce homo factus inter homines cõſpicuus appareo:iuxta vaticinium illud. In terris viſus eſt,& cum hominibus conuerſatus eſt. Ecce ſponſa oculis ſuis ſpõſum intueri affectabat,vt eum oſcularetur,& brachiis ſuis amplexaretur amoroſiſsimè. *Et nemo me iam deſpiciet.* Planè ante Chriſti IESV aduentum ob peccatũ primi parentis genus humanum ſub creatoris ira iacebat. Quid quòd diabolus ipſe homines pro nihilo pendebat? Vndè merito Regalis Propheta vociferabatur: Miſerere noſtri Dñe , miſerere noſtri,quia multum repleti ſumus deſpectione,quia multum repleta eſt anima noſtra opprobrio. Mira res, Chriſto IESV aduẽtante,dæmõ foras eiicitur,& præ angelis honoratiſu-

Marginal notes: *Acto.4.* — *Rom.1.* — *Lucæ.11.* — *Ioan.1.* — *Baruc.3.* — *Pſal.122.*

ti ſumus, vbi verbũ caro factũ eſt, & habitauit in nobis.
Hebr.2. Mira res, quòd nuſquam Angelos filius Dei apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit. En quanti nos facere Saluator dignatus eſt, qua vtique excellentia, non ſolùm dæmoniis iam tremendi ſumus, qui olim nobis ipſis erãt formidabiles, verùm etiam Angelis amabiles ſumus ef-
Gene.18. fecti. Quique quondam tempore Abrahæ, & Ioſuæ ab hominibus ſe adorari ſinebant: at poſt Chriſti IESV be-
Apoca.19. nedictum Aduentum, conſeruos ſe appellãt, & adorationem ſuſtinere nollunt: quemadmodũ in Apocalypſi legimus. Mirabile dictu, Angeli tunc temporis principes vocabantur, nunc autem conſerui fidelium ſe fore dicunt eorum, qui teſtimonium IESV habent. Confirmat, quæ dicta ſunt, ſententia beati Gregorij dicentis.

S. Grego. In veteri lege Eccleſia Chriſtum exoptabat, & in ſecreto patris manẽtem foras venire per carnem ad humanos oculos, non mediocriter cupiebat. Vnde Dauid dicebat: Exurge Domine, ne repellas in finem. Et iterum: Inclina
Eſai.64. cælos & deſcende. Necnon & Eſaias clamitabat: Vtinã diſrumperes cælos, & venires. Vult ergo ſponſa inuenire ſponſum foras, & deoſculari, quia concupiſcit ſub lege poſita, vt per carnem appareat, quo per amorem ei ſeruiat, cui priùs nõ accepta gratia, plus timore quàm amore ſeruiebat. Poſt cuius oſculũ à nemine deſpicitur: quia poſtquam Chriſtus venit, & fidelibus ſuis ſpiritũ libertatis infudit, ab ipſis Angelis Eccleſia honoratur. Hinc eſt, quòd Ioſue Angelum adorauit. Ioanni verò volenti ſe adorare, dixit: Vide ne feceris: conſeruus tuus ſum, & fratrum tuorum, habentium teſtimonium IESV. Sed quia venientem Eccleſiã ſuſcepit, ſynagoga repulit, quæ iterũ eum in fine mundi ſuſcipiet, & amabit, eam ob rem ſequitur,

Appre-

APprehendam te, & ducam in domũ matris meæ, & ibi me docebis, & dabo tibi poculum ex vino conditum, & muſtum malorum granatorum meorum. Sic ferè in omnibus tribus linguis.

SENSVS eſt: Si te ſponſę mi inuenero foris, iamque in mundo factus homo apparueris, in domum matris meæ conabor te introducere (nam mater tua benedicta Maria communis mater omnium eſt longè meliùs quã Eua, quippe quę interfecit filios ſuos delinquẽdo) ibi docebis me tuam facere voluntatem, meam verò prorſus relinquere: iuxta illud quod obnixè Dauid poſtulabat: Domine ad te confugi, doce me facere voluntatẽ tuam, quia Deus meus es tu. Etenim voluntas tua Domine, recta & ſancta eſt, ita vt quicquid velis, iuſtum ſit oportet. Vinum conditum amorem vocat, ac ſi dicat: Sicut qui optimo vino inebriatur, ſic amore ardenti te ego diligẽs, inebriabo te. Nempè ex vinea, quam Noë plantauit, ipſe inebriatus eſt, & in tabernaculo iacẽs nudus erat, nec erubeſcebat. Ad eandem imaginem tu Domine, tanquã ebrius crapulatus à vino charitatis, in cruce nudatus pendens, ob nimiam tuam innocentiam non erubeſces vnquam. *Dabo* rurſus *tibi muſtum malorum granatorum meorum*, id eſt, deſideria martyrium pro amore tuo patiendi quotidie tibi offeram. Imò cuncta tormenta atrocia, quę omnes Sancti ad gloriam nominis tui paſsi ſunt, pro te obire opto,

Pſal. 142.

Gene. 9.

Figura.

Pollicetur ergo ſponſa perpetuam adhæſionem ſponſo Christo, ad conſumationem ſeculi vſque, modò ipſe ſe fratrem oſtendat. *Introducam te in domum matris meæ.* Non

Nota.

modò in hac vita te in domum matris meæ, quæ te peperit, ducam te, ſed in ciuitatem Hieruſalem cælicã, quæ eſt mater noſtra, audeam te introducere, quo inibi ſemper tecum ſim. Alluſio eſt ad illud, quod ſupra dixerat: Tenui eum, nec dimittam, donec introducã eum in do-
Cant. 3. mum matris meæ. Cæterùm, *ibi me docebis.* Hoc eſt, tunc ore ad os mecum loqueris, quippe qui olim multipharie,
Hebr. 1. multiſque modis loqui in prophetis ſolebas: tunc inquã homo factus, ore tuo ſacro erudies me, pleniſſimè lo-
Ioan. 16. quẽs, quæ credenda, & quæ agẽda ſunt. Quin & poſt aſcẽſum in cęlos Spiritũ ſanctũ tuum mittes qui me doceat omnem veritatem, ſuggeratq; mihi, quæcũque tu in hac mortali vita docuiſti. Vinum conditum vulgo Hypocraticum vocatur, quod vinum optimum eſt, & guſtui ſuaue. Vel per vinum conditum ſiue cõfectum, dilectionem
Nota. ſanctam cum operatione intelligamus. Niſallor, operationes, quæ ex charitate conſurgunt, veluti ſpecies aromaticæ ſunt, quibus dilectio ipſa conditur. At actus aliarũ virtutum ſine charitate vinum inſipidum ſunt. Plenitudo le-
Rom. 13. gis eſt charitas, ait Paulus. Deniq; muſtum granatorum pia deuotio vocatur, quæ Deo ſatis grata eſt. Vel ſi lubet, vinũ conditum cõtemplatiui cum Magdalena ad pedes Chriſti exhibẽt Dño: muſtum granatorum actiui prębẽt, cũ Martha laborantes. Muſtũ quidem turbulentum eſſe ſolet. Delectatur ergo ſpõſus nõ modò cõtemplatione orthodoxorũ, ſed deuotione & muſto actiuorũ, qui proxi-
Matt. 25. mo inſeruiũt, Alioqui non diceret: Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Ecce quantũ meriti ſortiantur, qui laborioſa operatione verſantur, ob gloriã Chriſti, & proximorum ſalutem, quos ſanè ſanguine ſuo redemit.

S. Grego. Atqui, ſanctus Gregorius de ſynagoga, quæ in fine mundi creditura eſt in Chriſtum, hęc exponit. Hæc ſanè

pro-

promittit introducere Chriſtum in domum matris ſuę, quæ ipſam genuit per prædicationem Euangelij, dicente Paulo: Per Euangelium ipſe vos genui. Vinum conditū, quod ſponſo dare pollicetur, doctrina ſana eſt, ex vtroq; teſtamento compoſita: ſic planè quaſi vinum optimum condiet. Muſtum verò malorum granatorum ſponſo ſatis ſuaue, exempla Martyrum ſunt, quæ nimirum fideles roborant, ne tempore tyrannorū vel Antichriſti in certamine ſuccūbant. Hæc in ſententia ſanctus Gregorius. *1. Cor. 4.*

Alij domum matris intelligunt ſcripturā ſacram: cuius myſteria atque arcana, tanquam penus, vel promptuariū habetur: in qua fidelis anima ſæpè cum cæleſti ſponſo clam meditatur, & loquitur, in eaque ſanctiſſimè reficitur. Potatur quidem ſponſus à ſponſa, cum ab eius filiis liquore ſanctimoniæ, atque virtutum laudatur in terris, cùm timetur à bonis, colitur à iuſtis, deniq; prædicatur à ſanctis. Tunc enim vino aromatico, hoc eſt, myſteriis cæleſtium donorum, & ſanctitatis odore, proborum menti bus delectatur humani generis autor, & vices grati animi libentiſſimè admittit, gratanter & probat. Dubio procul niſi res ſic ſe haberet, non ſponſa inter brachia ſponſi obdormiret, vti ipſa depromit ſtatim, dum ait. *Sacra ſcriptura.*

L*Æua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Sic in omnibus tribus linguis.

AC ſi patenter dicat: Ego tunc, cū tātopere me amares, amore languerem, tu mihi languenti, more per fecti amici aſſiſteres, & læua tua caput meum ſuſtentaſti, & dextera tua amplexatus es me. Verùm capite ſecundo iam fuſiùs verba hæc expoſita ſunt. Veruntamē lubet nonnulla ſuper iis verbis loqui. Per læuam ſponſi præſens

tem-

tempus indicatur, per dexteram verò futurum, dicente ſcriptura: Longitudo vitæ in dextera eius, & in ſiniſtra diuitiæ & gloria. Vt ergo oſtendat ſe vbique curæ eſſe ſponſo, ab eoque nullo temporis puncto deſeri, ſed hîc defendi & conſeruari, & in futuro ſeculo numerandam
Not. eſſe prorſus, ideò ait: *Læua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Mira res: etiam iis verbis oſtendit caput ſuum eſſe Chriſtum, & ab eo bonorum omnium autore dona ſua omnia proficiſci: nihilque ſibi fore boni, vel terreni, vel cæleſtis, qui in hoc à ſponſo dilecto acceperit: eam ob rem ab illo ſanctiſsimè regi, paſci, defendique, & amplecti, & illuſtrari, per læuam ipſam, ſiniſtrãque palàm facit. Vndè ſcriptum eſt: Omne datum optimum, & omne donum perfectum de ſurſum eſt, deſcendens à patre luminum.
Iaco. 1.

S. Grego. Sanctus Gregorius partim nunc dicta confirmat, partim verò aliter loquitur. Leua Chriſti, ait, vita præſens eſt; dextera autẽ vita beata, caput noſtrum ſpiritualiter mens eſſe perhibetur. Dicit igitur ſynagoga, prædicatione Eccleſiæ iam conuerſa, imitatione ſubleuata, *Leua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me,* ideſt, quoniam nunc autem fidem teneo, eius ineffabilem gratiam experior, & quam deſiderare neſciebam dulcedinem ſentio. Iam terrena cuncta poſtpono, etiam ipſam vitam carnis pro eius amore contemno, & ad eius beatitudinem videndam toto deſiderio anhelo. Equidem quãdo ſancta anima menti ea, quæ videt, ſupponit, & ea, quæ non videt, omni conatu appetit, tunc læuam ſponſi ſub capite habet, & dextera eius eã amplexatur. O fœlicem animam, quam ex omni parte dilectio cæleſtis intra ſe retinet, & tuetur. Profectò qui tales ſunt cum Paulo ſeriò clamant: Conuerſatio noſtra in cęlis eſt. Nec non
Phili. 3.

in hac

in hac mortali vita aliquantulum beatitudinem experiũtur: de qua Saluator inquit: Beati mundo corde, quoniã ipſi Deum videbunt. Demus ergo operã, vt quod Regius pſaltes conſulit adimpleamus: Vacate, & videte, quoniã ego ſum Deus. Sanè quo ſine mundi ſtrepitu quidam viuunt, eo mentem in Dei viſionem, per deſiderium & cõtemplationem figunt. Quam verò ſponſo grata ſit hæc contemplatio, ſequentia indicant verba.

Adiuro vos filiæ Hieruſalem, ne ſuſcitetis, neque euigilare faciatis dilectam, donec ipſa velit. Hebraicè. *Adiuro vos filiæ Hieruſalem, quid excitabitis, & euigilare facietis dilectam, vſquequo complacentiam habebit?*

LATIVS hæc uerba capite ſecũdo expoſita lector prudens inueniet. Eam ob cauſam, quandam editionem referam, quæ aliquid noui præ ſe ferre videtur. *Adiuraui vos filiæ Hieruſalem in virtutibus agri, vt exuſciteтis, & euigilare faciatis charitatem, donec velit.* Moræ impatiens ſponſa tardiore aduentu ſponſi, & expectatione Spiritus ſancti angitur. Ob idque vel adiurando ſanctorum animas ad voluntatem ſponſi flectendam, excitandamque, ſponſa quaſi deprecatrices orat, vt tandẽ aliquando charitatem ipſam, hoc eſt, Deũ, qui charitas eſt, in nos effundat, ac firmet, donec nos aſſumat, & ſecũ velit eſſe. Vndè Dauid aiebat: In vmbra alarum tuarum ſperabo, donec tranſeat iniquitas. Tũc planè nos præterit iniquitas, cùm de hac mortali luce & lachrymarũ valle eripi digni fuerimus, cum Deoque viuere, & regnare nobis contigerit.

Alia editio.

Pſal. 56.

Interim

Interim rogandus eſt Deus,rogandi ſunt beatorum ſpiritus,qui cum ipſo fœlicißimè regnāt,vt quàm celerrimè, & quàm optimè ſi fieri poteſt,nos iis malis eripiat, ſuaq; dignatione in ſe ſtabiles reddat,quo de nobis,quæ ſequũtur,dici poſsint.

QVæ eſt iſta,quæ aſcendit de deſerto deliciis affluẽs,enixa ſuper dilectum ſuum? Hebraicè. *Quæ eſt iſta aſcedens de deſerto, aſſociata cum dilecto?*

EX his ſponſa planè oſtendit,ſe iam exauditam à ſpõſo ſuo Chriſto IESV,in iis quæ ſuprà petierat,dicẽs: Veni dilecte mi egrediamur in agrum.Qua propter vt videtur ſibi compos voti ſui facta,egrediens extra Hieruſalem in campum,ideſt,ad Gentes, & ad metropolim earum vrbem Romam vnà cum ſuo dilecto, ſtupida facta ſponſa de tanto ſibi à ſponſo Chriſto collato beneficio, ſe ſe ſupra modum humilians,& quaſi gratias agens, loquens de ſe ipſa in tertia perſona cum maxima ſuæ fœlicitatis admiratione inquit: *Quæ eſt iſta,quæ aſcendit,de deſerto deliciis affluens, enixa ſupra dilectum ſuum?* Perindè dicat: Quid ſum ego?& vndè pro merita tantum beneficium, vt aſſociata dilecto meo Chriſto aſcendam de deſerto?ideſt,de deſerta & deſolata Hieruſalem?Nam vocat Hieruſalem deſertum ab effectu. Verum in ea fuit Sal
Matt.23. uatoris vaticinium impletum:Amẽ dico vobis, relinquetur domus veſtra deſerta. Quod re ipſa contigit Veſpaſiano & Tito aduenientibus,quique totam deuaſtarunt ciuitatem.Primò à deſerto aſcendit,quando duce Ioſue deſertum relinquens in terram promiſſam intrauit:ſecundò aſcen-

dò aſcendit de Hieruſalem, & venit fugiens ad Gentes, quarum domina facta eſt, duce Chriſto IESV, cuius typum ille gerebat.

Alij aliter hunc locum explicantes comitum ſponſi, id eſt, Angelorum admirationem hanc fore aſſerunt. Vidēt decorem Eccleſiæ, potiſsimè iuſtorum veteris ſynagogæ iam cū Chriſtò regnantiū, & vehementer admirati interrogāt: *Quæ eſt iſta quæ aſcendit de deſerto?* Eſt quidem inſtar deſerti mundus hic, infœcundus, ſterilis, nil habens ſolatij, ſed omnis laboris plena. Vndè Salomō teſtatur: Vidi cuncta, quæ ſub ſole fiunt, & omnia vanitas & afflictio ſpiritus. Quin & peculiariter Gentilitas ipſa deſertū vocatur, eo quod ſine cultu vnius Dei erat. Eā ob cauſam quaſi à Deo deſerta iacebat. Eratis ſine Deo in hoc mundo, ait Paulus. Sed de iis capite tertio vberiùs diximus, vbi ſic habetur. Quæ eſt iſta quæ aſcendit per deſertum. **Nota.** **Eccle. 1.** **Cant. 3.**

Cæterum deliciis affluit ſponſa de deſerto aſcendens: nam dona virtutum, & ſpiritualium gratiarum, delicias aptè ſignificant: iis ſanè deliciis Eccleſia ſancta abundat, adeò vt Paulus dicat: Diuites facti eſtis in illo, in omni ſcientia, & virtute, ita vt nihil vobis deſit in vlla gratia. Ecce quàm ſit Eccleſia à Chriſto ſponſo ditata. Regina Heſter pauper erat, tamen Aſſuerus Rex, qui eam duxit, ſubindè ornamentis pretioſis, & monilibus eam ditauit. Ad eandem imaginem, Rex regum & Dominus dominantium Chriſtus, vbi deſponſauit Eccleſiam magnis diuitiis diuitem fecit, vt ſponſam tanti Regis decet. Dat nimirum magnificus ſaluator affluenter, & non improperat vnquam: ſicuti Iacobus conteſtatur. **1. Cor. 1.** **Iaco. 1.**

Enixa ſupra dilectum ſuum Ecce non peculiari virtute ſponſa Eccleſia ad ſuperna aſcendit, ſed per auxilium ſponſi ſui vnicè dilecti. Huc attinet, quod Saluator dixit:

Ioan.3. xit: Nemo aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit de cælo,filius hominis,qui eſt in cælo.Enimuerò,niſi capiti noſtro per fidem & charitatem vniti, cælum conſcendere non valemus.Oportet ergo,vt illi enitamur:qui ouem perditam venit quærere & inuentam humeris ſuis impoſuit,& ad caulas ouium ſuarum reduxit.Ni fallor,errabũda illa ouis ad Angelorum conſortia non aſcẽdiſſet,niſi paſtoris boni humeris innixa.Innititur vtique dilecto,nõ ſibi ipſi,ſuam fragilitatem prorſus agnoſcens,clamatque indeſinenter cum Propheta:Miſerere mei Domine, quo- *Pſal.6.* niam infirmus ſum,ſana me Domine,quoniam conturbata ſunt omnia oſſa mea:& iterum:In te Domine ſpera- *Pſal.30.* ui non confundar in æternum.Eodem attinet quod Dominus in Euangelio ait:Sine me nihil poteſtis facere. Væ *Ioan.15.* de quibus ſcriptum eſt: Confiditis in baculo arundineo conquaſſatũ Ægypti.At contrà,ſponſa ſuper dilectũ ſuũ, qui virtus Dei iure dicitur,enixa aſcẽdit. Aduertendum, *Nota.* quàm exactè,tàm ſummi numinis gratia,quàm facultas liberi arbitrij verbis his oſtenditur.Ipſa quidem aſcendit, non ſimpliciter ſurſum fertur, quod eſt merè patientis, ſed aſcendere dicitur,quod peculiarè eſt operanti, & laborem aliquem adhibenti.Ecce operatio humanæ libertatis,quæ ſuum impendit conatum. Vt autem dictum eſt,ſuper dilectum aſcendere,palàm principalis operatio gratiæ Dei indicatur. Sic planè ad ſuperiora gradimur, Domino nos adiuuante,& vnà pro noſtra virili ſtudiosè nobis conantibus, & in mandatis eius verſantibus. Sic profectò de hoc infœlici ſcalentique deſerto,ad patriam cæleſtem aſcendimus.

Quidam admirationem hanc Apoſtolorum eſſe dicunt:quique videntes hanc fœliciſſimam ſponſam aſcẽdentem de baptiſmatis fonte, & Spiritus ſancti gratia lotam

tam,ac firmam,non habentem maculam, neque rugam, hinc admirabilem candorem eius admirantes, non valent ſe cōtinere, quominus clament: *Quæ eſt iſta quæ aſcēdit*,id eſt,quæ Chriſtum immobile fundamētum habet. Sanctus Gregorius etiam de qualibet anima pia hoc explanat. Eccleſia ſancta, ſeu quælibet anima de deſerto aſcendit, quia in exilio huius peregrinationis poſita ad gaudia cæleſtia mente, & cogitationibus tendit. Qua propter Paulus dicebat: Noſtra conuerſatio in cælis eſt: vndè & Saluatorem expectamus, Dominum noſtrum IESVM Chriſtum. Deliciis affluit,quia ſanctæ ſcripturæ meditationibus intendens,cæleſti pabulo aſſiduè mēs paſcitur. Super dilectum innititur, quia in ſolius Chriſti auxilio confidens, eo largiente, ab exilio ad patriam transfertur. Vndè verò acceperit,vt ab infimis ad ſuperiora,à deſerto ad regnum aſcendere poſſit,manifeſtat dilectus,cùm ait. Phili. 3.

SUb arbore malo ſuſcitaui te, ibi corrupta eſt mater tua,ibi violata eſt genitrix tua: Hebraicè. *Sub arbore pomo ſuſcitaui te, ibi peperit te mater tua, ibi parturiuit te genitrix tua.*

PETIERAT ſanè ſponſa paulò ſuperiùs ſponſi ſui aduentum in carnem,cuius promiſſionem multis retro ſeculis ex patribus habebat: nec non & pro magno pietatis opere hoc ſibi ab illo impleri poſtulabat, quo tanquā fratrem illum haberet. At Dominus, vt pote benignus,plus pollicetur, quàm ſponſa ipſa poſtularat. Enimuerò ſubire crucis ſupplicium vltrò promittit, pro totius mundi ſalute. Vndè perſpicuum eſt illud Pauli:

Ephe.3. Qui potens eſt omnia facere abundāter, quàm petimus, aut intelligimus. Longè plus eſt ignominioſam crucis mortē pati, quàm carnem noſtram aſſumere. Vocat ſpōſus ſanctam crucem arborē malum, eo quod ſatis frugifera fuit crux, in qua totius mundi ſalus facta eſt, & omnia facinora hominum penitus ſoluta. Quod autem de præterito loquitur, ceu iam factum, quod erat futurū, ſcripturæ moris eſt, vt paſſim in oraculis prophetarum legimus. Rurſus, hoc pacto paſſionem ſuā futuram ſubindicauit, ob maiorem exhibendi beneficij certitudinē. Nō minus certa ſunt, quę ab ipſa veritate prędicuntur futura, iis quæ rēipſa ſunt exhibita. Sub hac arbore nobili, atq; pretioſa Chriſtus Eccleſiā ſuſcitauit: nā in ea ſponte pēdens, & cæleſtis patris obedientiā implens, cuncta noſtra errata ſanguine ſuo ſacro diluit. Vndè Petrus ait: Qui peccata noſtra in ſuo corpore pertulit, ſuper lignum. Quam ob cauſam hunc mirabilē modum redemptionis noſtræ elegerit, iam inſinuat. *Ibi corrupta eſt mater tua, ibi violata eſt genitrix tua.* Hoc eſt, quia per lignū, & quaſi ſub ligno mater tua natura humana perierat, per inobedientiam veteris Adę: volui ego nouus Adā per lignū operari reſurrectionē generis humani. Equidē ad maiorē diaboli deiectionē ita oportebat fieri. Ille per fructum arboris vitę vicit, & rurſus per arborē à filio Dei victus eſt. Sic geſtum eſt, vt qui in ligno vincebat, in ligno vinceretur. Itaq; vndè hoſtis cruentus læſerat, medelam ſpiritalem nobis abſtulit Chriſtus.

Nota de Cruce.

1. Petri. 2.

Alia expoſitio. Aliter ſententia hæc per exprobrationem ingratæ ſynagogæ exponitur. Sub arbore crucis ſynagoga, ex qua illa proceſſit, corrupta eſt & violata, nā ibi opprobrium ſempiternū promeruit, quando Meſſiā patribus ſuis tātopere deſideratū, nedum non Iudæi receperūt, ſed morte

turpiſ-

turpiſſima condẽnauerunt,dicẽtes Pilato:Crucifige,crucifige eũ.Quas ob res Hebręi inter omnes gẽtes miſerabili in exilio diſperſi iacẽt, conculcanturq́; ab omnibus terrę nationibus: adeò vt maledictio illa ore ipſorũ prolata adimpleta ſit alto Dei cõſilio:Sãguis eius ſit ſuper nos,& ſuper filios noſtros. O crudeles patres;qui tantùm malũ imprecati ſunt filiis ſuis.

Quod autẽ ex Hebręo attulimus(*Ibi genuit te mater tua, ibi parturiuit te genitrix tua*) rectè poteſt intelligi de difficultate,& modo duriſſimo redẽptionis humanę,per matrẽ intelligendo vlceroſam pietatẽ diuinę miſericordiæ, quę ceu mater piẽtiſſima nos perditos, reparauit,& Deo gignere dignata eſt.Ecce mater,quę in cruce Eccleſiã genuit,parturiuitq́;, non abſq; ingenti dolore humanitatis Chriſti. Nónne Dñs ſe laboraſſe dicit in ſuſtinẽdo peccatores?Laboraui ſuſtinẽs,ait:& iterũ: Laborare me feciſtis in peccatis veſtris.Rectè ergo pater dicere poterit nimiũ laborem habere,dum propriũ filium tradidit propter iniquitates noſtras,Profectò in dolore cordis & corporis,in cruce orta eſt Eccleſia,& ibi Chriſtus peperit, ac parturiuit ſponſam ſuã Eccleſiam,ſanguine redẽptam, &aqua, quę de latere eius largiſſimè fluxerũt. Verùm, vt ſanctus Gregorius aſſerit,in hac arbore ſancta malus ille ſedit,de qua ſpõſa iam dixerat:Sicut malus inter ligna ſiluarũ, ſic dilectus meus inter filios. Ibi ſuſcitauit nos,moriẽs,& tertia die reſurgẽs,vt cum eo in nouitatẽ vitę,ipſi ſurgamus. Ideò clamat Apoſtolus:Si conſurrexiſtis cũ Chriſto,quæ ſurſum ſunt quęrite,vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedẽs. Cæterùm ibi violata eſt ſynagoga,quando nefando ſcelere ſe corrupit,autorem vitæ crucifigens. Sed quoniam ad hoc cæcitas in Iſraël facta eſt,vt plenitudo gentium intraret,ideò intranti Eccleſiæ dicitur.

Nota. Eſai.1. S.Grego.

P*One me vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum.* Hebraicè. *Pone me vt ſigillum ſuper cor tuum, vt ſigillum ſuper brachium tuum.*

RECTE poſtquam ſponſus opus redemptionis narrauit dicẽs: Sub arbore malo ſuſcitaui te, ideſt, in cruce pendens te ſponſam aſſumpſi, & vitam ſpiritalem tibi impẽdi: nunc ſponſam alloquitur, vt pro gratitudine, & viciſsitudine caueat, ne tanti beneficij gratiã obliuiſcatur. Sanè Sapientis ſententia ſatis notanda extat: Gratiam
Eccle.29. fideiiuſſoris tui ne obliuiſcaris: dedit enim pro te animã ſuam. Sanè fideiuſſor noſter Saluator eſt, quique debita noſtra in cruce perſoluit, & nos Deo patri reconciliauit.
Rom.5. Hinc Paulus inquit. Commendat autem ſuam charitatem Deus nobis, quoniam quùm adhuc peccatores eſſemus, ſecundum tempus, pro impiis Chriſtus mortuus eſt. Huius beneficij gratiam ſemper vult ſponſus, ſpõſam ſuam in corde geſtare. Eam ob cauſam indelebiliter, tanquã ſignaculum, ſeu ſigillum præcipit, vt tã in corde, quã in brachio ipſum portet. Mira res, ſponſus Eccleſiam corde & opere adamauit, & ſicut ſigillum ſuper cor ſuum, & brachium portauit: & ideò ab ipſa idem obſequium
Eſai.49. iure poſtulat. De interno amore ipſe dixit. Si mater infantem ſuum oblita fuerit, ego autem tui non obliuiſcar. Et ne de operibus, quæ dilectionẽ afferere ſolent, quis ambigat, ſtatim ſubnectit: In manibus meis ſcripſi te, hoc eſt, amore tuo omnia opera feci: propterea ius erit, vt viciſſim tu me in corde & brachio ſemper geras, cogitationes omneis, & opera in laudem & gloriam meam faciens. Quid obſecro iuſtius, atque prorſus vtilius,

ſuauiuſq;,quàm hoc obſequium impendere ſpōſo Chri-
ſto IESV? Ni fallor conuerſatio noſtra, omneſq; actio-
nes eò tendere debent,vt Saluator noſter palàm reluceat
in nobis. Alioqui Paulus non diceret Corinthis: Nō eſtis
veſtri,empti enim eſtis pretio magno:glorificate & por-
tate Deum in corpore veſtro. Siquidem glorificare Deū 1.Cor.6.
ad mentem attinet,fide & charitate cādidata: ad corpus
autem externa opera pertinent, quippe quæ in mandatis
ſummi numinis adimplendis facimus: & ſic in vtroque
homine portamus regem noſtrū Chriſtum, iuxta dog-
ma Pauli nuperrimè aductum. Eodem expectat, quod
ad Romanos ſcripſit:Induimini Dñm IESVM Chri- Rom.13.
ſtū. Itaq; ſi omni librata ratione rem hanc cōſideramus,
quod ſapiens admonet, ne obliuiſcamur gratiam fidei-
iuſſoris noſtri, quia dedit animam pro nobis, & quod
Apoſtolus hortatur,vt glorificemus Deum, & in corpo-
re noſtro ipſum portemus; vel Chriſtum Dominum in-
duamur:hoc ipſum compendio ſponſus enarrat, dicens:
*Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum,vt ſignaculum ſuper
brachium tuum.* O fœlicem virum,qui mores & vitam ſe-
cundum præcepta Chriſti inſtituit,is planè mādato eius
facit ſatis,& ſuper cor,& brachium redemptorem geſtat.
Huc nimirum expectat, quod ore ſuo ſacro dixit: Qui
vult venire poſt me,abneget ſemetipſum, tollat crucem Matt.16.
ſuam,& ſequatur me. Nónne ſequi Chriſtum, veſtigia &
illuſtria facinora eius imitari eſt? Etenim qui Chriſtum
nō ſequitur,ſatanam ſequatur neceſſum eſt,& ideò Chri
ſto non erit dignus.

Nec defuere,qui ſponſam loqui dixerunt, obnixè ro-
gans,vt ſponſus eam habeat ſuper cor,& ſuper brachium
tanquam ſignaculum,vel ſigillum, vt ſit ſenſus: Dñe mi,
vbi pro delictis meis mortē acerbiſſimā in cruce ſubire

dignatus es, & inibi me ſuſcitaſti, precor te ſuppliciter per hanc tuam ineffabilem charitatem, vt poſt hac colloces me ſuper cor tuum, & ſuper brachium tuum, ita vt nullatenus mei obliuiſcaris, quam tanto tamque ineſtimabili pretio in libertatem aſſeruiſti: nam dilectio, qua me amaſti fortis eſt, vt mors: imò fortior morte eſt, eo quod dilectio illa mortem ipſam ſuperauit, ac prorſus proſtrauit. Sed quia doctores ſponſum loqui dicunt, non autem ſponſam, ideò expoſitio prima plus mihi arridet. Hinc diuus Gregorius ait: Super cor ergo, & ſuper brachium ſponſæ dilectus ponitur, quia in ſancta anima, quantum ab eo diligatur & voluntate, & actione deſignatur. De
Ioan.13. quo ſigno ipſe ſponſus diſcipulis ſuis aiebat: In hoc cognoſcent omnes, quòd diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem inuicem habueritis. Atqui, ne durum, aut impoſſibile videatur vlli Chriſtianorum; equidem charitas Dei, ac proximi nihil graue exiſtimat, nihil intolerabile veretur, ſed omnia facillima habet, & iucunda, dicen-
S. Auguſt. te beato Auguſtino: Nihil difficile amanti. De hac mirabili dilectione nunc ſequitur.

5 *QVia fortis eſt vt mors dilectio, dura velut infernus æmulatio, lampades eius lãpades ignis atque flammarum.* Græcè. *Volatilia eius, volatilia ignis flammæ eius.* Hebraicè. *Carbones eius carbones ignis, flammæ fortis.*

RATIONEM efficacem ſponſus exhibet, quare ſic petierit poni tanquam ſignaculum ſuper cor

ſponſæ,

ponſæ, & ſuper brachium. Nepe abſque mucrone amoris; fragilis & excors eſt mens ad obeundas controuerſias diaboli, & perferendas calumnias, & tentamenta hominum. At contrà, anima Dei dilectione fulta, & charitate perfecta roborata, cuncta æquanimiter fert, & quàuis immania, & atrocia pro Christi honore, ne dum patienter, ſed quod plus admirationis habet, ouanter ſuſtinet. Exemplo nobis eſt Apoſtolus, dicens: Superabundo gaudio in tribulationibus meis. Equidem ſermo hic emphaticus eſt, & inſignem habet energiam. Ac ſi dicat: Non qualicunque gaudio, aut mediocri lætitia ſum affectus in calamitatibus, quas paſſim patior pro Christi nomine, ſed ingenti exultatione exhilaratus animus meus gliſcit, adeò vt aliis de gaudio meo impartiri poſſim. Huc expectat, quod in Apoſtolorum actis memoriæ proditum eſt: Ibant Apoſtoli gaudentes, à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine IESV contumeliam pati. Vnde tanta, tamque mirabilis fortitudo in diſcipulis Domini, niſi ex magna dilectione fuit oborta? Ecce dilectio inſtar mortis fortis eſt, & amãtes leonibus ipſis fortiores efficit. Mirabilis res, tàm eſt fortis charitas, vt puellas teneras gigantes reddat. Hinc diua Catherina, ſancta Agnes, aliæ complures virgines ſqualentes carceres, verbera, ſartagines, innumeraq; tormenta alacri fronte ſuſtinebant, tyrannos atque minas eorum pro nihilò pendentes, toto corde Christum IESVM laudantes, necnon ſonora voce eum confitentes. Hinc omnes aduerſarij ſtupebant, & virtutem ſummi numinis contemplãtes, idola vana ſua ſpernebant, clamantes: Christus IESVS verus eſt mundi Saluator, verusque Deus, & totius mundi conditor. Si ergo ſponſa ſecretũ, & cauſam audire cupis, quorſum tibi præcepi, vt

2. Corint. 7.

Act. 5.

Fortitudo martyrum.

mei memor ſemper ſis, vt ſignaculum ſuper cor tuum & brachium me geſtans. En ratio potiſsima, *quia fortis eſt vt*
Nota. *mors dilectio*, quam tu mihi debes, pro ineffabili amore, quo te prior adamaui, & pro ineſtimabili beneficio, quo te affeci, vbi per mortem meam te à morte perpetua liberaui. Hæc autem dilectio, quam à te exigo, nullatenus ſit tepida, aut remiſſa, ſed intenſa, valida, & efficax in more mortis: æmulatio, & zelus pro honore meo, non tenuis, ſed fortis eſſe debet, conſtans, & tenax ad inſtar inferni:
S. Auguſt. epiſt. 29. qui quos ſemel accipit, nunquam amittit. Placet nunc triplicem expoſitionem narrare, vti in quadam epiſtola ſanctus Auguſtinus litterarum calentiſsimus pertractat. Vnde Deus colitur, niſi ex charitate? Magna virtus eſt charitas, quia finis præcepti. Merito dicta eſt fortis ſicut mors (ait doctor iſte) ſiue quia nemo eã vincit, ſicut nec mortem: ſiue quia in hac vita vſque ad mortem menſura eſt
Ioan. 15. charitatis, dicente Domino: Maiorem charitatem hac nemo habet, quàm vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis: ſiue potiùs quia ſicut mors animam auellit à ſenſibus carnis, ſic charitas à concupiſcentiis carnalibus. Sanè trifaria hæc expoſitio vehementer adnotanda eſt. Verùm mortem nemo hactenus vicit: nam ſtatutum eſt hominibus ſemel mori, & poſt hoc iudicium, Apoſtolo
Hebr. 9. teſte: & in Pſalmo legimus: Quis eſt homo, qui viuit, & nõ videbit mortem? id eſt, nemo naſcitur niſi morti obnoxius, quia propter peccatum mors; Solus Chriſtus Deus & homo mortem ſua morte ſuperare potuit. Ad eandẽ imaginem dilectio inuincibilis eſt, vti iam meminimus. Secundò charitas fortis vt mors nuncupatur; eo quod eius perfectio in mortem, quam quis pro Chriſto patitur oſtenditur, quemadmodum Saluator teſtatus eſt. Tertiò eã ob cauſam dilectio vti mors fortis appellatur, & quidẽ

recte

recte: quoniam ſicut mors aufert animam à corpore, ita dilectio Dei ſeparat mentem à ſenſibus. Alioqui Paulus non diceret: Viuo iam non ego, viuit verò in me Chriſtus. Ecce quàm potens ſit Dei dilectio, & quàm potenter auferat animã à ſenſibus. Planè charitate vulnerata mẽs, non iam ſibi viuit, ſed mundo, carni, & peccato mortua, Chriſto dumtaxat viuit, quippe qui pro ea mortuus eſt. O fœlicem virum, qui ſalutari amoris Dei incẽdio mortuum, ſeparatus eſt à mundo, ita vt nec ei libeat, quæ ſeculi delectabilia ſunt cogitare. Imò nec propriam vitam amet, ſed cum Apoſtolo clamet, deſiderium habens diſſolui, & eſſe cum Chriſto: is, ni fallor, cuncta viſibilia bona, vt ſtercora, arbitratur, vt Chriſtũ IESVM lucrifaciat. En quã valida ſit ſancta dilectio, quãque perſimilis morti, cui reſiſtere nemo quamlibet fortis valet. *Gala. 2.* *Phili. 3.*

Dura velut infernus æmulatio. Zelus bonus & æmulatio ſancta diuinam conſequens dilectionem, non molis eſt, aut flacida, ſed rigida, ac tenax propoſiti, ſicut infernus durus & inflexibilis eſt: adeò vt quod ſemel apprehenderit, nunquã dimittit: nec violentia, neque precibus poteſt cogi, ita vt quos tenet exhibeat. Talis ſit ſancta æmulatio oportet, in iis, qui verè Chriſtum diligũt, vt nullatenus ſe patiantur ab eo quod apprehenderint, ſeparari. Verùm ab obediẽtia legis Dei, cui ſemel ſe deuouit, & à fide, ſpe, & charitate deuiare nemo debet, & ſi millies mortem ſuſtinere contigerit. Hinc Apoſtolus dixit: Quis nos ſeparabit à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto? tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius? Et ſubindè ſequitur: Certus ſum, quia nec mors, nec vita, neque Angeli, &c. poterit nos ſeparare à charitate Dei. Annotatu digna ſunt ſingula, nam hîc æmulatio ſancta natiuis coloribus depingitur; *Zelus ſanctus.* *Rom. 8.*

Tali zelo ardebat Helias, vbi dixit: Zelo zelatus ſum pro
3.Reg.19. domo Dei exercituum, quia dereliquerunt pactum Domini
filij Iſraël. Rurſus, Regalis vates eodem zelo tactus
aiebat: Zelus domus tuæ comedit me, opprobria exprobrantium
tibi ceciderunt ſuper me. Denique æmulatio-
Pſal.68. ne ſancta Phinees Hebræum & mulierem alienigenam
vnà interfecit: quem Deus optimus mirũ in modum cõ-
mendans ait: Phinees auertit iram meã, zelo meo commo-
Nume.25. tus. O quàm pauci hodie hoc ſalutari zelo exardeſcunt.
Enimuerò, vt infirmi leui verbo læſi vociferamur, & totis
niſibus vindictã ſumere nitimur: at quũ tot blaſphemiæ
(heu) quotidie in Deũ ab impiis proferãtur, nil nobis curæ
eſt. Oremus ſupplices Deum oportet, vt quod per Pro-
Eze.36. phetam pollicitus eſt, nunc adimpleat. Auferam cor lapideum
de carne veſtra, & dabo vobis cor carneũ & ſpiritũ
nouum ponam in medio veſtri. Nempè opus habemus
corde carneo, ablato lapideo, vt iniurię noſtrę obliti, ſummi
Dei offenſiones ſentiamus; idque fiet, ſi ſpiritũ nouũ
ipſe in medio noſtri poſuerit.

Lampades eius lampades ignis, atque flammarum. Alij ex Hebræo
faces, vel *tedas* legunt, quod ferè in eundem ſenſum
reddit. Sanè opera ex charitate prodeuntia, veluti faces
ſeu flammæ ignis ſunt. Hinc Dominus in Euangelio ad-
Matt.5. monet: Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videãt
opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrũ, qui in cælis
eſt. Ecce vel maximè operari nobis præcipit, & ſancta
opera patrare vt flammæ charitatis non deliteſcant, ſed
ad exemplum proximi appareant. Mira res, fatuę virgines
eam ob rem ad nuptias cum ſponſo nõ intrauerunt, quia
& ſi lãpades portabãt, ignis charitatis in eis minimè arde
bat: at contrà prudentes gratanter à ſponſo receptæ lãpa-
des ignis manibus ſuis habebant. Equidẽ vera dilectio la

tere nequit, ſed ſuapte natura per bona opera ſe pandit. Nemo poteſt ignem abſcondere in ſinu, quin ardeant ve- Prouer.6.
ſtimenta eius, vt probè aſſerit Sapiens. Quid quòd lampa des ignis corda ſanctorum ſunt? ignem illum ſanè geſtāt, de quo Dominus: Ignem veni mittere in terra, quid volo Lucæ.12.
niſi vt ardeat? Nónne lampas ardens ille præcurſor Dñi erat, qui vt lucerna ardebat, & lucebat? Ardebat planè in tus hoc igne cæleſti: lucebatque foris, auſterrimam pœnitentiam agens. O nimium fœlix anima, quæ igne amoris Dei accenſa, ſemper flammas euomere nō ceſſat, deſideria & vota flammantia diu noctuque Chriſto offert.

De inuidia Iudæorum verba hæc explicant: quorum S.Grego.
æmulatio tàm fuit dura aduerſus Chriſtum, vt eum ad inferos tranſmittere ſe putarit, eique ad mortem immiſericorditer inuidit. Quandoquidem vt infernus dura ęmulatio ſynagogæ extitit: nā ſicut inferus ſine miſericordia, quos tenet, cruciat: ſic Iudaica plebs Chriſtum apprehendens, ſine pietate ad mortem atrocem trahebat. Vndè lāpas eius vt ignis fuit, eo quod ſicut ille conſumit, ita Iudæos ab omni fidei virtute inuidia ſua deſtruxit. Sciebat enim Pilatus, quòd propter inuidiā tradidiſſent eū. Quā Ioan.19.
pulchrè ſcriptū eſt: Ignis nūc conſumet aduerſarios, hoc eſt, antequā ad æternū ignē veniant, in pręſenti cōſumuntur, quia intra ſe ignē inuidiæ portāt. Sed quia hinc ignis inuidię, hinc ignis charitatis ſe extulit, ideò ſubditur.

A*Quæ multæ nō potuerūt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.* Ita ferè in omnibus tribus linguis.

TRIBVLATIONES, & calamitates, quæ in mundo ſcaturire ſolent, aquis multis in ſacra ſcriptura

Pſal.143. ptura comparantur. Vndè orabat rex Dauid: Emitte manum tuā Domine de alto, eripe me de aquis multis, & de manu filiorum alienorum. Haud dubiè Saulis, & Abſalon perſecutiones aquas multas appellat, à quibus liberari non poterat, niſi Domino ſuffragante. Ait ergo ſponſa: Multæ ſunt calamitates, quas ſatanas excitauit contra me, nihiloſecius, quia fortis eſt vt mors dilectio, non potuerunt hunc ignem charitatis extinguere in me. Quin potius magis ac magis creuit dilectio tua in corde meo, ſicut faber ferrarius nonnullas aquarum guttas ſuper prunas immittit, quo flamma ignis accreſcat. *Simile.* Nec abs re Paulus dixit: Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Mirabile dictu, ęrumnæ, & aduerſitates omnes ad maiorem meriti cumulum electis proſſunt. Alioqui Propheta non ſeriò poſtularet, vt Deus optimus ipſum probaret, tentaretque. *Pſal.25.* Neq; alius toto clamaret pectore: Ingrediatur putredo in oſſibus meis, & ſubter me ſcateat, vt requieſcam in die tribulationis, ideſt, in die mortis, & aſcēdam ad populum accinctum noſtrum. *Habac.3.* Ingens ſane cōmodum nobis ex tribulatione oritur: nā ibidem, tùm fides, tùm ſpes, tùm deniq; charitas maximopere augetur. Hinc dementia inſignis tyrannorum palàm eſt, quippe qui nullum non mouent lapidem, vt Eccleſiam ſanctam perſequantur. Sanè nulla calamitas derimere poteſt piorum hominum charitatem, quos Spiritus ſancti vinculum copulauit. Fruſtra ergo laborant, & pellicere conantur eos, vt ad ſua praua deſideria pertrahant illos. Quàm exactè Apoſtolus dixit: Charitas nunquam excidit: profectò ſi perfecta eſt, magna operatur, & nulla aquarum copia, ideſt, nullis aduerſitatibus extingui poteſt, aut ſuffocari. *1.Corint.13.* Quod Paulus multa verborum amplificatione, & mira pronunciationis acrimonia oſtendit, ſcribens Romanis. *Roma.8.*

Beatus

Beatus Gregorius ſic inquit: Charitate quippe ſancti veraciter ardebant, quia in Dei proximiq; dilectione mirabiliter flagrabant: hanc tribulationes in eis extinguere non poterant, quia ad odium eos tranſmittere non valebant. Hinc nimirum eſſet extinguere charitatem, ſi tribulationibus, quas aduerſarij ingerebant, ad Dei aut proximi odium eos humiliare potuiſſent. Sed quùm aquæ dictæ ſint, quid rurſum per flumina, niſi ipſarum aquarum incrementa, & viuacitas intelligitur? Flumina quidem viuas aquas habere cognoſcimus. Flumina ergo maximas tribulationes accipimus: quæ dùm per totum orbem ſuper Martyres ebulierunt, ad extinguendum charitatis ignem, grandi impetu confluxerunt. Sed quia inter flumina adeò charitatis vigor vixit, ita vt potiùs flumina conſumeret, quàm ſe ab illis extingui permitteret: ideò multi etiam perſecutorum ad eandem charitatem ſe conuertebant: ita vt dimitterent quicquid in mundo poſsidebant, & ſe ipſos morti traderent, quam antea patientibus atrociter inferebant. Quod, ni fallor, in Paulo, & diuo Cypriano, atque pleriſque aliis conſpicuum eſt. Quanti autem facere debemus charitatem hanc, verba ſequētia pulchrè oſtendunt.

S.Gregor. Perſecutiones.

SI dederit homo omnem ſubſtantiā domus ſuæ, pro dilectione, quaſi nihil deſpiciet eam. Hebraicè. *Deſpicere deſpicient eum.*

SENSVS germanior huius ſententiæ hic eſt: Tanti pretij eſt dilectio Dei, quā hactenus prædicauimus, vt ſine cōparatione excedat omnes corporales diuitias, quamlibet pretioſæ ſint: adeò vt ſi quis poſſeſsiones, ſupellectilia quantumlibet ſplendida, pro dilectione ſancta cō-

paran-

parãda ſpreuerit,nihil dediſſe exiſtimet. Itaq; vox illa, *eã*, nequaquã pro dilectione,ſed pro ſubſtantia accipienda eſt. Quod lucidiùs ex originali Græco apparet. Huc ſanè pertinet,quod in Iob legimus de ſapientia:quam ille miris encomiis exaltat,variis comparationibus vtens. Scri-
Eccle.1. ptum eſt: Dilectiõ Dei honorabilis ſapientia. Ait igitur
Iob.28. Iob:Non dabitur aurum obrizum pro ea,nec appẽdetur argentũ in commutatione eius:nõ conferetur tinctis Indiæ coloribus,nec lapidi ſardonicho pretioſo, vel ſapphiro. Nec non & ſapiens, omne aurum in comparatione
Matt.13. eius arenam exiguam fore,teſtatur. Quin dilectio ſancta theſaurus ille eſt,in agro ſacræ ſcripturæ abſconditus:quẽ qui inuenit homo,abiit,& vẽdidit vniuerſa, quæ habuit, & emit agrum illum. Rurſus, margarita pretioſa eſt, qua inuenta,prudens negociator omnia ſua quaſi nihil pendens,eam tanquam theſaurum pretioſum comparauit. Væ autem eis,& iterum væ,qui tẽporaria bona præferũt charitati,& lucrum quærentes in arca,damnum & iacturam magnam habent in conſcientia. O proceres iniqui
Gene.25. Eſau,qui pro vili lentis edulio primogenita ſua vendunt,
Figura. & tam magna bona amittunt, Ille fruſtrà plorans, locum pœnitentiæ non inuenit:nec qui ſero poſt mortem impiè ingemiſcentes,benedictionẽ Dei cõſequentur. Quid plu
Iob.2. ra? Pro vita corporali pellẽ pro pelle,& omnia quæ habemus ſunt exponenda,vt ſatan verè dixit: quãto magis pro vita ſpiritali,quæ ſine charitate haberi non poteſt, cuncta viſibilia bona paruipendenda ſunt? Supereſt, vt poſt hac ad capeſſendam dilectionẽ ſanctã,nedum patrem & matrẽ,prædia & alia mundi bona nihilipendamus, ſed etiã vitam ipſam,pro illa acquirenda,aut conſeruanda, liben
Ioan.12. ter exponamus:dicente Domino: Qui odit animam ſuã in hoc mundo,in uitam æternam cuſtodit eam.

Cæterùm

Cæterum diuus Gregorius inquit: Homo omnem ſub ſtantiam ſuam dat pro dilectione, quando quicquid in mundo poſsidet, pro Chriſto diſtribuit, vt abiiciés, quod impedit, Deum diligat, & terſo puluere ſolicitudinum oculos aperiat, Deum optimum〈que〉 videat, eo acclamante: Beati mundo corde, quoniã ipſi Deum videbũt. Hoc Apoſtoli fecerunt, qui nõ ſolũ poſſeſſa, ſed etiam cupita, vt Chriſtũ ſequerẽtur reliquerunt. Ecce nos reliquimus omnia (ait Petrus) & ſequuti ſumus te. S. Grego. Matth. 19.

Si autem Hebraicam ſequamur editionem, in qua textus ſic habet: *Si dederit vir omnem ſubſtantiam domus ſuæ pro dilectione, deſpicere deſpicient eum*, tunc ſenſus erit: neq; per proſpera huius mundi ſeparabimur à charitate tua. Si enim dederit vir, hoc eſt, aliquis princeps, omnem ſubſtãtiam domus ſuæ filiis meis catholicis, & omnes honores, aut mundi dignitates, vt alliciat eos per ea, ad negationẽ nominis tui, deſpicere deſpicient eũ, & omnia bona ſua. Tantus planè erit amor tuorũ fidelium erga te, vt neque per proſpera, nec per aduerſa ſeculi huius, à cõfeſſione tui nominis aliquo pacto diuelli poſſint. Vterque ſenſus, pro vt vtraque tranſlatio poſtulat, verus eſt, & catholicus. Sat ſit ſcire, hunc primum eſſe gradum ad ſalutem & veram dilectionem comparandam, deſpicere terrena, omnia, vt cæleſtia conſequamur. Spontè relinquere, quæ fugatia ſunt, & diu retineri non poſſunt, & ad cæleſtem patriam feſtinare iubemur, quia non habemus hîc ciuitatem manentem (Apoſtolo teſte) illuc vltronea voluntate gradi, eò cogitatus noſtros omneis, illic mente verſari, ac paſci. Tunc verè fœlices erimus, quando facie ad faciem Deum optimum, ſicuti eſt, contemplabimur. Sed quid iã ſponſus loquatur, auſcultemus. Nota.

Soror

SOror noſtra paruula eſt, & vbera non habet. Quid faciemus ſorori noſtræ in die, quādo alloquenda eſt? Hebraicè. *Quid faciemus ſorori noſtræ in die, qui dictus eſt in ipſa.*

SIVE ſponſum loqui cum ſodalibus ſuis, hoc eſt, cū Patriarchis, Prophetis, & Apoſtolis dicamus, quique admiratur de noua Gentilium conuerſione: ſiue Chriſtū IESVM Angelos alloquētem aſſeramus, verus eſt vterque ſenſus. Videt ergo ſponſus exordium conuerſionis Gentilium, & ſtupefactus interrogat, non vt diſcat, qui Patris cæleſtis ſapientia æterna eſt, ſed vt doceat, & admirari faciat omnes in re tam noua, tamque egregia: ita vt idolis ſuis (quæ verè dæmonia erant) ſpretis vnum agnoſcant Deum creatorem, ac moderatorem mundi, vnumque Meſsiam Chriſtum Deum & hominem corde & ore profiteantur, totoque pectore eum diligāt, atque honorent. Paruula quidem erat, dum pauci ad fidem Chriſti conuerſi veram fidem habebant. Vbera minimè habebat, donec in ſpiritu aucta grandeſceret. Eam ob cauſam quæſtio fit: *Quid faciemus ſorori noſtræ in die, quando alloquenda*
Ioan. 6. *eſt?* Alluſio eſt ad illud: Vndè ememus panes, vt maducent ij? Ipſe tamen ſciebat, quid eſſet facturus. Sanè Eccleſia, vel anima quæque paruula, & tenera eſt, niſi ſpiritu
Ioan. 15. Chriſti roborata fultaque fuerit: ipſo acclamante: Sine me nihil poteſtis facere. Ad hæc, ſicuti corpus carneum corruptioni addictum per varias ætates tranſit: ita vt homo primo ſit puer, deinde iuuenis, & tandem viri perfectam ætatem attingit: ita ſpiritus, vel animus noſter, nunc paruulus, nunc verò vir robuſtus giganteas vires habens, ſummi Dei gratia efficitur. Quas ob res Paulus de ſe ipſo conte-

conteſtatus eſt: Dum eſſem paruulus, ſapiebam vt paruulus, loquebar vt paruulus: quando autem factus ſum vir, euacuaui ea, quæ ſunt paruuli. Eodem pertinet, quod Corinthis ſcripſit: Tanquam paruulis in Chriſto, lac dedi vobis, non eſcam. Ad eundem modum ſponſa conuerſa ex Gentibus, vel ex ſynagoga, paruula quidem erat in principio. Veruntamen poſtea adulta facta, & ſpiritu Domini grandis effecta, euacuauit ea, quæ erãt paruuli, & ouanter ad ergaſtula, flagella, & tormenta conuolauit, pro ſponſo ſuo ſanguinem ſpõtè effundens, & palmam martyrij vltrò amplexans. Quod ſanè pleraque martyrum exẽpla teſtantur, quæ enarrare conſulto mittimus, ne tædio ſimus prudẽti lectori. Vbera non habebat in ſuo exordio, quia ſcientia, & facundia egebat Eccleſia noua ex Gentibus congregata, donec paulatim creuit. 1.Cor.13.

Sed quid moror in fragilitate Gentium denuo cõuerſorum ad Chriſtum? Sãctus Gregorius de Apoſtolis ipſis verba hæc exponit. O quam paruula erat ſoror ſpõſi tũc, quando timore perculſi Apoſtoli clauſo oſtio deliteſcebãt, non audentes quicquam loqui de magiſtro ſuo palã, vbi ille obiit in cruce. Videte fragilitatẽ ſponſę, relicto ſpõſo in manibus inimicorũ omnes Apoſtoli fugerunt. Quin & Petrus Apoſtolorum princeps voce ancillæ, timore nimio correptus, vitã negauit, dicẽs: Non noui hominem. Mira res vehementer & miranda: in die Penthecoſtes ſpõſa paruula, Spiritu ſancto aduentante, facta eſt magna, & data ſunt ei è cælo vbera, quippe quæ ex ſe non habebat, quibus vniuerſos fideles per orbem lactare, atq; erudire non ceſſat. Penitiùs fortitudinem ſponſæ inſpiciamus. Clamant Apoſtoli, & infracto animo fatentur: Non poſſumus ea, quæ audiuimus, & vidimus, non loqui. Minas Iudęorũ ſpernunt, tyrannorũ cruciatus haud pauẽt, quo- S. Grego. Acto.4.

minus loquerentur magnalia Dei,& præclara Chriſti I E-
S V facinora, Ecce dies, quando erat aloquenda ſponſa, il
lę erat: quia tũc copulata fuit ſpõſo ſuo, & virago effecta,
quia de viro fortiſſimo Chriſto ſumpta. Prima ergo Ec-
cleſia vbera non habebat: quia poſt reſurrectionẽ, in vna
domo incluſa inter perſecutores, nõ dico prædicare, ſed
& videri timebat. Hæc ſanctus Gregorius.

SI murus eſt, ædificemus ſuper eum propu-gnacula argẽtea: ſi oſtium eſt, cõpingamus illud tabulis cedrinis. Hebraicè. *Si murus ipſa, ædificemus pro ea palatũ argenti: & ſi oſtium ipſa, muniemus pro illa tabula cedri.*

RESPONDIT aliquis ex ſodalibus ſponſi, ac ſi dicat: Si fortis eſt vt murus æneus, ita vt non ſinat, ad ſe intrare inimicos, imò pro ſua virili, pro amore ſpõſi conſtanter pugnarit, ędificabimus ſuper murũ hunc pro pugnacula argentea. Vel ſponſus tacitè reſpõdet quęſtioni propoſitæ, metaphoris muri & oſtij vtens, & lepidè deſcribens fortitudinem Eccleſię ſuę, ideò ait: Vos puſillam humilitatem ſponſæ meæ admiramini: veruntamen non vos ſcandalizet humile eius, & infimum exordium, in fide & dilectione mei nominis, ad inſtar muri benè locati ſupra fundamentũ bonum: ego ex mea beneficẽtia propugnaculis argenteis pulcherrimis atq; fortiſſimis per circuitũ eam fortificabo, adeò vt potentiſſimis hoſtibus nõ cedat, nec poſſit vllo impetu proſterni. Sub hæc, ſi ipſa quaſi oſtium ſe mihi exhibere voluerit, potenter errores omnes, & vitia excludẽdo, & ingreſſum præcludẽdo deſideriis malis, ego ex mea liberalitate ſic eam exornabo, & ſpiritalibus donis ſolidabo, veluti ſi oſtium aliquod, ex

Nota.

vilibus

vilibus lignis fabrefactum, cedrinis tabulis pretioſis, & imputribilibus compingatur, ita vt nulla vi frangi poſſit. Itaque & ſi paruula videatur, & vbera non habens, ego magnam & robuſtam apprimè faciam. Habebit quidem pro vberibus propugnacula argentea, quò appareat glorioſa & fortis, tanquam murus excelſus: eritq; quaſi oſtiũ fortè cedrinis tabulis compactum. Verùm Eccleſia, nõ vt materia, quæ facilè diſſoluitur, ſed domus illa eſt, quã ſapientia Patris fundauit ſupra firmam petram: ſic Saluator innotuit in quadã parabola. Hæretici inſipiẽtes ædificãt ſuper exiguã arenam. Fũdamentũ autem Eccleſiæ Chriſtus eſt: de quo Apoſtolus: Vt ſapiens architectus fundamentum poſui. Et alibi: Petra autẽ erat Chriſtus. Huic fundamẽto lapides viui, fideles omnes innituntur, in quo omnis ędificatio cõſtructa creſcit in tẽplum ſanctũ Dño. Eſt prætereà murus iſte, ideſt Eccleſia, optimò bitumine charitatis cõpaginatus. Per hanc virtutẽ orthodoxi inuicẽ agglomerantur, & cohęrẽt. Quid enim Prophetæ, paſtores & doctores, quos Chriſtus dat ſuę Eccleſię: niſi propugnacula argẽtea ſunt, ad decorẽ, & vtilitatem omniũ fideliũ? In hos lupi, & leones aduerſarij irrũpẽtes, morſibus dilaniãtes, eos occiderũt, iuxta illud: Ecce ego mitto vos, ſicut oues in medio luporũ. Argentea propugnacula nõ abs re vocãtur, eo quod vitæ cãdore fulgent, & doctrina ſancta tiniũt. Imò tintinabula aurea in veſte ſacerdotali, ipſę ſunt, vti olim in figura ſignabantur. Væ tamẽ eis, qui tinire negligunt, non doctrinam exhibentes, quique vt canes ſunt muti, non valentes latrare. Dicente Paulo: Si non Euangelizauero, væ mihi eſt. Praeterea Eccleſia oſtiũ eſſe debet, obſiſtendo volentibus introire, ne paſsim, & ſine delectu cuilibet pateat introitus: non enim fas eſt, vt quoſlibet admittat ad gregem Domini, maximè

Matt. 7.
1. Corint. 3.
Exo. 28.
Figura.

inimicos fidei foris detineat, ne ouiculas inſontes enecare valeāt: ſunt aliquādo ſub pelle ouina lupi rapaces, vti Saluator admonet. Cęterum, tabulæ cedrinę, quę vermibus non corrumpuntur, virtutes & dona Spiritus ſancti ſunt, quibus Eccleſia quotidie roboratur. Vndè capite primo dictū eſt: Laquearia cipreſsina, tigna domorum noſtrarū cedrina. Ecce indiſſolubilis connexio virtutum: ſic Spiritus ſanctus omnium artifex ædificat, confirmatque ſuam Eccleſiā. Quæ ſanè ſuapte natura vermiculoſa eſt & fragilis, Spiritu ſancto cooperante, ſolida, & firma efficitur: adeò vt corrumpi nō poſsit, aut ab inimicis obrui. Portæ inferi non præualebunt aduerſus eā, ait ſpōſus Chriſtus.

Matt. 7. *Cant. 1.*

Dato Spiritu ſancto, murus Eccleſia efficitur (ait Gregorius) quę priùs tenerrima erat. Vndè gaudentes ibāt Apoſtoli à cōſpectu Concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine IESV contumeliam pati. Propugnacula argentea miracula ſunt, ex quibus nō tantum ab inimicis ſe defendat. Sed vt impugnātes reſiſtendo mirabiliter proſternat. Et rectè argentea dicuntur, quia miracula cum verbi prędicatione donantur. Argentū ſanè valde ſonorum eſt, ſic in Pſalmo legimus: In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Rurſus oſtium Eccleſia vocatur, quia à ſponſo poteſtatem accepit, aperiendi, & claudendi. Cui dictū eſt: Quodcunq; ligaueris ſuper terrā, erit ligatum & in cælis, & quodcunq; ſolueris ſuper terrā, erit ſolutū & in cælis. Tabulæ cedrinę populi diuerſi, vel ſtatus varij in Eccleſia ſunt, quibus apprimè ipſa decoratur. Sicut pictura multis coloribus, ſic Eccleſia variis ſtatibus honeſtatur. Hinc Rex Dauid ait: Aſtitit regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circūdata varietate. Sic Eccleſia multis diſtinctionibus honoratur, quę Spiritu ſancto cōualeſcens, hilariter reſpōdet, dicens,

S. Grego. *Acto. 5.* *Matt. 16.* *Pſal. 44.*

Ego

E*Go murus, & vbera mea ſicut turris: ex quo facta ſum coram eo quaſi pacẽ reperiens.* Ita in vtraq; tranſlatione. Hebraicè ſic. *Ego murus, & vbera mea ſicut turres: tũc fui in oculis eius ſicut inueniens pacem.*

AVDIENS ſponſa vocem ſodaliũ dicentiũ, eam paruulam fore, nec vbera habere, vt tradatur ſponſo ſuo, proſiliens in medium audacter reſpõdit: Quid dicitis de me dubitantes, & ratiocinantes, ſi murus eſt? ſi oſtium eſt? ego planè murus, ſcilicet, ego fortiſsima cõtra inimicos, & vbera mea ſicut turris, multũ lactis doctrinę & ſapiẽtiæ habentia. Nã ſi ante hac vbera mihi nõ erant, nunc per doctrinã Apoſtolorũ tantum doctrinę, & ſapiẽtię adepta ſum, vt verè dicere poſſim, vbera mea magna ſunt, ſicut turris, ſeu turres. Perindè dicat: O ſpõſę mi, ecce me vides, qualẽ me videre deſiderabas, talem me habes qualẽ cupiebas: murus ſum, ædifica ſuper me propugnacula argentea, viros illuſtres, doctores, & prælatos egregios mihi præbe, quippe qui metueri, & aduerſarios repellere valeãt. Habeo quidẽ vbera, non lacte vacua, ſed omni doctrina tumentia, inſtar turris. Obſeruandũ, quã humiliter de ſe ſentiat, ne fortè quis eã inaniter gloriari æſtimet, ſtatim, vndè tot dona hauſerit, indicat: *Ex quo facta ſum coram eo quaſi pacem reperiens.* Hoc eſt, ad hãc ſublimitatem, & fœcunditatem nequaquam ex mea virtute perueni, ſed ex munere ſponſi mei: poſtea quàm pacem, & gratiã inuenire cœpi in oculis eius, fortis effecta ſum. Cæterùm (quod ad ſpiritualem ſenſum attinet) Eccleſia, vt diximus, murus eſt in fide optimè fundatus, per ſpem eleuatus ſurſum, compactus charitate. De quo muro fuſiùs

Nota.

 Ioan-

Ioannes in ſua Apocalypſi ſcripſit: Habebat vtiq; fundamēta duodecim,& in ipſis duodecim nomina Apoſtolorū, & agni. De vberibus verò ait diuus Gregorius: Vbera ſua ſicut turris ſponſa habuit,ex quo pacē coram ſpōſo reperit,quia poſtquam ſub ipſo ſpiritum pacis accepit,prædicatores cōtemplatione altos,& robore inflexibiles nutriuit.Sed quid eſt,quòd non ait *pacem*,ſed *quaſi pacem reperiens*? Verū quia quādiu in hoc mūdo ſumus,à peccatis omnimodis non deſiſtimus: & quandiu cū peccato viuimus,pacē perfectam cum illo, qui ſine peccato in carne vixit,non habemus. Sed quoniam tantillam pacē, quam habemus, per ipſum mediatorem Dei & hominum tenemus,ideò ſubdit.

V*Inea fuit pacifico, in ea quæ habet populos tradidit eam cuſtodibus.* Græcè & Hebraicè. *Vinea fuit Salomoni in Habal Amon: tradidit ipſam cuſtodibus.*

Eſai.5. VT enim vetus ſynagoga per vineam ſignatur apud Eſaiā,vbi ob ſuā iniquitatem Dn̄s minitatur ei ruinā,eo quod expectata eſt vt faceret vuas,fecit autē labruſcas: Idq; dixit Saluator in parabola de vinea,quā paterfamilias plātauit,& agricolis loquauit: ſic noua Eccleſia ex gētibus hîc per vineę metaphorā oſtendi[illegible]ai ergo *Vineā fuit pacifico*, ideſt , Salomoni verè pacifico Chriſto,
Matt.21. qui princeps pacis in Eſaia appellatur. *In ea quæ habet populos.* Synagoga vnū duntaxat populū Iudæorum continebat,Gētilitas populos quā plures habuit,diuerſorumque idiomatū.Cuſtodes autē,quibus ſpōſus tradidit hanc vineā,Apoſtoli ſunt,& poſt e[illegible]nes prȩlati Eccleſiæ: iis dictū eſt: Eūtes docete o[illegible]s, baptizātes eos in nomine

mine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti: docẽtes eos ſeruare omnia, quę pręcepi vobis. Deniq; iſti ſunt cuſtodes Eccleſiæ, qui ciuitatẽ cuſtodiunt, velut ſuprà attigimus. His tradita eſt Eccleſia, vt paſcãt oues Chriſti, vt laborent verbo & exẽplo, eam excolentes, quatenus fructũ dignum proferat Chriſto Dño vineæ. Quã ob rem, non ſemel, ſed tertio Saluator dixit Petro: Paſce oues meas. Non dominari eis, ſed paſce eas, dictũ eſt. Iterum Dñs dixit: Et tu aliquando cõuerſus, cõfirma fratres tuos. Mirabile dictu, nuſquã dictũ eſt: Impera fratribus tuis, aut dominare illis. Is autẽ memor ſui miniſterij, in ſua epiſtola, prçlatos ſuę vocationis admonẽs, ait: Paſcite, qui in vobis eſt, gregẽ Dei prouidẽtes, non coactè, ſed ſpontaneè ſecundũ Deum: neq; turpis lucri gratia, ſed voluntariè: neq; vt dominantes in clerũ, ſed forma facti gregis ex animo. Quibus verbis cõpertũ eſt, quòd vehemẽter prælatos vetat dominari. Ergo vinea cõmendata eſt eis, non in dominium, ſed in miniſteriũ & laborem. Hinc Paulus inuehitur in paſtores, quærẽtes quæ ſua ſunt, nõ quæ IESV Chriſti, qui ſolus Dñs vineæ ſuæ eſt. Et alibi clamat: Dei adiutores ſumus. Satis ſit, quòd vnuſquiſq; recipiet ſecundũ propriũ laborẽ. Ecce qui plus laborarit, ampliorẽ accipiet mercedẽ: ſicut qui in corporali vinea magis laborat, maiorẽ meretur retributionem. Quæ omnia breui verbo Saluator innotuit, vbi in parabola illa, non donationem, ſed locationem vocauit. Locauit eam agricolis, inquit. Sanè in alia parabola hoc ipſum lucidiùs Dñs indicauit: Ite vos in vineam meã, & quod iuſtũ fuerit dabo vobis. En dominiũ vineæ retinet ſibi, & tantundẽ ad laborandũ operarios ablegauit. In qua re apprimè magnificentia Dei reſplendet: coadiutores vult habere, qui potens eſt, & nullius ope indiget. Quare hoc? planè, vt miniſtris ampliorem præbeat

Io. 21. 10.

1. Petri. 5.

1. Cor. 3.

Matt. 20.

mercedem,maioremq́ue cumulum gloriæ in aulis æthe reis ipſi poſſideant.O mirabile ſummi numinis ingeniū, & artificium,ipſe miniſtros ſuos in Eccleſia fideliter laborantes locupletare cupit.

S. Grego. Vndè ſanctus Gregorius inquit: Pacificus noſter Chriſtus eſſe dicitur,quia per ipſum Deo omne genus humanum reconciliatum eſt.Huic pacifico vinea fuit: de qua

Eſai.5. in Eſaia: Vinea Domini Sabbaoth domus Iſraël eſt.Quę vinea in ea,quæ habet populos extitit, quia in lege poſita eſt,quę multos populos ad ſe colligit, de quibus dicitur: Populi meditati ſunt inania.Hanc vineā cuſtodibus tradidit,& paſtoribus cuſtodiendam ſubiecit. De qua benè dicitur.

VIr affert pro fructu eius mille argenteos, Sic in omnibus tribus linguis.

HOC eſt,vnuſquiſq; ipſorum affert de labore ſuo fructum ipſi Salomoni Chriſto mille argenteos. Vbi numerus determinatus pro indeterminato ponitur. Ac ſi dicat:multum fructum faciet. Huc pertinet, quod Dominus in Euangelio ait:Ego poſui vos,vt eatis, & fructum afferatis,& fructus veſter maneat. Notandum val-

Nota. dè eſt,quòd nō dixit,*Homo affert pro fructu eius mille argēteos*,ſed *vir*.Enimuerò vir à virtute dicitur. Hinc de Iob ſcriptum eſt: Erat vir nomine Iob.De Hieremia,&Daniele hoc ipſum ſcribitur:vocati ſunt viri à virtute & nobilitate.Qui ergo viriliter laborauerit in vinea Domini,is mille argenteos afferet pro labore ſuo,ideſt, vitam æternam accipiet à Chriſto Domino vineæ. Millenarius numerus omnes alios ſub ſe cōtinet,ideò perfectionē ſignificat:cētenarius verò aliquàm,nō omnē deſignat.Ea propter vbi Dn̄s dixit:Centuplum accipiet in hac vita,continuò ſub-

nectit

nectit: Et vitam æternam poſſidebit. Huius premij expertes erunt miniſtri, qui in Eccleſia ſegniter ſe habentes, quæ ſua ſunt quæſierunt, non quæ IESV Chriſti. Quos paſtor bonus admonens ait per Prophetam: Ecce ego ſuper paſtores, qui ſeipſos paſcunt. Et in Euangelio: Malos malè perdet, & vineam ſuam locabit aliis agricolis, qui reddāt ei fructum temporibus ſuis. Ecce ingens pœna, quam minatur Dominus paſtoribus, qui pigri, & molles, atque ingrati fuere in vinea Chriſti. *Marci.16.* *Ezec.34.*

Aliqui per hunc virum Chriſtum IESVM intelligūt: nam per antonomaſiam in ſcriptura ſancta rectè vir vocatur: in Pſalmo habetur: Beatus vir, qui non abiit in conſilium impiorum. Et iterū Zacharias: Ecce vir, cui nomen eſt oriens. Nec non Hieremias inquit: Nouū creauit Dominus ſuper terram, fœmina circundabit virum. Sic erit ſenſus: Vir nobilis Salomon Chriſtus IESVS pro labore quē ſuſtulerunt cuſtodes vineæ, eā excolendo, afferet eis mille argenteos, ideſt, ſpontè eis impendet vitam æternā. At qui ſanctus Gregorius fructum huius vineæ, hoc eſt ſynagogæ, Chriſtum fore dicit. Nā hic eſt botrus magnus allatus ex terra promiſsionis. De quo fructu dictū eſt Dauidi: De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam. Pro hoc fructu dat vir mille argenteos, quando omnia relinquit, vt Chriſtum poſſideat. Sic in Actis Apoſtolorū ſcriptum eſt: Qui conuertebantur ad Chriſtum IESVM, vēdebāt prædia ſua, & cuncta quæ habebant, & eorum pretia ad pedes Apoſtolorum ponebant: arbitrantes omnia vt ſtercora, vt Chriſtum regem æternæ gloriæ lucrifacerent. Sed quanti ſponſus faciat ſuam electam vineam, verba ſequentia palàm faciunt. *Pſal.1.* *Zacha.6.* *Hiere.31.* *Pſal.131.*

VInea mea coram me eſt. Mille tui pacifici, & ducenti his, qui cuſtodiunt fructus eius. Hebraicè *Vinea mea, quæ mihi ad facies meas. Mille tibi Salomo, & ducenti cuſtodientibus fructus eius.*

VOX ſponſi hæc eſt, qui inſignem amorem, quem erga Eccleſiam habet, oſtendit. Non quis putet, me vineã ſic tradidiſſe cuſtodibus, vt illius memor non ſim, ait Chriſtus ſponſus: nempè ſemper mihi curę fuit, & erit de ſpõſa mea, quam ſanguine meo lubẽs redemi: cui me in ſociũ, in pretium, & in cibũ, nec non & præmium vltrò exhibui: corde cãdido magnoperè eã diligo, adeò, vt corã me vinea mea ſit. Verũ magni amoris ſymbolum hoc eſt, & magni æſtimandũ, niſi ingrati ſimus orthodoxi, Spõſus coram ſe vineã vnicè dilectam habet: nam eos, qui charitate ardẽt, nihil aliud quã cæleſtia meditantur, & volunt, hos in conſpectu ſuo ſemper habet. Sanè ſi cuilibet iuſto pollicitus eſt, dicẽs: Inſtruam te in via hac qua gradieris, firmabo ſuper te oculos meos: quanto magis totã Eccleſiam catholicam ſimul gratanter reſpiciet, & oculos ſuos ſuper eam firmabit? Salomonis tẽplum materialibus lapidibus fabrefactũ ſic placuit Deo, vt de illo diceret: Erunt oculi mei ſuper illud à principio anni vſque in finẽ. Quid mirum, ſi templum viuis lapidibus extructũ, quod ſua potenti manu erexit Chriſtus, ſic ei placeat, vt coram ſe inceſſanter illud habeat? Huc expectat quòd in Pſalmo legimus: Oculi Domini ſuper iuſtos, & aures eius ad preces eorum. Quid plura? ipſe ſponſus ore ſuo ſacro promiſit, quod re ipſa impleuit. Vobiſcum ſum, (ait) vſq; ad conſummationem ſeculi. Itaque quamuis prælati & docto-

[Margin notes: Nota. — Pſal. 31. — 2. Para. 7. — Matt. 28.]

doctores vigilent, & Eccleſiam cuſtodiant, nihiloſeciùs cuſtos principalis infatigabilis manet: de quo Regalis citharedus: Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui cuſtodit Iſraël. Sequitur: *Mille tui pacifici.* Ac ſi dicat ſponſa, vel comites ſponſi: Optimè tu & veriſſimè dixiſti ſpōſe dilecte, quòd vinea tua ſemper corā te eſt, & ante oculos tuos iugiter verſatur, ita vt tu ſemper maneas cuſtos, cultor, & paſtor præcipuus Eccleſiæ ſanctæ, etiam ſi alios cuſtodes conſtitueris. Propter quod ingenuè fatemur, omnem fructum, qui de hac vinea naſcitur, tibi maximè omnium eſt aſcribendum, vt potè principali & primario paſtori, atque cuſtodi, ſine quo paſtorum omnium labor prorſus inanis eſt. Enimuerò niſi tu cuſtodieris ciuitatem, fruſtra vigilat, qui cuſtodit eam. Eam ob rem tibi mille debentur argentei, pro tua in vinea operatione, ſi poſsit vlla tibi fieri retributio, quā alijs cuſtodibus ducēti. Millenarius perfectus numerus eſt, ducētenarius non ita. Secundū hunc ſenſum dicitur ipſi ſpōſo vero Salomoni. *Mille tui pacifici, & ducenti his, qui cuſtodiūt fructus eius.* Alluſio ad illud: Saul percuſsit mille, & Dauid decē millia. Vbi præcipuum triumphum Dauid cātatrices perſonare cupiebant. Notādum, quòd in originali Græco, non *pacifici*, ſed *ô pacifice*, id eſt, tibi ô Salomō, vel pacificè mille debentur argentei. Vndè Hebràicè ſic habetur: *Mille tibi Salomo*, vt nuper tetigimus. Si verò *pacifici*, dicamus, vti vulgaris editio habet in genitiuo ſit oportet. Ac ſi diceretur: Mille argētei tui Salomonis, hoc eſt, ſunt, vel debentur.

Pſalm. 120.

Pſal. 126.

1. Reg. 18.

Cæterùm diuus Gregorius ait: Qui ſunt iſti pacifici, qui mille dicūtur eſſe, & ducenti, niſi illi ſuperiores argentei? quos perfectè dimittimus, vt pacem per eorum diſtributionem cum ſanctis nobis ipſis acquirimus. Vndè in Euāgelio Dñs præcepit: Facite vobis amicos, de mammona iniqui-

S. Grego.

iniquitatis,vt recipiant vos in æterna tabernacula. Per du centos duplicem retributionem intelligimus,quam quærimus,dum in hoc mundo perfectè pro Chriſto omnia terrena contemnimus.Mille ergo & ducēti Eccleſiæ argētei exiſtunt:quia dū fideles quiq́ue omnia, quæ poſſident,ex toto relinquunt,& pacem ſibi cū ſanctis faciunt, & præſentis vitæ remunerationem, & cæleſtis percipiūt.
Marci.10. Ideò Dñs in Euangelio inquit:Amē amen dico vobis,nemo eſt,qui reliquerit domū,aut fratres,aut ſorores,aut patrem,aut matrē,& cętera,propter me,& propter Euangeliū,qui non accipiet centies tantum nunc in tēpore hoc, & in ſeculo futuro vitam æternā.Sed quibus iſta retributio ſic duplicatur,niſi qui cuſtodiunt fructus eius? ij ſunt qui cuſtodientes fructus vineæ in ſancto opere,quod inceperunt perſeuerantes exiſtunt. Hinc ſcriptum eſt: Qui
Matt.10. perſeuerauerit vſque in finem,hic ſaluus erit. Iam ſpōſus alloquitur ſponſam,& ait.

Q*Væ habitas in hortis, amici auſcultant, fac me audire vocē tuā.*Hebraicè. *Socij auſcultantes, vocem tuam fac audire me.*

PERINDE dicat?ô ſponſa,quæ hababitas inter Gētes,quæ diuiſæ ſunt in plures hortos, ideſt, in plures deorum cultus,*amici*,angeli vel ſodales mei auſcultāt te loquentē,& auſcultādo mirū in modū delectātur verbis tuis.Fac ergo me audire vocem tuam.Hoc eſt,pete à me, quodcunq; volueris,& fiet tibi. Vel aliter,& forſitam magis ad literam.*Quæ habitas in hortis,&c.*Sponſus iam valefaciens ſponſę ſuæ,blādè ei loquitur,rogans,vt loquatur,
Cant.4. quia amici audire eā cupiūt.Vbi animaduertendū,quòd ſuprà ſponſa dicta eſt fons hortorū,eo quod ſua cæleſti doctrina irrigat ſingulas Eccleſias, & fœcundas efficit: ideo

Ideò nunc ſponſus clamat: Quæ habitas in hortis, & veluti mater in medio Eccleſiarum habitas, & eas alis, rogo, vt animas ſanctas alloquaris, verbũ diuinum eis propinans. Sanè de hac matre quondam ſterili Propheta pulchrè canit: Qui habitare facit ſterilem in domo matrem filiorum lætantem. Et in Eſaia. Lætare ſterilis, quæ non paris, erumpe & clama, quæ non parturis, quia multæ filiæ deſertæ, magis quàm eius, quæ habet virum. Quę verba Apoſtolus narrat, ad propalandam fœcunditatẽ vniuerſalis Eccleſiæ. Habitatrix hortorum eſt Eccleſia vniuerſalis, quia in particularibus Eccleſiis degit, & eas gubernat. Poſſumus etiam hortos vocare cæleſtes illas mentes, in quibus fide, ſpe, & charitate Eccleſia ſancta habitat. Conuerſatio noſtra (ait cum Paulo) in cælis eſt. Mira ręs, Eccleſia in deſerto, & exilio corpore tantùm vti captiua detinetur, corde cæleſtia cõſcendit, indefeſſeq; ea rimatur, O delicioſiſsimos, & iucundiſsimos hortos, fœlix anima, quę eos quotidie perambulat, in eiſque ſemper moratur. Ibi ſit mens, ait doctor egregius Auguſtinus, & hic erit requies. Cæterũ, hortos planè dicere poſſumus vtrumque teſtamentum, in quibus vernantes flores, & cãdentia caſtitatis lilia, nec non & fructus pulcherrimos facilè inueniuntur. Quiſquis in ſacris litteris verſatus fuerit, prædicationi incumbat oportet, ne talentum, vt piger ſeruus, abſcondat, & duriſſimum iudicium coram ſponſo Chriſto patiatur. Rurſus, vox hæc, quam vehementer audire cupit ſponſus, tùm vox confeſsionis coram ſacerdote, tùm Canticũ laudis, vel gratiarũ actio eſt: de qua voce ante dixerat: Vox enim tua dulcis, & facies tua decora. Nedũ amici, videlicet, Angeli gaudent voce confeſſionis & laudis, atq; prędicationis reſonante: ſed amici apprimè delectantur verba concionatoris percipiẽtes. Ad hęc qui

Pſal. 112.

Nota.

S. Auguſt.

Prædicatores.

præ-

SOror noſtra paruula eſt, & vbera non habet. Quid faciemus ſorori noſtræ in die, quãdo alloquenda eſt? Hebraicè. *Quid faciemus ſorori noſtræ in die, qui dictus eſt in ipſa.*

SIVE ſponſum loqui cum ſodalibus ſuis, hoc eſt, cũ Patriarchis, Prophetis, & Apoſtolis dicamus, quiq́ue admiratur de noua Gentilium conuerſione: ſiue Chriſtũ IESVM Angelos alloquẽtem aſſeramus, verus eſt vterque ſenſus. Videt ergo ſponſus exordium conuerſionis Gentilium, & ſtupefactus interrogat, non vt diſcat, qui Patris cæleſtis ſapientia æterna eſt, ſed vt doceat, & admirari faciat omnes in re tam noua, tamq́ue egregia: ita vt idolis ſuis (quæ verè dæmonia erant) ſpretis vnum agnoſcant Deum creatorem, ac moderatorem mundi, vnumq́ue Meſsiam Chriſtum Deum & hominem corde & ore profiteantur, totoq́ue pectore eum diligãt, atque honorent. Paruula quidem erat, dum pauci ad fidem Chriſti conuerſi veram fidem habebant. Vbera minimè habebat, donec in ſpiritu aucta grandeſceret. Eam ob cauſam quæſtio fit: *Quid faciemus ſorori noſtræ in die, quando alloquenda*
Ioan. 6. *eſt?* Alluſio eſt ad illud: Vndè ememus panes, vt maddu cent ij? Ipſe tamen ſciebat, quid eſſet facturus. Sanè Eccleſia, vel anima quæque paruula, & tenera eſt, niſi ſpiritu
Ioan. 15. Chriſti roborata fultaque fuerit: ipſo acclamante: Sine me nihil poteſtis facere. Ad hæc, ſicuti corpus carneum corruptioni addictum per varias ætates tranſit: ita vt homo primo ſit puer, deinde iuuenis, & tandem viri perfectam ætatem attingit: ita ſpiritus, vel animus noſter, nunc paruulus, nunc verò vir robuſtus giganteas vires habens, ſummi Dei gratia efficitur. Quas ob res Paulus de ſeipſo

conte-

conteſtatus eſt: Dum eſſem paruulus, ſapiebam vt paruulus, loquebar vt paruulus: quando autem factus ſum vir, euacuaui ea, quæ ſunt paruuli. Eodem pertinet, quod Corinthis ſcripſit: Tanquam paruulis in Christo, lac dedi vobis, non eſcam. Ad eundem modum ſponſa conuerſa ex Gentibus, vel ex ſynagoga, paruula quidem erat in principio. Veruntamen poſtea adulta facta, & ſpiritu Domini grandis effecta, euacuauit ea, quæ erãt paruuli, & ouanter ad ergaſtula, flagella, & tormenta conuolauit, pro ſponſo ſuo ſanguinem ſpõtè effundens, & palmam martyrij vltrò amplexans. Quod ſanè pleraque martyrum exẽpla teſtantur, quæ enarrare conſulto mittimus, ne tædio ſimus prudẽti lectori. Vbera non habebat in ſuo exordio, quia ſcientia, & facundia egebat Eccleſia noua ex Gentibus congregata, donec paulatim creuit. 1.Cor.13.

Sed quid moror in fragilitate Gentium denuo cõuerſorum ad Chriſtum? Sãctus Gregorius de Apoſtolis ipſis verba hæc exponit. O quam paruula erat ſoror ſpõſi tũc, quando timore perculſi Apoſtoli clauſo oſtio deliteſcebãt, non audentes quicquam loqui de magiſtro ſuo palã, vbi ille obiit in cruce. Videte fragilitatẽ ſponſę, relicto ſpõſo in manibus inimicorũ omnes Apoſtoli fugerunt. Quin & Petrus Apoſtolorum princeps voce ancillæ, timore nimio correptus, vitã negauit, dicẽs: Non noui hominem. Mira res vehementer & miranda: in die Penthecoſtes ſpõſa paruula, Spiritu ſancto aduentante, facta eſt magna, & data ſunt ei è cælo vbera, quippe quæ ex ſe non habebat, quibus vniuerſos fideles per orbem lactare, atq; erudire non ceſſat. Penitiùs fortitudinem ſponſæ inſpiciamus. Clamant Apoſtoli, & infracto animo fatentur: Non poſſumus ea, quæ audiuimus, & vidimus, non loqui. Minas Iudęorũ ſpernunt, tyrannorũ cruciatus haud pauẽt, quo- S.Grego. Acto.4.

minus loquerentur magnalia Dei,& præclara Chriſti I E-S V facinora, Ecce dies, quando erat aloquenda ſponſa, il lę erat: quia tũc copulata fuit ſpõſo ſuo, & virago effecta, quia de viro fortiſſimo Chriſto ſumpta. Prima ergo Eccleſia vbera non habebat: quia poſt reſurrectionē, in vna domo incluſa inter perſecutores, nõ dico prædicare, ſed & videri timebat. Hæc ſanctus Gregorius.

SI murus eſt, ædificemus ſuper eum propugnacula argētea: ſi oſtium eſt, cõpingamus illud tabulis cedrinis. Hebraicè. *Si murus ipſa, ædificemus pro ea palatũ argenti: & ſi oſtium ipſa, muniemus pro illa tabula cedri.*

RESPONDIT aliquis ex ſodalibus ſponſi, ac ſi dicat: Si fortis eſt vt murus æneus, ita vt non ſinat, ad ſe intrare inimicos, imò pro ſua virili, pro amore ſpõſi conſtanter pugnarit, ędificabimus ſuper murũ hunc propugnacula argentea. Vel ſponſus tacitè reſpõdet quęſtioni propoſitæ, metaphoris muri & oſtij vtens, & lepidè deſcribens fortitudinem Eccleſię ſuę, ideò ait: Vos puſillam humilitatem ſponſæ meæ admiramini: veruntamen non vos ſcandalizet humile eius, & infimum exordium, in fide & dilectione mei nominis, ad inſtar muri benè locati ſupra fundamentũ bonum: ego ex mea beneficẽtia propugnaculis argenteis pulcherrimis atq; fortiſſimis per circuitũ eam fortificabo, adeò vt potentiſſimis hoſtibus nõ cedat, nec poſſit vllo impetu proſterni. Sub hæc, ſi ipſa quaſi oſtium ſe mihi exhibere voluerit, potenter errores omnes, & vitia excludẽdo, & ingreſſum præcludẽdo deſideriis malis, ego ex mea liberalitate ſic eam exornabo, & ſpiritalibus donis ſolidabo, veluti ſi oſtium aliquod, ex

Nota.

vilibus lignis fabrefactum, cedrinis tabulis pretioſis, & imputribilibus compingatur, ita vt nulla vi frangi poſſit. Itaque & ſi paruula videatur, & vbera non habens, ego magnam & robuſtam apprimè faciam. Habebit quidem pro vberibus propugnacula argentea, quò appareat glorioſa & fortis, tanquam murus excelſus: eritq; quaſi oſtiũ fortè cedrinis tabulis compactum. Verùm Eccleſia, nõ vt materia, quæ facilè diſſoluitur, ſed domus illa eſt, quã ſapientia Patris fundauit ſupra firmam petram: ſic Saluator innotuit in quadã parabola. Hæretici inſipiẽtes ædificãt ſuper exiguã arenam. Fũdamentũ autem Eccleſiæ Chriſtus eſt: de quo Apoſtolus: Vt ſapiens architectus fundamentum poſui. Et alibi: Petra autẽ erat Chriſtus. Huic fundamẽto lapides viui, fideles omnes innituntur, in quo omnis ędificatio cõſtructa creſcit in tẽplum ſanctũ Dño. Eſt præterea murus iſte, ideſt Eccleſia, optimò bitumine charitatis cõpaginatus. Per hanc virtutẽ orthodoxi inuicẽ agglomerantur, & cohęrẽt. Quid enim Prophetæ, paſtores & doctores, quos Chriſtus dat ſuę Eccleſię: niſi propugnacula argẽtea ſunt, ad decorẽ, & vtilitatem omniũ fideliũ? In hos lupi, & leones aduerſarij irrũpẽtes, morſibus dilaniãtes, eos occiderũt, iuxta illud: Ecce ego mitto vos, ſicut oues in medio luporũ. Argentea propugnacula nõ abs re vocãtur, eo quod vitæ cãdore fulgent, & doctrina ſancta tiniũt. Imò tintinabula aurea in veſte ſacerdotali, ipſę ſunt, vti olim in figura ſignabantur. Væ tamẽ eis, qui tinire negligunt, non doctrinam exhibentes, quique vt canes ſunt muti, non valentes latrare. Dicente Paulo: Si non Euangelizauero, væ mihi eſt. Præterea Eccleſia oſtiũ eſſe debet, obſiſtendo volentibus introire, ne paſsim, & ſine delectu cuilibet pateat introitus: non enim fas eſt, vt quoſlibet admittat ad gregem Domini, maximè

Matt. 7.
1. Corint. 3.
Exo. 28.
Figura.

inimicos fidei foris detineat, ne ouiculas inſontes enecare
Matt. 7. valeāt: ſunt aliquādo ſub pelle ouina lupi rapaces, vti Sal.
uator admonet. Cęterum, tabulæ cedrinę, quę vermibus
non corrumpuntur, virtutes & dona Spiritus ſancti ſunt,
quibus Eccleſia quotidie roboratur. Vndè capite primo
Cant. 1. dictū eſt: Laquearia cipreſsina, tigna domorum noſtrarū
cedrina. Ecce indiſſolubilis connexio virtutum: ſic Spiritus
ſanctus omnium artifex ædificat, confirmatque ſuam
Eccleſiā. Quæ ſanè ſuapte natura vermiculoſa eſt & fragilis,
Spiritu ſancto cooperante, ſolida, & firma efficitur:
adeò vt corrumpi nō poſsit, aut ab inimicis obrui. Portæ
inferi non prævalebunt aduerſus eā, ait ſpōſus Chriſtus.

S. Grego. Dato Spiritu ſancto, murus Eccleſia efficitur (ait Gregorius)
quę prius tenerrima erat. Vndè gaudentes ibāt Apoſtoli
à cōſpectu Concilij, quoniam digni habiti ſunt, pro
Acto. 5. nomine I E S V contumeliam pati. Propugnacula argentea
miracula ſunt, ex quibus nō tantum ab inimicis ſe defendat.
Sed vt impugnātes reſiſtendo mirabiliter proſternat.
Et rectè argentea dicuntur, quia miracula cum verbi
prędicatione donantur. Argentū ſanè valde ſonorum eſt,
ſic in Pſalmo legimus: In omnem terram exiuit ſonus
eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Rurſus oſtium
Eccleſia vocatur, quia à ſponſo poteſtatem accepit,
Matt. 16. aperiendi, & claudendi. Cui dictū eſt: Quodcunq; ligaueris
ſuper terrā, erit ligatum & in cælis, & quodcunq;
ſolueris ſuper terrā, erit ſolutū & in cælis. Tabulæ cedrinę
populi diuerſi, vel ſtatus varij in Eccleſia ſunt, quibus apprimè
ipſa decoratur. Sicut pictura multis coloribus, ſic
Pſal. 44. Eccleſia variis ſtatibus honeſtatur. Hinc Rex Dauid ait:
Aſtitit regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circūdata
varietate. Sic Eccleſia multis diſtinctionibus honoratur,
quę Spiritu ſancto cōualeſcens, hilariter reſpōdet, dicens,

Ego

E *Go murus, & vbera mea ſicut turris: ex quo facta ſum coram eo quaſi pacẽ reperiens.* Ita in vtraq; tranſlatione. Hebraicè ſic. *Ego murus, & vbera mea ſicut turres: tũc fui in oculis eius ſicut inueniens pacem.*

AVDIENS ſponſa vocem ſodaliũ dicentiũ, eam paruulam fore, nec vbera habere, vt tradatur ſponſo ſuo, proſiliens in medium audacter reſpõdit: Quid dicitis de me dubitantes, & ratiocinantes, ſi murus eſt? ſi oſtium eſt? ego planè murus, ſcilicet, ego fortiſsima cõtra inimicos, & vbera mea ſicut turris, multũ lactis doctrinę & ſapiẽtiæ habentia. Nã ſi ante hac vbera mihi nõ erant, nunc per doctrinã Apoſtolorũ tantum doctrinę, & ſapiẽ- *Nota.* tię adepta ſum, vt verè dicere poſſim, vbera mea magna ſunt, ſicut turris, ſeu turres. Perindè dicat: O ſpõſę mi, ecce me vides, qualẽ me videre deſiderabas, talem me habes qualẽ cupiebas: murus ſum, ædifica ſuper me propugnacula argentea, viros illuſtres, doctores, & prælatos egregios mihi præbe, quippe qui metueri, & aduerſarios repellere valeãt. Habeo quidẽ vbera, non lacte vacua, ſed omni doctrina tumentia, inſtar turris. Obſeruandũ, quã humiliter de ſe ſentiat, ne fortè quis eã inaniter gloriari æſtimet, ſtatim, vndè tot dona haurierit, indicat: *Ex quo facta ſum coram eo quaſi pacem reperiens.* Hoc eſt, ad hãc ſublimitatem, & fœcunditatem nequaquam ex mea virtute perueni, ſed ex munere ſponſi mei: poſtea quàm pacem, & gratiã inuenire cœpi in oculis eius, fortis effecta ſum. Cæterùm (quod ad ſpiritualem ſenſum attinet) Eccleſia, vt diximus, murus eſt in fide optimè fundatus, per ſpem eleuatus ſurſum, compactus charitate. De quo muro fuſiùs

Ioannes in ſua Apocalypſi ſcripſit: Habebat vtiq; fundamēta duodecim,& in ipſis duodecim nomina Apoſtolorū, & agni. De vberibus verò ait diuus Gregorius: Vbera ſua ſicut turris ſponſa habuit,ex quo pacē coram ſpōſo reperit,quia poſtquam ſub ipſo ſpiritum pacis accepit,prædicatores cōtemplatione altos,& robore inflexibiles nutriuit.Sed quid eſt,quòd non ait *pacem*,ſed *quaſi pacem reperiens?* Verū quia quādiu in hoc mūdo ſumus,à peccatis omnimodis non deſiſtimus: & quandiu cū peccato viuimus,pacē perfectam cum illo, qui ſine peccato in carne vixit,non habemus. Sed quoniam tantillam pacē, quam habemus, per ipſum mediatorem Dei & hominum tenemus,ideò ſubdit.

Vinea fuit pacifico, in ea quæ habet populos tradidit eam cuſtodibus. Græcè & Hebraicè. *Vinea fuit Salomoni in Habal Amon:tradidit ipſam cuſtodibus.*

Eſai.5. Vt enim vetus ſynagoga per vineam ſignatur apud Eſaiā,vbi ob ſuā iniquitatem Dñs minitatur ei ruinā,eo quod expectata eſt vt faceret vuas,fecit autē labruſcas:Idq; dixit Saluator in parabola de vinea,quā paterfa-*Matt.21.* milias plātauit,& agricolis loquauit: ſic noua Eccleſia ex gētibus hîc per vineę metaphorā oſtenditur. Ait ergo. *Vineā fuit pacifico*, id eſt, Salomoni verè pacifico Chriſto, qui princeps pacis in Eſaia appellatur. *In ea quæ habet populos.* Synagoga vnū duntaxat populū Iudæorum continebat,Gētilitas populos quā plures habuit,diuerſorumq́ue idiomatū.Cuſtodes autē,quibus ſpōſus tradidit hanc vineā,Apoſtoli ſunt,& poſt eos omnes prælati Eccleſiæ: iis dictū eſt:Eūtes docete omnes gētes, baptizātes eos in nomine

mine Patris,& Filij,& Spiritus ſancti: docẽtes eos ſeruare omnia, quę pręcepi vobis. Deniq; iſti ſunt cuſtodes Eccleſiæ, qui ciuitatẽ cuſtodiunt, velut ſuprà attigimus. His tradita eſt Eccleſia, vt paſcãt oues Chriſti, vt laborent verbo & exẽplo, eam excolentes, quatenus fructũ dignum proferat Chriſto Dño vineæ. Quã ob rem, non ſemel, ſed tertio Saluator dixit Petro: Paſce oues meas. Non dominari *Io.cā.20.* eis, ſed paſce eas, dictũ eſt. Iterum Dñs dixit: Et tu aliquando cõuerſus, cõfirma fratres tuos. Mirabile dictu, nuſquã dictũ eſt: Impera fratribus tuis, aut dominare illis. Is autẽ memor ſui miniſterij, in ſua epiſtola, prælatos ſuę vocationis admonẽs, ait: Paſcite, qui in vobis eſt, gregẽ Dei prouidẽtes, non coactè, ſed ſpontaneè ſecundũ Deum: neq; tur *1. Petri.5.* pis lucri gratia, ſed voluntariè: neq; vt dominantes in clerũ, ſed forma facti gregis ex animo. Quibus verbis cõpertũ eſt, quòd vehemẽter prælatos vetat dominari. Ergo vinea cómendata eſt eis, non in dominium, ſed in miniſteriũ & laborem. Hinc Paulus inuehitur in paſtores, quærẽtes quæ ſua ſunt, nõ quæ IESV Chriſti, qui ſolus Dñs vineæ ſuæ eſt. Et alibi clamat: Dei adiutores ſumus. Satis ſit, *1. Cor.3.* quòd vnuſquiſq; recipiet ſecundũ propriũ laboré. Ecce qui plus laborarit, ampliorẽ accipiet mercedé; ſicut qui in corporali vinea magis laborat, maioré meretur retributionem. Quæ omnia breui verbo Saluator innotuit, vbi in parabola illa, non donationem, ſed locationem vocauit. Locauit eam agricolis, inquit. Sanè in alia parabola hoc ipſum lucidiùs Dñs indicauit: Ite vos in vineam *Matt.20.* meã, & quod iuſtũ fuerit dabo vobis. En dominiũ vineæ retinet ſibi, & tantundé ad laborandũ operarios ablegauit. In qua re apprimè magnificentia Dei reſplendet: coadiutores vult habere, qui potens eſt, & nullius ope indiget. Quare hoc? planè, vt miniſtris ampliorem præbeat

 merce-

mercedem,maioremque cumulum gloriæ in aulis æthereis ipſi poſſideant.O mirabile ſummi numinis ingeniū, & artificium,ipſe miniſtros ſuos in Eccleſia fideliter laborantes locupletare cupit.

S.Grego. Vndè ſanctus Gregorius inquit:Pacificus noſter Chriſtus eſſe dicitur,quia per ipſum Deo omne genus humanum reconciliatum eſt.Huic pacifico vinea fuit: de qua

Eſai.5. in Eſaia:Vinea Domini Sabbaoth domus Iſraël eſt.Quę vinea in ea,quæ habet populos extitit, quia in lege poſita eſt,quę multos populos ad ſe colligit, de quibus dicitur: Populi meditati ſunt inania.Hanc vineā cuſtodibus tradidit,& paſtoribus cuſtodiendam ſubiecit. De qua benè dicitur.

V*Ir affert pro fructu eius mille argenteos,* Sic in omnibus tribus linguis.

HOC eſt,vnuſquiſq; ipſorum affert de labore ſuo fructum ipſi Salomoni Chriſto mille argenteos. Vbi numerus determinatus pro indeterminato ponitur. Ac ſi dicat:multum fructum faciet. Huc pertinet, quod Dominus in Euangelio ait:Ego poſui vos,vt eatis, & fructum afferatis,& fructus veſter maneat. Notandum valdè eſt,quòd nō dixit,*Homo affert pro fructu eius mille argēteos*,ſed *vir*.Enimuerò vir à virtute dicitur. Hinc de Iob ſcriptum eſt: Erat vir nomine Iob.De Hieremia,&Daniele hoc ipſum ſcribitur:vocati ſunt viri à virtute & nobilitate.Qui ergo viriliter laborauerit in vinea Domini,is mille argenteos afferet pro labore ſuo,ideſt, vitam æternam accipiet à Chriſto Domino vineæ. Millenarius numerus omnes alios ſub ſe cōtinet,ideò perfectionē ſignificat:cētenarius verò aliquam,nō omnē deſignat.Ea propter vbi Dñs dixit:Centuplum accipiet in hac vita,continuò ſubnectit

Nota. (margin)

nectit: Et vitam æternam poſſidebit. Huius premij expertes erunt miniſtri, qui in Eccleſia ſegniter ſe habentes, quę ſua ſunt quæſierunt, non quæ I E S V Chriſti. Quos paſtor bonus admonens ait per Prophetam: Ecce ego ſuper paſtores, qui ſeipſos paſcunt. Et in Euangelio: Malos malè perdet, & vineam ſuam locabit aliis agricolis, qui reddāt ei fructum temporibus ſuis. Ecce ingens pœna, quam minatur Dominus paſtoribus, qui pigri, & molles, atque ingrati fuere in vinea Chriſti. *Marci.16.* *Ezec.34.*

Aliqui per hunc virum Chriſtum I E S V M intelligūt: nam per antonomaſiam in ſcriptura ſancta rectè vir vocatur: in Pſalmo habetur: Beatus vir, qui non abiit in conſilium impiorum. Et iterū Zacharias: Ecce vir, cui nomen eſt oriens. Nec non Hieremias inquit: Nouū creauit Dominus ſuper terram, fœmina circundabit virum. Sic erit ſenſus: Vir nobilis Salomon Chriſtus I E S V S pro labore quē ſuſtulerunt cuſtodes vineæ, eā excolendo, afferet eis mille argenteos, ideſt, ſpontè eis impendet vitam æternā. At qui ſanctus Gregorius fructum huius vineæ, hoc eſt ſynagogæ, Chriſtum fore dicit. Nā hic eſt botrus magnus allatus ex terra promiſsionis. De quo fructu dictū eſt Dauidi: De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam. Pro hoc fructu dat vir mille argenteos, quando omnia relinquit, vt Chriſtum poſſideat. Sic in Actis Apoſtolorū ſcriptum eſt: Qui conuertebantur ad Chriſtum I E S V M, vēdebāt prædia ſua, & cuncta quæ habebant, & eorum pretia ad pedes Apoſtolorum ponebant: arbitrantes omnia vt ſtercora, vt Chriſtum regem æternæ gloriæ lucrifacerent. Sed quanti ſponſus faciat ſuam electam vineam, verba ſequentia palàm faciunt. *Pſal.1.* *Zacha.6.* *Hierc.31.* *Pſal.131.*

VInea mea coram me eſt. Mille tui pacifici, & ducenti his, qui cuſtodiunt fructus eius. Hebraicè *Vinea mea, quæ mihi ad facies meas. Mille tibi Salomo, & ducenti cuſtodientibus fructus eius.*

VOX ſponſi hæc eſt, qui inſignem amorem, quem erga Eccleſiam habet, oſtendit. Non quis putet, me vineã ſic tradidiſſe cuſtodibus, vt illius memor non ſim, ait Chriſtus ſponſus: nempè ſemper mihi curç fuit, & erit
Nota. de ſpõſa mea, quam ſanguine meo lubẽs redemi: cui me in ſociũ, in pretium, & in cibũ, nec non & præmium vltrò exhibui: corde cãdido magnoperè eã diligo, adeò, vt corã me vinea mea ſit. Verũ magni amoris ſymbolum hoc eſt, & magni æſtimandũ, niſi ingrati ſimus orthodoxi. Spõſus coram ſe vineã vnicè dilectam habet: nam eos, qui charitate ardẽt, nihil aliud quã cæleſtia meditantur, & volunt, hos in conſpectu ſuo ſemper habet. Sanè ſi cuilibet iuſto pollicitus eſt, dicẽs: Inſtruam te in via hac qua
Pſal. 31. gradieris, firmabo ſuper te oculos meos: quanto magis totã Eccleſiam catholicam ſimul gratanter reſpiciet, & oculos ſuos ſuper eam firmabit? Salomonis tẽplum materia-
2. Para. 7. libus lapidibus fabrefactũ ſic placuit Deo, vt de illo diceret: Erunt oculi mei ſuper illud à principio anni vſque in finẽ. Quid mirum, ſi templum viuis lapidibus extructũ, quod ſua potenti manu erexit Chriſtus, ſic ei placeat, vt coram ſe inceſſanter illud habeat? Huc expectat quod in Pſalmo legimus: Oculi Domini ſuper iuſtos, & aures eius ad preces eorum. Quid plura? ipſe ſponſus ore ſuo ſacro
Matt. 28. promiſit, quod re ipſa impleuit. Vobiſcum ſum, (ait) vſq; ad conſummationem ſeculi. Itaque quamuis prælati & docto-

doctores vigilent, & Eccleſiam cuſtodiant, nihiloſeciùs cuſtos principalis infatigabilis manet: de quo Regalis citharedus: Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui cuſtodit Iſraël. Sequitur: *Mille tui pacifici.* Ac ſi dicat ſponſa, vel comites ſponſi: Optimè tu & veriſſimè dixiſti ſpōſe dilecte, quòd vinea tua ſemper corā te eſt, & ante oculos tuos iugiter verſatur, ita vt tu ſemper maneas cuſtos, cultor, & paſtor præcipuus Eccleſiæ ſanctæ, etiam ſi alios cuſtodes conſtitueris. Propter quod ingenuè fatemur, omnem fructum, qui de hac vinea naſcitur, tibi maximè omnium eſt aſcribendum, vt potè principali & primario paſtori, atque cuſtodi, ſine quo paſtorum omnium labor prorſus inanis eſt. Enimuerò niſi tu cuſtodieris ciuitatem, fruſtra vigilat, qui cuſtodit eam. Eam ob rem tibi mille debentur argentei, pro tua in vinea operatione, ſi poſsit vlla tibi fieri retributio, quā aliis cuſtodibus ducēti. Millenarius perfectus numerus eſt, ducētenarius non ita. Secundū hunc ſenſum dicitur ipſi ſpōſo vero Salomoni. *Mille tui pacifici, & ducenti his, qui cuſtodiūt fructus eius.* Alluſio ad illud: Saul percuſsit mille, & Dauid decē millia. Vbi præcipuum triumphum Dauid cātatrices perſonare cupiebant. Notādum, quòd in originali Græco, non *pacifici*, ſed *ô pacifice*, id eſt, tibi ô Salomō, vel pacificè mille debentur argentei. Vndè Hebraicè ſic habetur: *Mille tibi Salomo*, vt nuper tetigimus. Si verò *pacifici*, dicamus, vti vulgaris editio habet in genitiuo ſit oportet. Ac ſi diceretur: Mille argētei tui Salomonis, hoc eſt, ſunt, vel debentur. *Pſalm. 120.* *Pſal. 126.* *1. Reg. 18.*

Cæterùm diuus Gregorius ait: Qui ſunt iſti pacifici, qui mille dicūtur eſſe, & ducenti, niſi illi ſuperiores argentei? quos perfectè dimittimus, vt pacem per eorum diſtributionem cum ſanctis nobis ipſis acquirimus. Vndè in Euāgelio Dn̄s præcepit: Facite vobis amicos, de mammona iniqui- *S. Grego.*

iniquitatis, vt recipiant vos in æterna tabernacula. Per ducentos duplicem retributionem intelligimus, quam quærimus, dum in hoc mundo perfectè pro Chriſto omnia terrena contemnimus. Mille ergo & ducēti Eccleſiæ argētei exiſtunt: quia dū fideles quique omnia, quæ poſſident, ex toto relinquunt, & pacem ſibi cū ſanctis faciunt, & præſentis vitæ remunerationem, & cæleſtis percipiūt.

Marci. 10. Ideò Dñs in Euangelio inquit: Amē amen dico vobis, nemo eſt, qui reliquerit domū, aut fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrē, & cętera, propter me, & propter Euangeliū, qui non accipiet centies tantum nunc in tēpore hoc, & in ſeculo futuro vitam æternā. Sed quibus iſta retributio ſic duplicatur, niſi qui cuſtodiunt fructus eius? ij ſunt qui cuſtodientes fructus vineæ in ſancto opere, quod inceperunt perſeuerantes exiſtunt. Hinc ſcriptum eſt: *Matt. 10.* Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. Iam ſpōſus alloquitur ſponſam, & ait.

Q*Væ habitas in hortis, amici auſcultant, fac me audire vocē tuā.* Hebraicè. *Socij auſcultantes, vocem tuam fac audire me.*

PERINDE dicat: ô ſponſa, quæ hababitas inter Gētes, quæ diuiſæ ſunt in plures hortos, ideſt, in plures deorum cultus, *amici*, angeli vel ſodales mei auſcultāt te loquentē, & auſcultādo mirū in modū delectātur verbis tuis. Fac ergo me audire vocem tuam. Hoc eſt, pete à me, quodcunq; volueris, & fiet tibi. Vel aliter, & forſitam magis ad literam. *Quæ habitas in hortis, &c.* Sponſus iam valefaciens ſponſę ſuæ, blādè ei loquitur, rogans, vt loquatur, *Cant. 4.* quia amici audire eā cupiūt. Vbi animaduertendū, quòd ſuprà ſponſa dicta eſt fons hortorum, eo quod ſua cæleſti doctrina irrigat ſingulas Eccleſias, & fœcundas efficit: ideo

Ideò nunc ſponſus clamat: Quæ habitas in hortis, & veluti mater in medio Eccleſiarum habitas, & eas alis, rogo, vt animas ſanctas alloquaris, verbũ diuinum eis propinans. Sanè de hac matre quondam ſterili Propheta pulchrè canit: Qui habitare facit ſterilem in domo matrem filiorum lætantem. Et in Eſaia. Lætare ſterilis, quæ non paris, erumpe & clama, quæ non parturis, quia multæ filiæ deſertæ, magis quàm eius, quæ habet virum. Quę verba Apoſtolus narrat, ad propalandam fœcunditatẽ vniuerſalis Eccleſiæ. Habitatrix hortorum eſt Eccleſia vniuerſalis, quia in particularibus Eccleſiis degit, & eas gubernat. Poſſumus etiam hortos vocare cæleſtes illas mentes, in quibus fide, ſpe, & charitate Eccleſia ſancta habitat. Conuerſatio noſtra (ait cum Paulo) in cælis eſt. Mira rẹs, Eccleſia in deſerto, & exilio corpore tantùm vti captiua detinetur, corde cæleſtia cõſcendit, indefeſſeq; ea rimatur, O delicioſiſsimos, & iucundiſsimos hortos, fœlix anima, quę eos quotidie perambulat, in eiſque ſemper moratur. Ibi ſit mens, ait doctor egregius Auguſtinus, & hîc erit requies. Cæterũ, hortos planè dicere poſſumus vtrumque teſtamentum, in quibus vernantes flores, & cãdentia caſtitatis lilia, nec non & fructus pulcherrimos facilè inueniuntur. Quiſquis in ſacris litteris verſatus fuerit, prædicationi incumbat oportet, ne talentum, vt piger ſeruus, abſcondat, & duriſſimum iudicium coram ſponſo Chriſto patiatur. Rurſus, vox hæc, quam vehementer audire cupit ſponſus, tùm vox confeſsionis coram ſacerdote, tùm Canticũ laudis, vel gratiarũ actio eſt: de qua voce ante dixerat: Vox enim tua dulcis, & facies tua decora. Nedũ amici, videlicet, Angeli gaudent voce confeſſionis & laudis, atq; prędicationis reſonante: ſed amici apprimè delectantur verba concionatoris percipiẽtes. Ad hęc qui præ-

Pſal. 112.

Nota.

S. Auguſt.

Prædicatores.

prædeſtinati ſunt, doctrina maximè egent, vt errore quo-
Rom. 10. uis poſito, vel delicto abdicato, ad veritatem fidei conuo
lare queāt, dicente Apoſtolo: Fides ex auditu, auditus au-
tem per verbum Dei. Itaq; ſine prædicatione non eſt fi-
des, ſine qua impoſsibile eſt, placere Deo: nam ipſa baſis,
& fundamentum eſt totius ſalutis noſtrę: vt Apoſtolus ſu
Hebræ. 11. ſiùs ſcribens Hebræis expendit. *Fac me audire vocem tuam.*
Noli metuere ô ſpōſa, quòd fruſtra loquaris, amici auſcul
Eſai. 55. tant, & voluptati mihi eſt eloquiū tuum. Verbum, quod
procedit de ore meo, nō reuertetur ad me vacuū vnquā.

Veruntamen ſanctus Gregorius hortos, quorum habita
trix eſt Eccleſia, virtutes omnigenas fore dicit. Sponſa in
hortis habitat, ait hic ſanctus, quia ſancta Eccleſia vel quæ
libet pia anima in fructificatione virtutum mente verſat.
Cuius vocem ſponſus audire deſiderat, quia in hoc mun
do vel maximè prædicatione verbi Dei opus habemus.
Qua in re ſponſa maximopere Chriſto placet, vt perfe-
ctus quilibet vir infirmos quoſque verbo ſanctæ prædica-
Notá. tionis ammoneat. Amici enim auſcultant, quia fideles in
Eccleſia, vt amicus ſponſi loquatur pio deſiderio expe-
ctant. Et notandum, quòd amicus eſt, qui auſcultat, nam
qui Deum mente integra diligit, libenter audit. Hinc ſcri
ptum eſt: Qui ex Deo eſt, verba Dei audit: at contrà, qui
non eſt ex Deo, vti Hebræi manna, ſic conciones horrēt,
dicētes: Nauſeat anima noſtra ſupra cibo iſto leuiſsimo.
Profectò qui rudes, ac putridos Ægypti cibos affectant,
nectarea verba Dei deguſtare non valent. At, qui amici
Pſalm. 118. Dei ſunt, cum Regali Propheta clamant: Quàm dulcia
faucibus meis eloquia tua Dñe, ſuper mel ori meo! Vocē
ſpōſæ, quam denique ipſa in fine huius mirabilis cātici,
ſeu epithalamij nunptialis, nunc audiamus.

Fuge

FUge dilecte mi, & aſsimilare capreæ hinnuloque ceruorum ſuper montes aromatum. Sic in omnibus tribus linguis.

MIRABILIS valde precatio iſtæc, quam ſponſa veluti valè faciens, ſponſo ſuo vnicè dilecto offert. *Fuge dilecte mi,* ait. O prudentiſsima ſponſa, quid ſubeſt cauſæ, vt ſic abſcedere ſponſum obnixè oras? Nónne tua verba ea ſunt: Veniat dilectus meus in hortũ ſuum, & comedat fructus pomorũ ſuorum? Ecce iam venit, & homo factus, te inuiſere dignatus eſt: egregia miracula patrauit ſua potenti virtute: dogmata ſalubria protulit: & tandem crucis patibulum aſcendens obiuit, te redimẽs, & è faucibus verſuti draconis potenter te eripuit: nũ in aliquo tibi diſplicuit, vt abſceſſum illius deſideres? Aut faſtidio tibi aliquando fuerunt nectarea verba eius, quippe quæ vitam æternam præ ſe ferunt? Nempè ſcriptũ eſt: Non habet amaritudinem conuerſatio eius, nec tædium conuictus illius, ſed lętitiam & gaudiũ. Quorſum ergo toto pectore clamas: *Fuge dilecte mi?* Magnum profectò myſteriũ hîc latet: pro modulo noſtro, quęſtioni facere ſatis laboremus. Nimirũ tẽporis viciſſitudo in cauſa fuit, vt ſponſa variè precationes ſuas ordinaret. Videns mundũ delicto Adæ obnoxiũ, cælique ianuam clauſam, adeò vt nemo hominum, nec iuſtus Abel regnum cælorũ poſſideret, aduentum Meſsiæ efflagitabat, magnopere cupiens, filium Dei foris inuenire, & ex alma Virgine naſci. At contrà poſtquam vnigena filius Dei velamine noſtrę carnis indutus apparuit, ſanctum Euangelium ſacro ore ſuo prædicauit, & in cruce obiens mundum redemit, nec non & è tumulo glorioſus ſurrexit, ſuamque reſurrectionem multis argumentis aſſeruit, atque probauit,

Quæſtio.

Sapi. 8.

uit, ius erat, vt conſcenderet cælos, & ad Patris dexteram ſedens: Spiritum paraclitum ſuper diſcipulos in magno die Penthecoſtes vnà cum Patre mitteret: quemadmodum ſæpe numero ſponſus, in terra dū eſſet pollicitus fuerat. Itaque ſpiritu Dèi afflata ſponſa, pro gloria ſpōſi ſui, quæ vel maximè in aſcenſione eius ſplenduit, nec non pro ingenti commodo peculiari, ſuppliciter orat, vt fugiat, & ſuper montes aromatum volitet. Alludit ad vaticinium illud Dauiticum: Exaltare Domine in virtute tua, cantabimus & pſallemus virtutes tuas. Ecce mirabilis aſcenſio Chriſti natiuis coloribus depicta. In virtute diuinitatis ſuæ ſurrexit, morte expuncta, dæmone proſtrato, & inferno expoliato, & eadem virtute cooperante ſuper aſtra volauit. Nemo aſcendit in cælum, niſi qui deſcēdit de cælo, filius hominis, qui eſt in cælo. Hoc eſt, virtute propria ſolus ille aſcendit, qui ſolus Deus & homo eſt. Cātabimus & pſallemus virtutes tuas. En vtilitas inſignis, quam ſortita eſt ſpōſa, vbi Saluator aſcendit, & Spiritum ſuum affatim in diſcipulos miſit. Planè Spiritu ſancto repleti magnalia Dei variis linguis perſonabant, ſtupētibus, & mirantibus cunctis, qui Saluatoris illuſtria prodigia audiebant. Sed de his pleniùs in declamatione Aſcenſionis diſſeruimus, quæ in libro Dominicarū poſt Paſcha extat. Sed ad rem.

Aſcēſio Chriſti. *Pſal. 20.* *Ioan. 3.*

Vndè liquido comprehenditur, quòd ſponſa ſapienter petit fugam & abitum ſponſi, humiliter vale dicens ei: vt fieri ſolet in amicorum ſeparatione ad tempus, proſpera atque fauſtiſsima eidem præcans: Aſcende in altum (ait) captiuam ducens captiuitatem, & dona das hominibus. Tranſcende omnes Angelorū choros, qui ad crucis ignominiam vſque te humiliaſti. Etenim montes aromatum rectè vocantur, ob mirabilem virtutum fragrantiam, quā

Pſal. 67.

ex ſe mittunt. Nec paulatim aſcendas, ſed quaſi fugiēs, vir tute, & agilitate tuæ diuinitatis vtens. Sic caprea & hinnu lus montium ſublimia, & rupes celerrima agilitate mirabiliter percurrunt. Profectò hæc omnia breui methodò Saluator Apoſtolis ſubindicauit dicēs: Si diligeretis me, gauderetis vtique, quia vado ad Patrem. Et rurſus, ſi non abiero Paraclitus non veniet: ſi autem abiero mittam eū ad vos. Quæ verba haud dubiè magnā habēt emphaſim. Ioan. 16.

Alij de ſynagoga, & noua Eccleſia, quæ ex Gentibus S. Grego. congregata eſt, hoc exponunt. *Fuge dilecte mi*, abducens te à ſynagoga, quippe quæ tàm fuit ingrata, vt retribueret tibi mala pro bonis, quæ ei ſpōtè dediſti. Illa te atrociter occidit: dimitte eam, & ſuper montes aromatum aſcēde. Suprà dictum eſt, quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto, ſi- Canti. 3. cut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ & thuris, & vniuerſi pulueris pigmentarij. Orat igitur vniuerſalis Eccleſia pro filiabus ſuis particularibus Eccleſiis, & ſingulis animabus fidelibus ſolicita, petitque à ſponſo aſſiduam viſitationē earum: ita vt abſens corpore, & in dextera Patris ſedens, nunquam obliuiſcatur, aut deſinat Eccleſias ſuo nomini dicatas inuiſibili ſua præſentia viſitare: Imò quaſi ſaliendo, vt caprea vel hinnulus per illas, velut ex monte in montem, & ex rupe in rupem animalia illa percurrere ſolent. Huic ſententiæ conſentit quodammodo ſanctus Gregorius. Dilectus fugit, ait hic doctor, quia à reprobis S. Grego. cordibus ſe, ne intelligatur, abſcōdit. Dum enim reprobę mentes ad audienda vel legenda verba Dei peruerſa intētione accedunt, digno iudicio non inueniunt, quod digno appetitu non requirunt. Vndè ipſa Dei ſapientia dicit: Quęretis me, & non inuenietis. Sed fugiens reprobos, Ioan. 7. dilectos montes aromatum petit, quia ſanctas animas viſitare non deſinit: quæ & per contemplationem excelſæ

fiunt,& per confectiones virtutum odorifera vnguenta ſecum deferunt. Nos ergo fugiamus fallacem mũdum, ponamus prauos carnis noſtræ affectus, ne ſponſus pulcherrimus diſcedat à nobis. Imò quæ ſurſum ſunt candido corde amantes, ea quæ pro noſtra virili quærentes aromatum montes ſimus, omnimodis virtutibus fragrantes. Hoſce excelſos montes ſponſus inuiſere dignatur, & in eis habitare gaudet, ditans eos magnis chariſmatũ donis. Alioqui ipſe non diceret: Ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. I E S V bone, & hominum amantiſsime, quàmprimum ad corda noſtra venire ne moreris: vbi manſionem fabricans, à nobis, procliui genu precamur, ne diſcedas. Enimuerò tribulatio proxima eſt, neque eſt qui adiuuet. Inſuper & exiles labores noſtros non reſpuas, ſed quales quales ipſi ſunt, hilari facie reſpice. Cui ſit honor & gloria cum Patre, & Spiritu ſancto, per infinita ſecula, Amen.

Ioan. 14.

Pſalm. 34.

Commentaria in Cantica canticorum Finiunt.

INCIPIVNT NONNVLLAE ANNOTATIONES IN Cantica Canticorum, Deiparæ Mariæ Virginis feſtiuitatibus accommodatæ.

Autore fratre Alfonſo ab Orozco Auguſtiniano.

Prologus ad pium Lectorem.

M*E ipſum planè cohibere nequiui, ſapientiſſime Lector, quominus poſt commentaria, pro modulo meo edita, in Cantica canticorū Salomonis, ſaltim aliquot annotationes dictarem in laudem Chriſtiferæ Virginis Mariæ: quarum nonnullæ accommodantur ſolennitatibus eiuſdem Deiferæ. Enimuerò, ſi Maria Moſi ſoror, verſuto* Exo.15. *Rege Pharaone victo, gratias Deo optimo cecinit, dicens: Cātemus Domino, glorioſè enim honorificatus eſt, equum & aſcenſorem proie*

cit in mare: dulcius & præcellentius tympani-ſtria noſtra benedicta Maria, à quauis pecca ti lepra immunis, in domo Zachariæ Deo plena cantauit: Magnificat anima mea Do
Lucæ.1. *minum, & exultauit ſpiritus meus in Deo ſa lutari meo Equidem cantatrici huic cæleſti vel maximè Cantica Canticorum ſunt accommo danda: illa planè ſponſa altißimi Regis Chri-ſti eſt, illa ſoror vnicè dilecta. Has ob res pie lector te deprecor, ne legere haſce annotatio-nes renuas. Nec adamußim textum Cantico rum iterum proſequi collibuit, ne forſitam tibi tædio eſſemus. Et quàm optimè vale in Chriſto IESV Do-mino noſtro.*

PRO

PRO CONCEPTIONE VIRGINIS.

O*SCVLETVR me oſculo oris ſui quia meliora ſunt vbera tua vino.* Cantic. I.

VELIM, & maximè velim, ô virgo virginum præclara, vt mihi ſeruulo tuo eſſent linguæ centum,& ora centum,quibus virtutes tuas præcellentes, vtcumque narrare potuiſſem. Verùm Deus optimus tot chariſmatum donis,tot & virtutum diuitiis te decorauit,vt nedum hominibus,qui ingenti ruditate laborant,ſed etiam Angelis, atque Cherubim ipſis celſitudo tua ſit miranda, & modis omnibus ſtupenda. Veruntamen,ô Deipara mitiſsima, encomia tua ruditas mea tacere nequit:ne forſitam ingratitudinis noxa me inuoluere valeat. Non ſanè meis viribus , quæ vſque adeò fragiles ſunt, ſed tuis precibus fiſus,opus hoc vehemēter arduum ſubire inſtitui. Quas ob res Chriſtum IESVM filium tuum exora,vt iſua mirabili gratia, mentem meā illuminet,pectus inflamet,manumq́ue regat,ac moderetur.Ita fiet,ô totius mundi Regina, vt nihil temerè de te ſcribam,ſed omnia benedicto filio tuo ſint placida, tibi decora,ſeruis tuis,qui laudes haſce lectitauerint, valdè frugifera.Tuo ergo interuētu fretus,quanquam balbutiē tis more,audacter loqui incipiam. *Annotatio prima.*

Oſculetur me oſculo oris ſui, quia meliora ſunt vbera tua vino.
Nihil ſanè vetat, quominus de Virgine ſingulari verba

hæc explicemus. Si enim (vt iam attigimus) ſponſa, quæ eſt Eccleſia, verbis iis obnixè orabat, magnopere cupiẽs filium Dei hominem factum, quorſum Maria, quæ melior pars Eccleſiæ eſt, & capiti Chriſto vicinior, non eadẽ precatione vtatur. Sanè ex vtero matris ſuæ ſubindè, vt
Notr. abſque peccato concepta fuit, gratias Deo optimo egit, pro dono creationis ſibi impenſo, nec non pro ſingulari priuilegio accepto, videns ſe immunem, ab omni labe peccati, & gratia ſummi numinis ab originali culpa præſeruatam. Tunc exclamare cœpit, vti ſponſa gratiſsima Deo: *Oſculetur me oſculo oris ſui, quia meliora ſunt vbera tua vino.* Planè os Patris Verbum Dei eſt: nam ore, quæ in corde noſtro latitant, pandimus: & ad eundem modum Pater potentiam ſuam mirabilem, ſapientiam, & bonitatem per verbum ſuum carne indutum mirabiliter oſten-
Ioan. 17. dit. Vndè Dominus ipſe in Euangelio ait: Pater manifeſtaui nomen tuum hominibus, hoc eſt, tuam potentiã, ſapientiam, & bonitatem pro mea virili hominibus notã
Ioan. 14. feci. Huc pertinet illud: Philippe qui videt me, videt & Patrem meum. Quandoquidem cognitio Dei olim in
Pſal. 75. regno vno Hebræorum fulgebat, dicẽte Dauide: Notus in Iudæa Deus, in Iſraël magnum nomen eius. Nunc poſt oſculum, quod datum eſt humanitati noſtræ, vbi Verbũ caro factum eſt, à ſolis ortu vſque ad occaſum laudabile, & honorabile eſt nomen Dei. Vbera ſponſi Chriſti lõgè vino pretioſo meliora, doctrina eius, & miracula ſunt. Quorum lacte ſancta Eccleſia Romana alitur, nutritur, ac in dies roboratur. Quin & hoc eſt vinum germinans
Zach. 9. virgines per Zachariã ſatis laudatum. Ne obſecro, quis excandeſcat quia dixi, Virginem glorioſam ex vtero matris cecini ſſe hoc canticum, *Oſculetur me oſculo oris ſui*, nã
S. Ber. Epiſ. 175. cum diuo Bernardo aſſerere auſim, quòd quicquid aliis

ſanctis

ſanctis, quamuis paucis à Deo cõceſſum eſt, Virgini Chriſtiferæ non eſt denegandum. Atqui, ſi præcurſori Ioanni ſex nactus menſes datum eſt, vt agnoſceret Saluatorem, quem exultans adorauit: cur matri ſacerrimæ, quod de ſeruo ſancti doctores aſſerunt, adimere audebimus? Regulam diui Bernardi cordi meo inſculptam ſemper habui, mordicuſque eam tenebo, quia Euangelio vehemẽter conſonat, ceu de Ioanne Baptiſta legimus. Sub hæc Salomonis verba hoc ipſum adſerunt: Multæ filiæ congregauerũt ſibi diuitias, tu verò ſupergreſſa es vniuerſas. Sed de his aliàs pleniùs, Domino ſuffragante, dicemus. Summa, quod oracula Patriarcharum perſonabant, & voces prophetarum obnixè petebant, hoc nimirum alma Virgo impetrauit, dicens: *Oſculetur me oſculo oris ſui, quia meliora ſunt vbera tua vino.* Oſculatus eſt Filius Dei humanitatẽ noſtram, quando in vtero virginali Spiritu ſancto cooperante factus fuit homo, & in vnitatem perſonæ naturam humanam aſſumpſit. Iſaac filium ſuum Iacob oſculatus eſt, & ſtatim, ei benedixit: & ad eandẽ imaginẽ filius Dei, confeſtim vt humanitatem aſſumpſit, & ſibi eam vniuit, benedictionibus illam repleuit, triplici gratia decorans, vnionis, capitis & ſingularis perſonæ. Quid pluribus immoror; anima illa ſacroſancta extemplò, poſt vnionem illam hypoſtaticam, eſſentia diuina fruebatur. Vndè Chriſtus quatenus homo viator & comprehenſor fuit, quod nemini hominum vnquam contigit. Hæc omnia ex oſculo illo ſancto dimanarunt, vbi verbum caro factum eſt. Vide infrà annota. tertia de hoc feſto.

Prouer. 31. S. Tho. 3. p. q. 7. art 3. Ioan. 1.

PRO PRAESENTATIONE ALMÆ VIRGINIS.

INtroduxit me Rex in celaria ſua, exultabimus & lætabimur in te, memores vberũ tuorum ſuper vinum. Cantic. 1.

Annotatio ſecunda. VIRGINE ſancta in hoc mundo orta, tranſacto trienio, à parentibus in templum ducitur, & cantantibus, atq; pſallentibus Angelis, arca Domini magno cum iubilo in oraculo templi collocatur. Vbi adimpletum eſt, quod olim Hebræi fecerunt, quando arcam fœderis ferentes in eodem Salomonis templo poſuerunt. Hiſtoria in libro Regum ſic habet: Tulerunt ſacerdotes & omnis populus arcam Domini in locum ſuum, in oraculum templi, in ſanctum ſanctorum ſubter alas cherubim. Centum viginti cantores tubis canebant, alij citharis, cimbalis, & organis concinebant, ita vt ſonitus longè audiretur. Omneſque ſimul voce canora dicebant: Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in ſeculum miſericordia eius. Et compleuit gloria Domini domum Dei: ita in ſecundo Paralipomenõ capite 5. habetur. Quę omnia ſymbola erãt ſacræ Virginis Mariæ Præſentationem obumbrantia. Enimuero arca fœderis glorioſa Virgo erat: quippe quæ non tabulas legis lapideas intra ſe geſsit, ſed ipſum legiſlatorem filium Dei, Patris æterni ſapientiam in ſacro vtero nouem menſibus portauit. Hęc mundi totius domina, cælorumque imperatrix, in templo relicta canere cœpit. *Introduxit me Rex in cellaria ſua: exul-*

3. Reg. 8. & 2. Para. 5.

Nota.

exultabimus & lætabimur in te, memores vberum tuorum ſuper vinum. Cellaria regis non quibuſuis patent, quia in eis aromata valdè pretioſa eſſe ſolent. Superbis vtique Deus optimus reſiſtit, & eis theſaurorum ſuorum oſtia claudit. At humilibus, qui ſe ſe non efferunt, ſed humi reptantes, nil de ſe præſumunt, ſpontè gratiam ſuam, atque arcana merito reuelat. Cùm paruulus eſſes in oculis tuis, caput in tribubus Iſraël elegit te Deus, dixit Samuel ad Saulem. *1. Reg. 15.* Verũ quia humilior Angelis Virgo Maria fuit, ita Deo optimo placuit, vt cellaria eius intrãs, ſecreta ſecretorum intelligeret, præ cęteris Prophetis: ipſa namque longè melius, quàm Dauid ait: Incerta & oculta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi. *Pſal. 50.* Quæ nam lingua pro dignitate narrare poterit, & ſi Maronis eloquentia polleat, quas virtutes ex his cellariis regalibus intemerata Virgo hauſit? Proculdubio ille ſolus adnumerare heroicas virtutes eius poteſt, qui eam elegit, & prælegit in ſuam matrem. Quicquid fidei, ſpei, charitatis, fortitudinis, iuſtitiæ, temperantiæ, atque prudentiæ, aliarumque virtutum, in hac mirabili puella emicuit, totum ex regali penu ipſa decerpſit. Quæ omnia, ni fallor, vno verbo ſuo ſacro ore illa indicauit: Fecit mihi magna, qui potens eſt, & ſanctum nomẽ eius. *Lucæ. 1.* Annotatu dignum eſt, quòd non ea numerat, eo quod ferè ineffabilia, & innumerabilia ſunt dona, quæ Deus optimus matri ſuæ benemeritæ impendit. Eam ob cauſam, magna ea dixit fore, quia magnus valdè & potens, qui illa dona dedit. Regem vocat eum, quia Rex regum & Dominus dominantium eſt. Imò Rex magnus ſuper omnes deos. *Pſal. 94.* Sequitur. *Exultabimus, & lætabimur in te, memores vberum tuorum ſuper vinũ.* Alluſio eſt ad illud quod in ſuo cantico cecinit: Exultabit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo. Non in mundialibus diuitiis, quæ potius ſter-

cora ſunt, nec in fugacibus honoribus Chriſtifera Virgo exultat, ſed in eo, qui vera eſt ſalus, ſapientia & Angelorũ gloria, in quo omnes, qui veſtigia illius ſectantur gaudẽt

Philip. 4. ſemper: iuxta illud Apoſtoli: Gaudete in Domino ſemper, iterũ dico gaudete. Vbera ſpõſi Chriſti I E S V, vt paulò ſuperius diximus, miracula eius & doctrina cæleſtis ſunt. Vel vbera quorũ memores eſſe debemus, ſunt lex ve

Rom. 8. tus & noua. Illa docet nos timere Deum, eo quod lex timoris ab Apoſtolo nuncupatur: lex autem noua docet

Nota. nos totis medullis cordis noſtri amare Deũ, qui nos creauit, & tã magno pretio redemit. Horum memoria iugis plus delectat, & lætificat mentes noſtras, eaſque inebriat, quàm quoduis vinum pretioſum, & defecatum. Et quãuis hoc verbum *Exultabimus, & lætabimur in te* omnes orthodoxos cõprehendat, potiſsimè Virgo ſancta de aſſeclis ſuis loquitur, quæ terreno ſpõſo renũciantes virginita

Pſalm. 44. tẽ vouerunt. De quibus prophetauit Dauid: Adducentur Regi virgines poſt eã, & proximę eius afferentur tibi, in lę

Virginitas laudatur. titia, & exultatione. Verbum illud (poſt eam) energiam magnam habet: itaque templum adiit puella ſancta, vt ſit virginum Regina, & virginitatis fundatrix, quæ virtus Angelis cognata eſt, teſte diuo Hieronymo.

PRO CONCEPTIONE SANCTÆ VIRGINIS MARIÆ.

N*Olite me conſiderare quòd fuſca ſim, quia decolorauit me ſol.* Cant. 1.

ALMÆ Virginis inſignis humilitas, his verbis vel

Annotatio tertia. maximè innoteſcit. Ne obſecro filij mei fideles (ait) miremini, ſi fuſca appaream. Equidem ex patre Ioachim & matre Anna concepta ſum, nihiloſeciùs nullam

origi-

originalem culpam contraxi,gratia ſummi numinis me prǣſeruante.Fas enim non erat,vt prius diaboli filia, quã Dñi ancilla eſſem.Nõne à mũdi exordio Deus optimus, qui fallere,aut falli nõ poteſt,eo quod ſapientia & veritas æterna eſt, increpans ſerpentem vel potiùs dæmonem verſutum, in ſerpente loquentem ac decipientem dixit:Mulier cõteret caput tuum.Enimuerò caput & initiũ in quo ſatanas dominatur hominibus originalis culpa eſt,quã poſteri Adę omnes cõtrahere cogũtur.Atqui,gratia Dei me corroborãte,ſic de hoc humani generis hoſte triũphaui,adeò potenter caput huius draconis cõtriui,vt nec per inſtans,me ditioni ſuæ obnoxiam haberet.Terra ſacerdotalis,regali præcepto vrgẽte,libera euaſit,& tributũ Pharaoni regi Ægypti nullatenus dedit.Quorſum ego quę ſacerdotẽ æternum Meſsiam ſum paritura,tributum dabo ſatanę,quippe qui rex ſuper omneis filios ſuperbię eſt?*Nollite me conſiderare,quòd fuſca ſim,nam ſol ipſe me decolorauit.* Sol,non qui corporeis luminibus quotidie conſpicitur, qui manè oritur, & veſpere occidit,ſed ille,de quo ſcriptũ eſt:Orietur vobis timentibus nomen meum ſol iuſtitiæ.Et rurſus,improbi cõqueſti aiebãt: Sol intelligentiæ nõ eſt ortus nobis.Candor & ſplendor mirabilis filij mei me fuſcam effecit:cui ſi mea ſanctitas & innocẽtia conferatur,ferè nulla erit.Stellæ in conſpectu eius nõ ſunt mundæ.Ille ſane candor lucis æternæ eſt, ego verò creatura eius: ille in vtero meo conceptus de Spiritu ſancto,ego autem ex propagatione concepta, nedum matrem habui,ſed etiam patrem,Veruntamen,qui me creauit, omnis peccati expertem fecit.Alioqui non diceret: Equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilaui te amica mea. Hoc eſt, quemadmodum verſutus Pharao quanquam grandi exercitu ſtipatus,nihil nocuit populo meo,

Gene.3. *Gene.47.* *Figura.* *Mala.4.* *Iob.25.* *Canti.1.* *Exod.14.* *Figura.*

meo,ſed ipſi in mari rubro,& cunei eius perierunt: ita tu ſponſa,ſoror,& mater mea,diabolo ſubmerſo ac penitus proſtrato,dono gratiæ meæ præuenta, atque ſine labe peccati concepta fuiſti. Satis ſupraque alma Virgo cãdorem ſuæ Conceptionis probauit. Super eſt, vt nos zelatores ſuæ puritatis & innocentiæ procliuiter inexauſtas Chriſto IESV gratias impendamus, qui talem matrem ſibi elegit,creauitque,cuius candor Angelorum decorẽ vinceret: taliq́ue priuilegio honeſtauit,vt à quouis delicti contagio præſeruata, Archangelis etiam eſſet ſtupor.

Cant.1. Eodem attinet,quod ſacra Virgo paulò antè dixerat: Nigra ſum,ſed formoſa filiæ Hieruſalem. Quod eſt dictu,meapte natura nigra ſum,quia vt filia Adæ hæres illius eram,vti cæteri poſteri eius,nihilominus,gratia Dei cooperante,formoſa ſum,nihil culpæ contrahens, & ab omni originali labe præſeruata. Itaque gratia omnipotẽtis Dei innocentiæ candorem mihi præſtitit,quippe quẽ propagatio ipſa exhibere non potuit.

PRO FESTO ANNVNCIATIONIS MARIÆ.

D*Vm eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuum.* Cant.1.

Annotatio quarta. SI quis roget,& à ſacerrima Virgine diſcere affectet, vndè ipſa tam eximiam dignitatẽ vendicauerit, vt Dei genitrix fieret, & Archangelus Gabriel ex alto venerit, nouum atque nullis retrò ſeculis auditum nuncium ei narraret, rationem tanti ſacramenti ſubindicans ait:

Dum eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuum. Perinde dicat: Vultis filij mei, orthodoxi omnes viam ſcire, per quam ipſa gradiens tantæ excellentiæ culmen cōſcendi, vt filij æterni Patris parens fierem, ſanè humilitas eſt. Ecce via regia, per quam omnes amici Dei ad æthereas aulas conuolarunt. En ſcala Iacob, cui Dominus enixus, ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens, retundens omnem hominum petulantiam atq; iactantiā. Quid multa? per hanc humilitatis ſcalam, quæ terræ nititur, & cælū tangit, imò cælos omnes penetrat, angeli deſcendunt, & aſcendunt: deſcendunt, vt humiles in quauis calamitate adiuuent, ſicut ſcriptum eſt: Angelis ſuis Deus mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus viis, in manibus portabunt te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum. Etiam per hanc ſcalam humilitatis Angeli aſcendunt, Deo optimo precationes humilium offerentes. Alioqui Raphaël Tobiæ non diceret: Quando orabas tu, & nurus tua Sara, ego obtuli orationes veſtras Deo. Mira res, ne dum Angeli vt pote humiles, ſed Angelorū Dominus, & creator per hanc ſcalam deſcendere dignatus eſt: vbi homo factus, ſacro cruore ſuo mundum redemit: is itaque dum eſſet in accubitu ſuo, in æterni Patris ſinu, in quo ſemper fuit, & eſt per eſſentiæ vnitatē, odoratus eſt nardum meam: cuius odore allectatus me ancillā ſuam delegit in matrem. Sic Regius Pſaltes decantauit: Excelſus Dominus & humilia reſpicit, & alta à longè cognoſcit.

Gene. 28. *Figura.* *Pſal. 90.* *Tobiæ. 12.* *Pſal. 137.*

Audiuimus planè vocem Virginis pertonantis, & rationem reddētis, ob quam meruit exaltari, & dignitatē ſortiri, quæ omnes Angelos exuperat. Ratio ergo, quam nobis commendauit, humilitas eſt. Hæc virtus nimirum, apprimè depicta fuit in nardo. Nardus herba eſt odorifera,

quamuis

quãuis parua. Huius herbæ ſymbolo repræſentatur humilitas charitate vigens, fragrãtiſſimaq; pij animi, famęque ſuauè olentia complens vniuerſa. Sed pauliſper obſecro agnoſcamus magnum Philoſophiæ acumen, ſed nõ huius ſeculi. *Dum eſſet Rex* (ait alma Virgo) *in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuum*, Alia editio habet, *dedit odorem ſuauitatis*. O mirum humilitatis gradum , Dei mater efficitur, & Regem vocat eũ, quem mox filium eſt habitura. Alludit ad illud, quod paranimpho Gabrieli reſpondit: Ecce ancilla Dñi, fiat mihi ſecundum verbum tuum. Sublimis admodum eſt humilitas, in tanta ſublimitate, illæſam humilitatẽ intueri, & in tãta magnitudine, modicitatis ſuæ meminiſſe. En humilis Abigail, quæ quondã regi Dauid dixit: Sit ancilla tua, vt lauet pedes ſeruorũ tuorum: quã ob cauſam regina facta eſt & ſpõſa eius, cui magnopere placuit. Paulus ob nimiam humilitatem, qua ſe minimum Apoſtolorum vocitauit, & indignum tam pręcellenti nomine, ad tertium cælum raptus eſt. Quid de Mariæ inexhauſta humilitatis abiſſo ſperandum , niſi vt odore ſpirantiſſimo feruentis orationis, ſe ſe prorſus humiliantis, cæloſq; omnes penetrantis, non ad cælum raperetur modò, quàm ipſum cæli autorem ad ſe raperet, indiſſolubilibus humilimæ charitatis funiculis compeditum? O rem mirabilem, excelſus eſt Deus, & humilia reſpicit in cælo & in terra, humilia ſectatur, humilia amplectitur, ac ſuper humilem, & quietum , & trementem ſermones ſuos requieſcit. Obſeruandum, quòd non dixit, *dedit odorem meum*, ſed *dedit odorem ſuum*, ne ſibi aſcribat donum, quod illius eſt, qui dixit: Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde. Voluptas maxima nobis erat, plus loqui de heroica Mariæ humilitate, propter quã Dei genitrix effecta, & vt ipſa cõcinit, eam omnes generationes, tũ

Lucæ.1.

1.Reg.25.

Pſal.137.

Matth.11.

cæli,

cæli,tùm etiam terræ beatam dicũt.Sat ſit, quòd ſi ſuperbia in cælo Angelos dæmones effecit, humilitas cæleſtes mentes Angelos conſtituit.Superbia tumentem & ſupercilioſum phariſæum occidit:humilitas publicanũ tot delictis onuſtum exaltauit.Verùm & ſi humilitas non potiſſima virtutum,tamen poſt theologales, & intellectuales virtutes primas tenet. *Lucæ.18.* *S.Tho.22.q.161.ar.5.*

VIRGO SANCTA ANxia filium ſuum quæritat,quando duodecim annos natus remanſit in Hieruſalẽ.

I*Ndica mihi,quem diligit anima mea, vbi paſcas,vbi cubes in meridie.* Canti.1.

EQVIDEM verbis nemo explicare poteſt,quanto dolore,quantaq́; anxietate mater ſacratiſſima filium ſuum vnicè dilectũ, per vicos & plateas ciuitatis Hieruſalem inueſtigabat. Qui amorem,quo eum diligebat,metiri valet,is maximum dolorem,quẽ illa perpeſſa fuit,penitiùs intelliget.O quo mœrore affecta gemibunda ſuſpiria per aëra iactans,verba hæc repetebat: Indica mihi obſecro fili,indica obnixè rogo, vbi paſcas, vbi cubes,potiſſimè in meridiè.Mira valdè rerũ mutatio. Paulò ſuperiùs tanquam in mẽtus exceſſu eleuata,dixit: Oſculetur me oſculo oris ſui: nũc autem dolore confecta nil tale affatur,ſed totum humile eſt,quod profert. Dilectũ appellat filium ſuũ,& iure optimo: ingenti amore ipſum amabat, vt pote creatorem, & præſeruatorem : qui ſua potenti virtute mirabiliter ab omni contagione originalis noxæ præſeruauit : quo priuilegio nemo alius, *Annotatio quinta.*

ex pro-

ex propagatione genitus, fuit inſignitus vnquam, nec erit. Diligebat inſuper illum quia vnicus filius, quem, Spiritu ſancto cooperante, in virgineo vtero ſuo genuit, abſque dolore in diuerſorio lætabunda peperit, manibus ſuis ſacris contrectauit, pannis inuoluit, atque vbere de cælo
Tobiæ.5. pleno lactauit. Verùm ſi Anna Tobię parés irremediabilibus lachrymis plangebat, abſentiam illius ferre non valens, adeò vt domi quieſcere non poſſet: quid de ſacra Deipara Maria dicemus, quæ vnigeniti ſui faciem, in quã Angeli proſpicere deſiderant, coram non habebat? Heû (dicebat Anna) quid te miſsimus peregrinari, fili mi, baculum ſenectutis noſtrę, lumen oculorũ noſtrorum, ſolatium vitę noſtræ: omnia in te ſimul habentes, non debuimus dimittere te à nobis. Proculdubio puer I E S V S lu-
Ioan.1. men erat oculorum matris benedictæ, & iuſti Ioſeph: nã ipſe lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientẽ in hunc mundum, à Ioanne Euangeliſta rectè vocatur. Baculus eorum erat, cui innitebantur, imò Patris æterni Verbo, quo ille omnia portat, teſte Apoſtolo. Denique ſolatium vitæ illorum ſemper fuit, ita vt exulantes in Ægypto, exilium eſſet illis voluptas maxima, contemplãtes I E S V M, quique gloria, & lætitia inenarrabilis angelorum eſt. Quin & lumen cordium noſtrorum Chriſtus eſt, ſi quæ tenebrę delictorum nos circuunt. Baculus no-
Eſai.36. ſter eſt, non arundineus conquaſſatus, qualis eſt baculus Ægypti, qui manum tenentis atrociter vulnerat. Saluator robur & fortitudo animarum noſtrarum eſt: de quo in
Pſal.117. Pſalmo: Fortitudo & laus mea Dominus, & factus eſt mĩhi in ſalutem. Hunc alma mater ſolerti cura quęrit, maximopere cupiés ſcire, vbi paſcat, & cubet: vt corporali eius præſentia cor ſuum lætetur, lachrymæ abſcedant, dolor omnis faceſſat, adueniatque ſubindè gaudium. Atqui

poſt tot

poſt tot ſuſpiria,& gemitus trāſactis tot lachrymis triduo emiſsis,inuenit dilectum ſuum in templo ſedētem in medio doctorum,paſcentem eos,vt pote paſtorem bonum. Audiebat eos,& interrogabat adeò ſubtiliter, aſſerens ex ſcripturarum penu,Meſsiam iam aduentaſſe. Quem doctores audientes ſtupebant,& mirabātur ſuper doctrina, & reſponſis eius. Tunc mater benedicta, lætitia magna exhilarata dilectum filium alloquitur,& materno affectu clamās ait:Fili mi,quid feciſti nobis ſic? Pater tuus & ego dolentes quærebamus te.Heu nobis,qui non dolētes,aut gementes priſtina delicta,Chriſtum IESVM quærimus. Enimuerò (teſte Iob)ſapiētia Dei Chriſtus nō inuenitur in terra ſuauiter viuētium.Tales ſunt,qui honoribus ſeculi hiniant,deliciis carnis vacant, denique diuitiis affluere conantur.Quomodo Saluator velit,ſe quęri,ipſe per Ioēlē nobis aperit,dicens: Cōuertimini ad me in toto corde veſtro,in ieiunio,fletu & planctu,ſcindite corda veſtra,& nō veſtimenta.Si ergo cū alma Dei matrę dolentes, Chriſtū IESVM quęramus,fructus dignos pœnitentiæ agentes,dubio procul eum inueniemus,non ſanè iam in templo Salomonis inter doctores diſputantē, ſed glorioſum ſuper omnes angelorū choros,ad dexterā Patris ſedentē.

Lucæ.2. *Iob.28.* *Ioē.2.*

CHRISTIFERA MARIA *IESVM* brachiis ſuis fert,tyrannidem Herodis verſuti declinans.

F*Aſciculus myrrhæ dilectus meus mihi,inter vbera mea commorabitur.* Cant.1.

SALVATOR noſter, qui ſua dignatione gratuita ex alto venit,vt delictorum noſtrorū grauia pondera *Annotatio ſexta.*

 auferret

auferret, nihil grauedinis ſacroſanctæ matri ſuæ intulit vnquam. Etenim, quam ab omni culpa immunem fecit, is ſponte ab elogio, & maledictione Euæ potenter liberauit. Illi, vt pote peccatrici, dictum eſt: In dolore paries filios tuos. At Virgo ſancta lætabunda vnigenitum ſuum Chriſtum edidit. Hinc ipſa voce canora clamat: *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi*, quã ob rem, *inter vbera mea cõmorabitur*. Recte faſciculũ puerum IESVM vocat pia parẽs, eo quod paruulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, iuxta Eſaię vaticiniũ. Itaq; qui magnus Rex erat ſuper omnẽ terram, paruulus ſactus ex vtero matris prodiit, quò nos filios Adæ ſuper cælos proueheret, & exaltaret: modò fide, & charitate fulti, mandatis eius obediamus. Sic enim ſcriptum eſt: Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. Aduertendum, quòd myrrha arbuſcula eſt Arabię, cuius liquor guttatim exundans, myrrhæ nomine dictus eſt amarus, ſed odoris optimi: quiq; vel eliminatis, vel arefactis noxiis humoribus, corpus incorruptum teneat. Eã ob cauſam antiquitus mortuorum corpora, omniũ maximè regum, ne in putredinis ſaniem effluerent, myrrha liniebantur. Eſt ergo myrrha, ob innatam amaritudinem, typus mortis Chriſti IESV. Huc expectat, quod Magi Spiritu Dei afflati nedum aurum, & incenſum, ſed myrrham puero benedicto IESV obtulerunt, in qua mortẽ eius, & ſepulchrum præſagiebant. Faſciculus myrrhæ igitur intemeratæ Mariæ fuit Chriſtus, tùm in conceptione, vt iam diximus, in qua nulla corruptio adfuit, tùm in ſacroſancto eius partu, mirabiliter ſemper virgo manens. Equidem Deus optimus, qui illæſum reliquit rubum ardentem in deſerto, Moſe ſtupente de prodigio tam inſolito, par erat, vt matrem, & talem matrem, inuiolatam conſeruaret. Planè, qui ex ſubſtãtia cæleſtis Patris naſcitur ab

Gene.3. *Eſai.9.* *Matth.19.* *Matth.2.*

æterno,

æterno, ſine ipſius Patris detrimento, ipſe ex vtero matris prodiit, ſine eius corruptione. Faſciculus myrrhæ, & non onerosus fax Christus I E S V S dilectæ matri, etiam in paſſione atrociſſima fuit: quoniã ne dolore maximò confecta, exhalaret animã, virtutem affatim ei largitus eſt. Alio qui iuxta crucẽ vnicè dilecti filij in mõte Caluario, vidẽs Chriſtũ inter latrones pendentem, moreretur. *Inter vbera mea cõmorabitur.* Ex pectore vbera pendẽt, & inibi cor latitat. Perinde dicat: Super cor meũ, quoad vixero, tàm vitam mirabilẽ filij mei, quã eius facinora illuſtria, necnon dirã eius mortẽ collocabo. O ſi nos faſciculũ myrrhę tã præcellentẽ diu noctuq; in corde noſtro geſtaremus: profectò vermes corrodẽtes conſcientiã, omneſq; praui affectus, noſtri ſubinde morerẽtur. Recogitate eũ, qui talem ac tantam ſuſtinuit à peccatoribus aduerſus ſemetipſum contradictionẽ, vt ne fatigemini animis veſtris deficiẽtes. *Hebræ. 12.* Ecce dogma ſaluberrimũ, quod orthodoxis prębet Apoſtolus. Quid eſt: Recogitate auſterrimã Saluatoris necẽ, niſi ſæpe ſæpius eam cõtemplamini? indefeſsè probroſam Chriſti mortem in corde recolite, ne calamitatibus quotidianis imminentibus, ſuccumbentes pereatis.

EX CAPITE SECVNDO ANNOTATIONES.

IMMACVLATA VIRGInis conceptio exactè nunc deliniatur.

Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias. Cantic. 2.

CHRISTVS Saluator noſter hiſce verbis ſanctæ ſuę matris puriſſimã cõceptionẽ graphicè depingit, *Annotatio ſeptima.*

lilio vernanti inter ſentes nato eã comparando. Silẽtio autem prætereũdum minimè eſt, quod paulò ſuperiùs ipſe de ſe ipſo aſſeuerauit. Ego (ait) flos campi, & lilium conuallium. IESVS flos Nazarenus, in Nazareth, qui flos interpretatur conceptus eſt, ex flore candidiſsimo genitus: nam ſi Chriſtus flos eſt, ſacra mater ſua flos inter ſpinas rectè nuncupatur. Flos cãpi ſe ſe appellat iure optimo, non cuiuſuis cãpi, ſed eius, cui benedixit Deus. Flos inquam campi eſt Saluator, non horti, cui manus adhibetur humana: quia non ex virili ſemine, ſed diuino ſpiramine cõceptus. O lilium conuallium, humilium cordium honos & gloria, ita pulcherrimum, vt nec Salomon in omni gloria ſua ſic coopertus fuerit. Huc attinet illud Pſalmi: Speciosus forma præ filiis hominum. Ex hoc mirabili flore, ex virtute huius candidiſsimi lilij conualliũ Virgo Maria fragrat, & perpetuo nitore pollet, vt valeat lilio cõparari. Qui ergo dixit: Ego flos campi, præconia genitricis ſuæ proferens clamat: *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias*. Quid obſecro pulchrius lilio? aut quid ſuauius odoratu? quid delectabilius tactu? aut deniq; quid leuius ad portandum? O Deipara Maria: ô flos vernans omnigena venuſtate pretioſior. Sanè ex ſpinis & inter ſpinas roſa, ſine ſpinarum aculeo cõmuni vſu naſcitur. Et ſic dicã virginem ſolenni partu editam, naſcẽdo potuiſſe paternę ſpinas maledictionis neſcire. Enimuerò peccatum vt ſpina cor cruentat, & mentem ſauciat: dicente Regali Propheta: Conuerſus ſum in erũna mea, dũ configitur ſpina. Et quia omnes in Adã peccauerũt, & egẽt gloria Dei, & in peccatis mater noſtra nos cõcepit (vti vltimis ſuſpiriis Propheta ingemiſcit) ideò nos omnes velut vepres ſumus qui Redẽptoris caput venerandũ cruẽtauimus. At Maria cęlorũ dña, vt altera Heſter regiã vocem audiuit: Heſter noli.

Cant.2. *Pſal.44.* *Pſal 31.* *Pſal.50.* *Heſter.15.*

noli timere, fratres enim ſumus, non enim per te, ſed pro omnibus hæc lex conſtituta eſt. Ecce prærogatiua mirabilis, & priuilegium ſingulare, quod almæ Virgini datũ fuit. Perpulchrum planè eſt beati Anſelmi ſchema: Caſta neç Deus confert, vt inter ſpinas, & à ſpinis remota alatur, & formetur: nónne hoc potuit facere filius Dei, matri ſuę? Planè potuit: quod ſi potuit, & voluit: quod ſi voluit, & fecit. Nec ob id alma Virgo redẽptionis fuit expers: quin & Saluatore indiguit: nõ vt poſt lapſum in originale piaculum eam mundaret, ſed vt altiori modo redemptionis frueretur, ab omni culpa præſeruata. Verùm vt innocentia, excellentior virtus eſt pœnitentia, qua peccator indiget: ſic præcellentior redẽptio eſt præſeruatio, quàm iuſtificatio. Quid multis immoror? Miniſtros ſuos Angelos Deus optimus abſque macula creauit, vt ſermones illius opere implerent: & matrem Angelis ipſis ſanctiorem nõ ab originali noxa præſeruauit? Abſit, vt qui eò venit, vt peccata deleret, in genitrice ſua nec per inſtans peccatum fore conſenſerit: In ſumma, proculdubio pretioſior eſt mentis integritas, & lõgè melior integritate corporis, cum illa plus placeat Deo: ergo qui ex Virgine naſci voluit, integritate corporis ſeruata, is nullatenus permiſit, Virginis almæ animam labe originalis culpæ corrumpi.

S. Anſelmus.

Scotus. 2. ſententia.

Nota.

DE EXIMIA VIRGINIS charitate in Chriſtum.

FVlcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo. Canti. 2.

SANE alma Virgo, quæ nuper dixerat: Introduxit me Rex in cellam vinariam, & ordinauit in me charitatem,

Annotatio. octaua.

ritatem, hoc eſt, in arcana ſecretorum ſuorum, & cõtemplationis ſecretum duxit me, vexillum amoris ſui ſuper me affigens: & rurſus: Quæ ſub vmbra illius, quem deſiderauerat ſedit, & fructus eius dulcis gutturi eius: ius erat vt amore cæleſti vulnerata languorẽ pateretur. Nempè ſi
Lucæ.7. peccatrix illa, lachrymis IESV pedes diluens, capillis ſuis tergens, nec non pretioſo vnguento vngens, tali laude fuit exaltata, dicente Domino: Dilexit multum: quid de Virgine immaculata dicemus? Enimuerò, quæ exaltata eſt ſuper omnes choros Angelorũ in gloria cæleſti, pluſquàm omnes cæleſtes ciues Deum adamauit. Nónne beatitudo cæleſtis ad menſuram charitatis habitæ cõfertur? Magiſtralis ſentẽtia eſt, cui nemò aduerſari poteſt, quòd gloria cæleſtis nihil aliud eſt, niſi gratia conſumata, ſiue perfecta. Vndè liquido cõprehenditur, quòd maior beatitudo arguit maiorem charitatem in beatis. Quid? quòd Virgo intacta mirificam fidem habuit, Eliſabeth acclamante:
Lucæ.1. Beata quæ credidiſti, quoniam perficientur in te, quæ dicta ſunt tibi à Domino. Quę ergo primatũ habuit, primas etiã tenuit in eximia virtute, quæ eſt charitas: quip-
1.Cor.13. pe quæ fide & ſpe longè maior eſt, vt perbellè Paulus teſtatur. Si quidem, vti prudẽtia moralibus virtutibus potior habetur: ſic charitas nedũ intellectualibus, & moralibus virtutibus, ſed theologalibus excellẽtior eſt. Ratio, quia fides, & ſpes attingunt Deum, ſecundũ quod ex ipſo prouenit nobis, vel cognitio veri, vel adeptio boni: ſed charitas attingit ipſum Deũ, vt in ipſo ſiſtat, nõ vt ex eo aliquid nobis proueniat. Quam ob rem charitas præcellentior
S.Tho.2.2.q.23.art.6. fide & charitate probatur. S.Tho.2.2.q.23.art.6. Mitto lubens hìc tractare, quomodo charitas vita & forma eſt omnium virtutum. Ipſa namque omneis virtutes ordinat in vltimum finem. Alioqui Apoſtolus non diceret. Si di-

ſtribue-

ſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autẽ non habuero, nihil mihi prodeſt, ideſt, ad vitam æternã capeſſendam. Ad rem, hac mirabili virtute Virginem ſan ctam ſe fatetur vulneratam, & pro medicamento huius deſiderabilis vulneris, duo expoſtulat, flores videlicet, & mala. *Fulcite me floribus*, ait, *& ſtipate me malis, quia amore langueo.* Ad ſuas aſſeclas loquitur, perindè dicat: Audiſtis orantem in cellaria introductam, & ordinem charitatis accepiſſe: quid moramini? fulcite me floribus, & in lege Domini die ac nocte meditantes imitamini ſponſam adoleſcentulæ. Rurſus, malis ſtipate me, ſine intermiſsione mandata ſponſi mei operantes. Imitamini inquam me matrem pulchræ dilectionis, vt & vos introductæ in cellaria, fructum timoris, & ſanctæ ſpei accipiatis: amore vtique langueo. Quo amore? Planè veſtri in ſponſo ipſo, & ipſius in vobis. Hanc Reginam nos orthodoxi per omnia imitemur, pro noſtra virili Chriſtum IESVM orantes, vt ſagitta ſuæ dilectionis corda noſtra ſauciare dignetur: quo tello vulnerati ipſi, omnium, quæ mundi ſunt, obliuiſcamur, & quæ vera ac æterna ſunt bona, toto niſu appetamus, ea & cãdido amemus corde.

1. Corin. 13.

Cant. 2.

PRO FESTO VISITAtionis Mariæ Virginis.

VOx *dilecti mei: en iſte venit ſaliens in montibus, tranſiliens colles.* Cantic. 2.

IAM Virgo ſingularis vox dilecti ſponſi ſui Chriſti IESV in vtero ſuo ſacro recumbentis recognoſcit, & *Annotatiõ nona.*

iam,ſe illi corde eſſe,recognoſcit.Ecce hoc illi datur poſt
obſeruantiam mandatorum,quæ eò cupit obſeruare, vt
illius intimam charitatẽ conſequeretur.Sic ille per ſe cla-
Ioan. 14. mat:Si quis diligit me, mandata mea ſeruabit.Qui ergo
cupit,Chriſtum habere ſponſum,omni ſe rerum huma-
narum cupiditate priuet,& tunc vocem dilecti audire di-
gnus erit.Cum Helia antrum intret, pallio caput coope-
3.Reg.19. riat,ne externa bona videat,& ſtatim audiet ſibillum au-
ræ tenuis,in quo perſiſtit Dominus. Nónne vox Domini
erat vox Gabrielis fauſtiſsimum nuncium enarrans Vir-
gini ſacræ? Pulſabat vox illa dilecti,ore angelico pronun-
Lucæ.1. ciata,vt alma Virgo præſtaret aſſenſum,& diceret : Ecce
ancilla Domini,fiat mihi ſecundum verbum tuum. Tũc
venit filius ſaliens in montibus,& tranſiliens colles.Mon-
tes Patriarchæ & Prophetæ,colles autem ſunt alij ſancti,
quos omnes tranſiliuit,& agili curſu choros Angelorum
pertranſiens,aluum Mariç intrauit, trabem mortalitatis
noſtræq́ue aſſumpſit. Sub hæc,vox dilecti Chriſti IESV
per intimam inſpirationem inſonuit,& ob id ſurgẽs abiit
in montana cum feſtinatione.Alioqui Virgo ſancta & te-
nera lares proprios non dimitteret, & in montana Iudæ
pergeret.En dilectus ſaliebat in montibus , & tranſilibat
colles, in vtero matris benedictæ , ceu in vehiculo iter
Pſal 84. agens,non abſimilis capreæ hinnuloq́ue ceruorum. Au-
diā quid loquatur in me Dominus Deus(aiebat Prophe-
ta)quoniam loquetur pacem in plebem ſuā,& ſuper ſan-
ctos ſuos,& in eos,qui conuertuntur ad cor. Verùm,prin
ceps pacis Meſsias,ſic ab Eſaia hîc appellatus, ſemper in
corde noſtro pacem loquitur.Ideò ſtatim factus homo,
pacem dare voluit præcurſori ſuo Ioāni,in originali cul
pa genito. Quam ob rem, matrem ſuam voluit laborio-
ſum hoc iter arripere.Audiuit etiam Regina mundi vo-

cem

cem dilecti ſui Chriſti I E S V, vbi intrauit in domum Za-
chariæ, & ſalutauit Eliſabeth. Nam vox matris præconia
Virginis decantantis, vox erat Ioannis exultantis in ven-
tre parentis ſuæ. Ille ſaltabat iubilans, ad præſentiam Sal-
uatoris: Eliſabeth verò canebat voce ſonora, tùm laudes
Virginis, tùm etiam encomia Saluatoris. Benedictus fru-
ctus vētris tui, ait. Moderator huius mellodis Spiritus ſan-
ctus erat, quo repletus Ioannes iubilabat, eodem ſpiritu
afflata Eliſabeth, magnum ſacramentum incarnationis
filij Dei ore ſuo depromebat. Quod autem Ioannes vox
Domini ſit, teſtatur ipſe proferens Eſaiæ vaticinium: Ego *Eſai. 40.*
vox clamantis in deſerto parate viam Domini, ſicut dixit
Eſaias Propheta. *Vox dilecti mei.* Cuius dilecti? Planè ver- *Ioan. 1.*
bi Dei. Vox Domini reuelantis condenſa, per fœlicisſimi
pueri in vtero clauſi prodigioſam exultationem: Vox Do-
mini præparantis ceruos ſuadens omnibus, vt parent viā
Domino: vox Domini concucientis deſertum, per duriſ-
ſimam vitæ auſteritatem: vox Domini intercidentis flam-
mam ignis, per efficacem pœnitentiæ prædicationem,
(equidem clamabat: Pœnitentiam agite, & appropinqua- *Matt. 3.*
bit regnum cælorum) vox Domini confrigentis cedros,
per conſtantem reprehenſionem, & comminationem (Iā
ſecuris ad radicem arboris poſita eſt, cunctis aduentanti-
bus dicebat) vox Domini in magnificentia, magnificum
opus Dei palàm faciens, & dicens: Medius autem veſtri
ſtetit, quem vos neſcitis, ipſe eſt, qui poſt me venturus, qui
ante me factus eſt, cuius non ſum dignus corrigiam cal-
ciamenti ſoluere. O ſtupenda Ioannis humilitas, atque fi- *Nota.*
delitas, ſeſe dimittit, vt Dominum exaltet: vndè meruit, ſu-
per honorandum Chriſti caput aquam in Iordane infun-
dere. Ecce qui ſe pedibus Chriſti ſponte prouoluit, ſuper
caput eius eleuatur, vt verbū illud impleatur: Omnis, qui *Luce. 14.*

 ſe humi-

Lucæ.14. ſe humiliat,exaltabitur.Deniq; non abs re aſſerere poterimus montes,tùm Angelos,tùm viros probos fore,in quibus gaudet,& vltrò ſalit dilectus ſponſus:colles verò trãſilit,deſertos eos relinquens.Sic alto Dei conſilio geſtũ eſt, paſtoribus Saluator,nõ phariſæis,innoteſceret. Magi eũ *Matth.2.* adorant,& myſtica dona ei offerunt: verſutus Herodes quærit Dominum, nec inuenit, deluſus manens, atque confuſus.

PRO FESTO ASSVMptionis Virginis ſanctæ.

EN dilectus meus loquitur mihi: Surge propera amica mea,columba mea,formoſa mea,& veni. Canti.2.

Annotatio decima. QVANQVAM dilectus ſponſus Chriſtus IESVS indefeſsè benedictæ ſuæ matri loquebatur, interno colloquio ſaltim animam eius lætificans: potiſſimè tranſitu eius aduentante, dulcius atque amicabilius *Pſalm.33.* ei loquutus fuit.Dauid in quodam Pſalmo dicebat:Benedicam Dominum in omni tempore, & ſemper laus eius in ore meo. Verùm ſi ille,qui in peccato conceptus eſt,& tot delicta ſpontè patrauit, indeſinenter eum laudabat: quid de ſacerrima Virgine dicemus,quæ omnis maculæ expers fuit? Nempe omni tempore Deum optimum benedicens,laus eius in ore illius haud defficiebat.Hanc ob rem Dominus in corde eius blandè ei inceſſanter loquebatur,arcana ineffabilia illi reuelans. Vetùm eſt igitur ad diem mortis,vt iam regnaret in cælis virgo Deipara. Cui

Salua-

Saluator ait: *Surge,propera amica mea,columba mea formoſa mea.* Ac ſi dicat: Tempus adeſt mater ſancta,vt è terris aſcendas in cęlum:noli timere mortem,quia amica mea es:nam quæ mater eſt autoris vitæ,nullatenus mortem timeat oportet. Ego ſum reſurrectio & vita, & omnis, qui credit in me,etiam ſi mortuus fuerit,viuet. O amica mea ob gratiarum plenam abſolutamque exuberantiam, & bonorum omnium communicationem, ſurge propera. Iam enim hyems tranſiit,legis ſterilitas, quę gratiam non cōferebat:hyems periit,labores & atroces dolores, quos in morte mea perpeſſa es,abierūt. Columba mea es, quæ longè meliùs quàm columba Noë ramum oliuæ virentibus foliis ore tuo geſtaſti. Tu virgo ſancta, felle peccati carens,miſericordiam orans impetraſti cūctis mortalibus, vbi Archangelo Gabrieli dixiſti:Ecce ancilla Dñi fiat mihi ſecundum verbum tuum. Columba mea, ſuper quam Spiritusſanctus ſuperuenit, iuxta oraculum paranimphi Gabrielis. Enimuero Spiritus ille in columbæ ſpecie ſuper me apparuit,eo quod mentes columbinas, mites, & humiles magnopere diligat, eaſque inhabitare dignetur:ſicut ſcriptum eſt: Spiritus in animas ſanctas ſe transfert. Formoſa mea,ſole ipſo ſplēdidior,&ideò amicta ſole. Annotatu digna ſunt hæc tria verba, *ſurge,propera,veni.* Surrexit alma Virgo ad vocem ſpōſi ſui Chriſti gaudenter,mundū calamitoſum relinquēs:properauit, eo quod cum Pſalmiſta corde candido quotidiè aiebat: Heu mihi quia incolatus meus prolongatus eſt. O quot paſſa eſt tormenta, videns orthodoxos à tyrannis comprehendi, flagellari, & trucidari: in vnoquoque martyre ipſa martyrium ſuſtinebat. Rurſus, properauit exire de hoc mundo, quia mundus ei crucifixus erat, nihil terrenum amabat:quin & cū Propheta decantabat: Domine quid

Ioan.11.

Lucæ.1.

Pſal.119.

mihi eſt in cælo, & à te quid volui ſuper terrā? Deus cordis mei pars mea Deus in ęternum. O verba nectarea, & ingentis dulcedinis plena. Fœlix anima, quæ ſic mundo mortua eſt, vt corde & ore quotidie ea proferre queat: Deus cordis mei, id eſt, quem ſolum diligo, & totis medullis cordis mei amo: Pars mea Deus in æternum, omnes meę opes, deliciæ & honor in Deo meo ſitæ ſunt: nam ipſe erit omnia in omnibus teſte Apoſtolo. Veni columba mea, intra thalamum dilecti tui. Veni de exilio in peculiarem patriam, ex deſerto in amenißimā paradiſum, è carcere ad regiam, & ætheream aulam, vbi gaudebis cum Angelis: Cherubim & Seraphim te diu noctuque collaudabunt: ſancti omnes vno ore decantabunt: Benedicta tu filia à Domino, quia viriliter feciſti, & confortatum eſt cor tuum, ideò eris benedicta in ęternum: omnesque cęlicolę voce canora altetutrum reſpondebunt. Tu gloria Hieruſalem, tu lętitia Iſraël, tu honorificentia populi noſtri.

Iudith. 15.

PRO SOLENNITATE Purificationis Marię Virginis.

Dilectus meus mihi, & ego illi, qui paſcitur inter lilia, donec aſpiret dies, & inclinentur vmbræ. Canti. 2.

Annotatio vndecima.

QVI Deiferam Mariam viderit iter ſuum agentem, & à Nazareth in Hieroſolymam pergentem, vt legis ceremonias impleat, & puerum IESVM in templo Patri cæleſti offerat, ſtupeſcet, & forſitan dicet: Quò

alma

alma mater Dei pergis,vt purificationis ceremonias impleas, quæ Angelis ipſis candidior & ſanctior es? Quid tibi cum lege Moyſi balbutientis, quæ legiſlatoris Meſſiæ mater es? Lex illa alias matres compellit,non te,quippe quæ ſine virili conſortio, Spiritu ſancto cooperante, filium Dei genuiſti: quemadmodum Gabriel à Deo miſſus, tibi pollicitus eſt. Reſponſio ſacræ matris talis erit: *Dilectus meus mihi,& ego illi,qui paſcitur inter lilia,donec aſpiret dies,& inclinentur vmbræ.* Ipſe mihi, & ego illi: ipſe mihi ſapientiam præſtitit,& ego illi cor meum dabo ſpontè: ille mihi omnium chariſmatum dona largitus eſt abundè,ego illi totis niſibus gratias inexhauſtas referam. Ego ſentio, me ab illo vehementer amari, ob idq; firmiſſimè illi ſemper adhærere ennitar. Denique ille fecit mihi magna,qui potens eſt,ſanctumque nomen eius, & ego illi nequaquam ingrata ero: quinpotiùs, toto affectu me ei ſacrabo. Sanè tam eſt puritatis amator, vt inter lilia candentia paſcatur: Deſideria ſancta,affectus mundi, quid aliud,quàm lilia ſunt,inter quæ,qui flos campi eſt, magnoperè deliciatur? Et quia vēter Mariç vallatus erat liliis, ideò in eo recubuit filius Dei nouem menſibus. Vmbrç verò, quæ tempore præſtituto defficere conueniebant, legis ceremoniæ erant; dicente Apoſtolo: Omnia contin gebāt illis in figura. Aſpirabit dies, orto ſolç iuſtitiæ Chriſto IESV, qui ore ſuo dixit: Ego ſum lux mundi, tunc inclinatæ ſunt vmbræ: non tamen omnino perierunt, donec in cruce pendens obiit: vndè voce magna clamauit dicēs: Conſumatū eſt: hoc eſt, quicquid de me vates ſancti vaticinati ſunt, nunc impletū eſt. Nec nō & quod vmbraticum erat in lege vetere, vt circunciſio, oblatio, holocauſtum, & omne ſacrificium iam abiit, luce veniente, & lege gratiç aduentante. Quam ob rem, per Apoſtolorum

Lucæ.1. Lucæ.1. 1.Corint. 10. Ioan.8. Ioan.19.

rum prædicationem, quæ inuolucra erant in lege illa, perierunt. Hinc Apoſtolorum princeps Petrus contra eos, qui legalia ſeruanda aſſerebant, inuehitur: Quid tẽtatis imponere iugum ſuper ceruices diſcipulorũ, quod neque nos, neque patres noſtri portare potuerunt? Summa, Virgo benedicta Angelis ipſis ſanctior ac purior, ceremonias legis implet, donec vmbræ declinentur; & dies aſpiret, hoc eſt, donec Saluator moriens in patibulo crucis, vmbratica omnia legis diſſipet.

Acto.15.

EX CAPITE TERTIO ANNOTATIONES.

QVAERIT BEATA VIRGO anxiè puerum Ieſum in Hieruſalem.

IN lectulo meo per noctẽ quæſiui, quem diligit anima mea. Quæſiui illũ, & non inueni. Surgam & circuibo ciuitatem, &c. Cant. 3.

Annotatio. duodecima.

DEIPARA Virgo reuerſa poſt feſtiuitatẽ, vnius diei iter agens, puerum benedictũ IESVM non adeſſe agnouit. Quem minimè cælos aſcendiſſe cogitauit, vt quidã autumant. Ratio quia ipſa Spiritu ſancto edocta Prophetarum oracula optimè norat, & quæ ille paſſurus erat pro mundi ſalute, eam non latebat. Dolore autem nimio affecta, abundè flebat corporalem dilecti ſui abſceſſum. Verùm noctes illas duxiſſe inſomnes non dubito. Dicebat verba illa Rubem non inuenientis fratrem ſuum Ioſeph: Puer non comparet, & ego quo ibo? In lectulo habere deſiderabat filium ſuum vnicè dilectum

Gene.37.

lectum,per præſentiam, & conſolationem. Quæſiuit eũ ſolerti cura,tamen non inuenit. Vbi notandum, quòd geminatum quærendi ſtudium, iteratos conflictationũ turbines inſinuat. *Surgam & circuibo ciuitatem per vicos & plateas.* Profectò ad literam hoc factum eſt,nã Luca Euangeliſta teſtante,Virgo ſanctiſsima, & beatus Ioſeph inter cognatos & notos puerum benedictum quærebant, nec inuenerunt,donec reuerſi ſunt in Hieruſalem,in qua hac & illac IESVM ſolerter quærebant. Vel ciuitas hæc Hieruſalem mater noſtra eſt, quippe quæ libera in cælis habitat. Per vicos & plateas Deipara IESVM quęrebat, ſpiritus cæleſtes minores,& maiores inuocans. Mente ſiquidem luſtrabat ciues illos,miniſterio deputatos, propter eos,qui hæreditatem capiunt ſalutis. O miranda res, IESVS, qui tàm tenerè ſanctam matrem adamabat, & Ioſeph diligebat, probare ſic voluit eos hoc igne tribulationis, & in calamitate tam dura exerceri. Quid obſecro nos cauſamur,imminente aduerſitate? Verùm poſt tot ſcelera patrata,extremis ſuppliciis digni ſumus. Dicamus ergo cum viro fortiſsimo Iob,quauis calamitate inſtante,oportet: Si bona ſuſcepimus de manu Domini, mala autem quare non ſuſtineamus? Equidem per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cælorum: quẽadmodum in Actis Apoſtolorum legimus. Imò Saluator noſter eos beat,qui perſequutiones patiuntur: deplorat autem illos,qui in hac vita rident. Quæramus ergo cũ matre ſancta IESVM dolentes,& gementes, de peccatis patratis pœnitentiam agentes: nam fieri non poteſt, vt ipſe nobis non appareat: quo inuento iubilo magno exhilarati,cum Pſalmographo cantabimus: Cõuertiſti Domine IESV planctum meum in gaudium mihi,concidiſti ſaccum meum,& circundediſti me lætitia.

Galat.4. *Nota.* *Iob.2.* *Acto.4.* *Lucæ.16.* *Pſal.29.*

Virgo

VIRGO SANCTA VEHEMENTER gaudet, inuento IESV.

P*Aululum cùm pertranſiſſem eos, inueni, quem diligit anima mea. Tenui eum, nec dimittam.* Cantic. 3.

Annotatio decimatertia

SACROSANCTA Maria inter cognatos & notos quæritans dilectum filium, minimè illum inuenit, ſed in templo inter doctores ſedētem agnoſcit eum. Rurſus pertranſiuit cuſtodes ciuitatis, & extemplò offendit ſponſum ſuum. Vndè dogma nobis ſaluberrimū datur: ne Chriſtum IESVM quæramus inter cognatos, aut notos, plus æquo eos amantes: alioqui pręcipitium nobis ipſis paramus. Diligendi ſunt cognati & parentes, ſed affectu ſpirituali, dicente Domino: Qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non eſt me dignus. Tremenda ſanè ſententia, & modis omnibus fugienda. Dominus iubet, nedum amare parentes & cognatos, ſed etiam inimicos, eiſque benefacere: nihiloſecius, omnes diligendi ſunt propter Chriſtum. Itaque poſthabitis terrenis rebus, ſtatim inuenitur, qui eſt creator omnium. *Paululum cùm pertranſiſſem eos, inueni, quem diligit anima mea.* Dimiſit Virgo immaculata cognatos, poſt habuit etiā notos, & ſubindè dilectum IESVM adinuenit. O ſi confeſtim cuncta arbitraremur vti ſtercora, quo Chriſtum lucraremur. Enimuerò qui creatori omnium potiri cupit, renunciet omnibus neceſſe eſt, Nemo poteſt duobus dominis ſeruire. Stratum anguſtum eſt, ideò vtrumque capere nequid, ſed alter deſcidat oportet. Palliū breue eſt, vtrumq́; operire

Matt. 10.

Eſai. 28.

operire non valet. *Tenui eum nec dimittam.* Alluſio eſt ad illud Iacob, quando luctabatur cum Angelo: Non dimittam te, niſi benedixeris mihi. Tenui eum, ait pia mater, & ingenti cura poſt hac illum cuſtodiam, & pro virili conabor, ne per horam præſentia corporali filij vteri mei caream. Ecce quid commodi oriatur in anima pia, dum ſponſus ſe abſcondit in corde, ita vt ſolatium eius mens ipſa non ſentiat. Nempè feruentiùs eo inuento amat, cuſtoditque ipſum cautiùs, ne fugiat. Nec abſimile eſt illud Dauiticum: Ego dixi in exceſſu meo, non mouebor in æternum. Magna ſibi pollicetur mens, dum ſuper æthera volans adhæret ſummo bono. Tũc, in extaſi eleuata, vota emittit, grandia aggredi non metuit. Sed ô mens pia, agnoſcis tuam fragilitatem, nec ne? Scis fortiſſimum Samſonem fore dilectum, aut ignoras? Profectò ipſe eſt, de quo Ioannes in Apocalypſi ait: Vicit leo de tribu Iuda. Si ergo fortiſsimus leo eſt, quibus brachiis, aut quibus vinculis, & ſi ferrea ſint, illum tenebis? At mens ſancta inquit: Scio ita eſſe: veruntamen ſi leo inuictiſsimus appellatur, itidem agnus manſuetus vocatur. Virtus Patris eſt, cui nemo valet reſiſtere, ipſe tamen ait: Deliciç meæ cum filijs hominum. O quàm tenet Chriſtum, vt ita dicam, fidelis ac deuota anima, dum beneplacita illi, & accepta facit: dum mandatis eius paret, & mundo penitus renunciat! Delectatur ſponſus iuſtorum moribus, ſocietate atque conſuetudine. tenetur virtutis operibus, gemitibus, affectibus ardentiſsimis, non armatorum manibus, non diuitum pompis, non opulentorum iactantia, faſtuué. Tunc ſponſus vltrò intrat in domum matris noſtræ, & requieſcit in cubiculũ genitricis noſtrç, vbi mites, humiles, & miſericordes ſumus, ſpirituque feruentes ei obſequiũ præſtamus. Sicut ſcriptum eſt: Ecce taber-

Gene. 32.

Pſal. 30.

Apoc. 5.

Prouer. 8.

 naculum

Apoca.21. naculum Dei cum hominibus,& habitabit cum eis. Mi-
rabile dictu, confeſtim puer IESVS diſputationibus di-
miſsis,cum matre benedicta & Ioſeph deſcendit, & ve-
nit Nazareth. Quò intelligamus fructū ſaluberrimū no-
ſtrarū lacrymarum,quas pro amore eius effundimus. Ec-
ce,qui mentes cælicas,qui totum orbem moderatur, cui
omnia in cælis,in terra,& ſubterraneis,ſolo nutu & volū
tati eius parent,ſubditus fit eis. Vt impleatur, quod mul-
Pſal.144. tis retrò ſeculis Dauid dixit: Voluntatem timētium ſe fa-
ciet Deus. Fœlix qui ſic ſuam voluntatē Chriſto ſacrauit,
ſe ſe totum ei deuouit: quia IESVS voluntatem ſerui
ſui faciet.

PRO ASSVMPTIONE Virginis Mariæ.

QVæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum, ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris, & vniuerſi pulueris pigmētarij. Cant. 3.

Annotatio decima quarta. EXPLETO huius vitæ exilio,& tranſactis laboribus,quos ferè innumeros Deipara in hoc calamitoſo mundo pertulit, par erat, vt tū corpore,tùm anima glorificata, ipſa æthereas aulas intraret: & quæ omnes Angelos vicit puritate ac ſanctitate,ſuper eorū choros exaltata,cū filio ſuo regnaret. Fauſtiſsimo illo die veniente, alma mater aſſumpta eſt in cælum. In cuius aſſumptione Angeli ipſi demirati,inuicē loquebantur, dicentes: *Quæ eſt iſta quæ aſcendit per deſertum,&c.* Virgula fumi odorifeſ

ri eo agilius in altũ conſcēdit, quo ignis, in quo odoramē ta ponũtur, maior eſt. O quantus, & quàm magnus amoris ignis in corde virgineo ardebat, quãdoquidē flãmantia deſideria ſacrę Virginis cęlos ipſos penetrabant. Myrrha & thus nominãtur, vt tã mortificationē carnis Chriſtiferę agnoſcamus, quã eius orationis fragrantiã. Quod verò puluis pigmẽtarij memoratur, ad mirabilē eius humilitatem expectat, ipſa atteſtante: Reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Vel in puluere vniuerſo, omnes virtutes intelligere poterimus, quas in gradu heroico, Dei genitrix poſſedit. O vehementer fœlicem orthodoxum, qui per deſertum ſeculi huius ſanctæ Virginis veſtigia ſequitur, aſcendens, & mente volitans, cum Apoſtolo clamat: Conuerſatio noſtra in cælis eſt. Is corpore tantum in terra degens, corde verò inter Angelos moratur. Is inquam vti virgula fumi aſcendit, myrrham pœnitentiæ, & thus orationis habens. Nec ei deeſt puluis, humilitatem dico, nam qui optimè ſeipſum agnoſcit, cum Abraham clamat: Loquar ad Dominum meum, quùm ſim puluis & cinis: nec non cum Dauide corde & ore profitetur ſe vermem & non hominem. Verùm nihil eſt, quod magis Angeli mirentur in nobis, quàm ſi verè humiles ſimus. Ad hanc mirificam virtutem nos Saluator excitat dicens: Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde. Sed ad hanc conſequendam virtutem vel maximè oratione aſſidua opus habemus. Hinc egregius doctor Auguſtinus orabat: Domine nouerim te, nouerim me: perinde dicat: Obſecro te Deus meus, vt gratuita tua, dignatione lumen mihi præſtes, quo irradiante, tuam maieſtatem ineffabilem agnoſcens, paruitatem, & vilitatem meam penitiùs agnoſcam. Cæterùm quia ſuperbia ſic

Lucæ.E
Nota.
Gene.18.
Pſal.21.
Matth.11.
S. Auguſt.

in mundo hoc abundat, humilitas verò rara auis in terra, iure optimo mirantur Angeli,& dicunt: *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum, ſicut virgula fummi, ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuerſi pulueris pigmentarij.*

Cant.3.

Quæ admiratio, non tantùm de aſſumptione mirabili Virginis facta fuit, ſed quotidie fit, ſtupentibus Angelis, vbi mens noſtra in contemplatione ſuper aſtra volat, quaſi omnium, etiam ſui ipſius oblita. Sed hîc lubet cum diuo Bernardo exclamare: O rara hora, & breuis mora.

PRO IMMACVLATA Virginis Conceptione.

F*Erculum fecit ſibi Rex Salomon de lignis Libani, colũnas eius fecit argenteas, aſcenſum purpureum, media charitate conſtrauit propter filias Hieruſalem.* Cantic.3.

Annotatio decima quinta.

QVAM optimè ſacræ Virgini accommodatur nomen ferculi, & iure hac nomenclatura honoranda eſt. Ipſa Regem Salomonem filium Dei nobis attulit è cælo: baiulauit in vtero, geſtauit ſuis virgineis brachiis, tyranni Herodis iram declinans, quando iuit in Ægyptum. Eás ob res Salomon pacificus filius Dei eam fabrefecit, vt in ipſa ceu in vehiculo iter ageret, atque in ipſa requieſceret, iuxta illud: Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo. Verùm qui Angelis cęlum empyreum creauit tàm pulchrum, hominibus mundum hunc, tàm decorum dedit, paradiſum ameniſsimam Adæ tribuit: quanto pulchriùs ac meliùs ſibi ipſi ferculum pręparauit

Eccle.24.

Nota.

parauit? Ex lignis non quibuſuis, ex monte Libano de-ſumptis, fecit ſibi filius Dei hoc ferculum. Nam ligna illa nedum pretioſa, ſed imputribilia ſunt, nec à vermibus conſumuntur. Ad eandem imaginem Virgo ſancta ſic cōcepta fuit, vt immunis foret à verme originalis culpæ. Columnæ argēteæ ſunt quatuor morales virtutes: videlicet, fortitudo, temperantia, iuſtitia, prudentia. O quā fuit fortis, quæ omnipotentem filium concepit, ſuoque gremio portauit. Hæc planè eſt mulier illa fortis, de qua Sapiens Salomon velut demiratus prophetauit: Mulierē fortem quis inueniet? procul & de vltimis finibus pretiū eius: ideſt, hæc erit vera mater Dei & hominis Meſsiæ. Quis eam inueniet? nempè nemo, niſi Angelus Gabriel à ſummo Deo miſſus, qui eam orantem in Nazareth inueniet. O fortitudinem vehementer mirandam, vt puella tenera alligare potuit fortiſſimum Samſonem, non vinculis æreis, ſed funibus mortalitatis noſtræ. Dalila quondam Samſonem alligauit hominem mortalem: at Virgo ſancta cingulo noſtræ humanitatis comprehendit, ac tenuit virtutem cæleſtem, in qua Pater portat omnia. Iudith ſuperbum Holofernem occidit, cuius fortitudo in ciuitate Bethuliæ ab omnibus laudatur: alma Maria ſathanam ſuperauit, & prorſus caput eius confregit, quique rex ſuper omnes filios ſuperbiæ vocatur. Quid de temperantia, cæteriſque virtutibus dicam? Profectò virtutibus cunctis ornata Angelis ipſis prodigio erat. Ecce thronus eburneus Salomonis auro pretioſiſsimo veſtitus, quem ille fecit in domo Libani, hoc eſt, in ſancta Ecclesia. Duæ manus autem tenebant ſedile hinc inde, & duo leones ſtabant iuxta manus. Ebur virginitatem & cādorem ſanctitatis Mariæ indicat: aurum charitatem eius ſignat, quæ vel maximè fulſit in ea: duæ manus tenentes

Prouer. 31.

Iudi. 16.

Iob. 41.

3. *Reg.* 10.

Figura.

virginem ſanctam, humanitas Chriſti & diuinitas: leones ad cuſtodiam duo teſtaméta ſunt, magnalia Deiparę canentia. Vndè Anſelmus ait: Tu domina porta vitæ, ianua ſalutis, aditus recuperationis, aula vniuerſalis pietatis, vas & templum ſalutis vniuerſorum: tu oſtendiſti mũdo Dominum ſuum, quē priùs neſciebat: tu genuiſti mundo reſtaurationem, quo perditùs indigebat. Media huius ferculi Rex filius Dei charitate conſtrauit, propter filias Hieruſalem. Satis appoſitè propter homines alma Dei genitrix charitate pręfulget, quos in afflictione adiuuat, & clamantes ad ſe, quālibet peccatores ſint, exaudit: nec nō & iuſtis maiora dona quotidie impetrare ſolet.

S. Anſelmus.

PRO ANNVNTIATIONE Mariæ Virginis.

E*Gredimini, & videte regem veſtrum filiæ Sion in diademate ſuo, quo coronauit eum mater ſua in die deſponſationis, & in die lætitiæ cordis eius.* Cant. 3.

Annotatio decima ſexta.

Lucæ. 1.

MYSTERIO ſtupendo incarnationis patrato, Gabriel Angelus receſsit, & beatam Virginem dimiſit (vndè Lucas inquit: Continuò receſsit Angelus) partim admiratus de humilitate profunda Mariæ Virginis, quippe quæ ſeſe ancillam Domini appellarat: partim autem contemplans filium Dei hominem factum: Angelos excitat, & clamat: *Egredimini filiæ Sion, & videte Regem veſtrum Salomonem in diademate ſuo.* Videte, & ſtupeſcentes grates ſummo numini facite, qui ſic homines dilexit, ſic

ſos euehere inſtituit, vt homo factus, labores & faſtidia eorum non horreret. Egredimini, empyreum cælum dimittentes, Nazareth fœlicem ciuitaté viſitantes, quandã virginem nomine Mariam conſiderate, ſine virili cõſortio fœtam, Spiritus ſancti virtute cooperante. Mater ipſa ipſum Verbum Dei coronauit, & diademate carnis decorauit: ita vt perſona diuina in vnitate ſibi humanitatem aſſumpſerit. Ecce nouum, quod Deus fecit ſuper terram, mulier circundedit virum: idq; factum eſt, in die deſpõſationis, & lætitiæ cordis eius. Spõſam accepit ſibi humanitatem, ideò tanquam ſponſus, ſub tẽpore procedet de thalamo ſuo. Et quia vltrò opus hoc mirificum operatus eſt, lætitia magna exhilaratus in mundo apparebit: exultabitque vt gigas ad currendam viam, & ſi laborioſam valdè & ſenticoſam. Hiere. 31.

Vel ſi lubet de natiuitate Saluatoris hanc ſententiã explicauimus. Nempè Saluatore nato Angelus ad paſtores ait: Annũcio vobis gaudium magnũ, quod erit omni populo: quia natus eſt vobis hodie Saluator. Egredimini filię Siõ, vos qui in ſpecula poſiti eſtis, & vigilatis ſuper gregẽ veſtrum: ite in Bethlehem, & videte Regem veſtrũ Salomonem, quem coronauit mater ſua: inuenietis eũ pannis inuolutũ, & poſitum in præſepio. En inſigne regalis dignitatis, paupertas & humilitas ipſum decorant. Egredimini portas ſenſuũ, literæ corticẽ, & tenebras Iudæorum cæcutientium, alioqui eum videre, & adorare, haud poteritis: nã ſi non credideritis, non intelligetis. Cæterũ paſtores egredientes feſtinanter venerunt, & Regẽ Salomonẽ cũ iubilo adorauerunt. Nos ergo egrediamur de mũdo nequã, belluinos affectus dimittamus, quo Regẽ noſtrũ videre mereamur in diademate ſuo: videnteſq; toto pectore diligam⁹, & pro virili noſtra perpetim ſeruiamus. Lucæ 2.

EX CAPITE QVARTO ANNOTATIONES.

DE INNOCENTIA VIRginis Mariæ, & de illius natali.

QVàm pulchra es amica mea, quàm pulchra es, oculi tui colũbarum, abſque eo, quod intrinſecus latet. Cantic. 4.

Annotatio decima ſeptima.

SPONSVS filius Dei perſiſtit in laudibus almæ Mariæ ſuæ matris: & quãquam de Cõceptione ſua immaculata encomia hæc locum habeant: accommodatiùs natiuitati Dei genitricis conueniunt. Videt filius æterni Patris puellam virginẽ iam natam, & ideò clamat: *Quã pulchra es amica mea.* Superiùs dixerat: Ecce tu pulchra es amica mea: nunc verò non ita. Ratio, quia conceptionẽ immaculatam eius non omnes crediderunt: verùm eorũ ſeculum eos excuſat. Nam ſi Eccleſiam Romanam tũc agnoſcerent patres antiqui, hanc veritatem profitentem, profectò aſſererent, quod nos in hac noſtra tempeſtate aſſerimus. Illud enim de re potiſsimum dicimus, quod continuò nequeat ab omnibus deprehendi. Beatiſſimæ verò matris natiuitatem ſanctiſſimam fuiſſe, nemo non confitetur. Eam ob cauſam quaſi de ingenti, & nullí non cognita pulchritudine, ait: Quàm pulchra es, propter integritatem naturæ, quæ ſanè in cæteris corrumpitur, per tyrannidem originalis culpæ, dicente Dauide: In peccatis concepit me mater mea. Rurſus, ô amica mea quàm pulchra es,

Cant. 1.

Pſal. 50.

pulchra es,propter eminentem concreatæ gratiæ præſentiã,in aliis deſideratã,paterni vulneris repugnante putredine.Decora ſtatim vocatur, forſitam propter corporis extrinſecã pulchritudinem,&membrorum omnium cõpactionem elegantiſsimam,quę primum potuit ipſa orta conſpici.Sed heu quia in aliis mulieribus rara cõcordia formę atq; pudicitiæ,natura ſaltem originali contagio vitiata. Vndè Sapiens clamat:Fallax gratia, & vana eſt pulchritudo,mulier timens Deũ ipſa laudabitur. Et iterum, propter ſpeciem mulierum,multi perierunt:at, in Maria talis erat venuſtas,quæ carnis petulantiam, intuentium ſe profligabat,prorſuſque extinguebat. Enimuerò,ſi odor myrrhę tantæ virtutis eſt,vt vermes extinguat:quanto magis Virginis ſanctitas irradians,apud omnes carnalis concupiſcentiæ vermes enecabat? Eam ob rem, oculi eius vt columbæ erant:planè nec elati neq; laſciui (nec petulãtis aſpectus eſt columba)ſed dimiſsi,humilis,verecundi, & pudiciſsimi,ita vt intuentibus citiùs poſsit ſimplicitatis, & puritatis deſiderium inferre,quàm auferre. Talis proculdubio erat aſpectus almę Virginis.Sed quid eſt,quod ſequitur? *Abſque eo,quod intrinſecus latet.* Equidem latebat in ea ingens fides,mira charitas,ſpes ſtupenda.Sed nõ ait ſponſus,abſque iis,quæ intrinſecùs latent, ſed abſque eo, quod latet.Nempè quod in Virgine latebat, & ſpõſo vel maximè placebat,inſitum ſeruandè virginitatis propoſitum erat.O rem nouam,& nuſquam ante hac auditam: nullius conſilio,nullius præcepto,nullius dènique exemplo perpetuam virginitatẽ ſeruare regina mundi Maria inſtituit:vt ſingularis hæc gloria filiæ regis eſſet ab intus, & adducerentur Regi virgines poſt eam, quod optimè vaticinatus eſt Dauid.Eodem attinet,quod ipſa prudentiſsimè Gabrieli reſpondit:Quomodo fiet iſtud, quoniã

Prouer.31. Collatio. Nota. Pſal.44. Luca.1.

virũ non cognoſco? hoc eſt, nec cognoſcam vnquam, eò quod virginitatem meã creatori meo ſacraui. Ecce donum cæleſte, quod intrinſecus latuit in ea, & nemini innotuit, donec Angelus ad eam venit, attulitq́; fauſtiſſimum illum nuncium. Vel quod intrinſecus latebat, erat oratio iugis, & eleuatio mẽtis in Deum, per quam indefeſsè gratas Deo offerebat preces. Sæpe multi piorum, quãuis ore taceant, mente feruida clamant. Vndè Moy ſi dixit Deus optimus: Quid clamas ad me? quippe ille mente duntaxat orabat. Maxima ergo laus eſt cuiuſq; fidelis animæ, cordis arcana ſanctiſſimè cuſtodire, eaq́; retinere, depulſis cunctis illecelebris voluptatum, & affectu rerũ humanarũ longiſſimè abdicato, ſolaq́; cæleſtia animo candido contemplari, mente capere, cogitatione cõplecti: nec aliud meditari, ac velle, quandiu huic carceri teterrimo incluſi ſumus, quàm ſoli Deo inhærere. Qua in re Virgo ſancta inter omnes Dei electos palmas tenuit, decantans cum Regali propheta: Mihi autem adhærere Deo, bonum eſt, & ponere in eo ſpem meam.

Exod.14.

Pſal.72.

DE FORTITVDINE almæ Virginis.

Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificatur cum propugnaculis. Mille clypei pendẽt ex ea, omnis armatura fortium. Cant.4.

Annotatio decima octaua.

NVNC meritò ſponſus Chriſtus IESVS ſuam genitricem miris encomiis exaltat, natiuis coloribus fortitudinem mirabilem illius depingens. Verùm rex Dauid quondam in

domo

domo ſua turrim ædificauit, miro artificio conſtructã: & verus Dauid manufortis I E S V S, qui potenter tenebrarum principem profligauit, matrem ſuam benedictã fabrefecit, creauitque, tàm fortem, vt iure turri ſit comparata. Taceat iam Iudith, quæ ſuperbum Holofernen ſuo gladio occidit: ſileat Iahel Siſaram ducẽ regis Iabin clauo enecans: longè fortior Regina noſtra Deipara Maria fuit, quippe quæ regem illum ſatanam, Dño auxiliãte, cui cit: de quo Iob: Ipſe eſt rex ſuper omnes filios ſuperbię: & iterum: Non eſt poteſtas ſuper terram, quæ comparetur ei. Enimuero, ſic beata Virgo triumphauit de hoc verſuto ſerpente, vt caput eius contereret, ſummo adiuuante numine: ita nec per inſtans originali culpæ obnoxia fuerit: alioqui non fortis eſſet, inſtar turris Dauid, quæ ædificata eſt cum propugnaculis. Dicamus ergo omnes fideles, & voce conſona perſonemus, quod olim de ſancta illa muliere dictum eſt: Vna mulier Hebræa fecit confuſionem in domo Nabuchodonoſor: quandoquidẽ in conceptione Virginis beatiſſimæ confuſus manſit ſuperbus ſatanas, & omnes complices eius vehemẽter erubuerunt, eo quod nil peccati puella benedicta contraxit. O turrem mirabilem, ex qua prodiit fortior armatus, filius Dei homo factus, vt vinceret eum, qui in atrio huius mundi captiuos tenebat filios Adæ: quo ſuperato, ſpolia eius diſtribueret, ditaretque ſuam Eccleſiam. Propugnacula huius turris fortiſſimæ exempla illuſtria ſunt, quæ nobis ſacra Virgo reliquit imitanda. Sunt etiam ſeptem illa verba, quæ ipſa loquuta eſt, vt Euangeliſtæ adfabre enarrant. Erant quidem labia eius vt vitta coccinea: ideò verba illius igne charitatis ſuccenſa, corda noſtra in amorem Chriſti vehementer inflammant. Mille clypei virtutes ſunt, quibus munitur, & vſque-

Iudith. 13.
Iudi. 4.
Iob. 41.
Iudith. 14.
Lucæ. 11.

adeò

adeò ipſa ornatur. Fidem Apoſtolus ſcutum appellat, in quo poſſumus omnia tella inimici, & ſi ignea, extinguere: qua virtute maximè Virgo ſingularis emicuit. Beata quę credidiſti, ait Eliſabeth, quoniam perficientur in te, quæ dicta ſunt tibi à Domino. Quid de flāmigera charitate eius dicam? Vulnerata charitate, ait, ego ſum. De ſpe eius in Pſalmo habetur: Quoniam tu Dñe ſingulariter in ſpe conſtituiſti me. Rurſus virtutes morales tanquam clypei mirabiliter refulgent in illa. Denique omnis armatura fortiū in hac turri Dauitica apparent. Quicquid in Abraham virtutis apparuit, quod in Iſaac, Iacob, Dauid, aliiſq; priſcis patribus laude dignum fuit, hoc præcellentius in Maria virgine effulſit. Hinc lepidè Salomon dixit, turrim hanc à longè contemplans: Multæ filiæ congregauerunt ſibi diuitias, tu verò ſupergreſſa es vniuerſas.

Lucæ. 1. *Pſal. 4.* *Prouer. 31.*

Collum eſt fides. Vel ſi lubet, dicamus, quòd fides in Maria ſicut turris Dauid fuit. Nempè collum rectè fides dicitur: nam longiùs inſpecturi, collū extendimus. Sic per fidē, futura præuidemus, & longè poſita præſtolamur. Tales ſunt fideles omnes, qui & ſe benè docent, ad benè beateque agendū, & cæteros inſtruūt, ad futurā gloriam vendicandā. Quid quòd per collū, ſaliua deſcendit à capite, & ad eundē modum gratia nobis datur à Chriſto per fidē, iuxta illud: De cuius plenitudine omnes accepimus gratiā pro gratia. Dicamus ergo: Virgo prèclara, totius mundi Domina, fides tua ſicut turris Dauid fortis, & admirabilis, adeò vt Apoſtolis fugientibus, & in paſſione filij tui ſuccūbentibus, fides tua charitate & ſpe roborata, nunquam defecerit: quin vt columna immobilis ſemper manſit. Ad hanc turrim nos fideles, vbi inimici nos inſectati fuerint, fugiamus: hanc diu noctuque inuocemus, ne fortè ob ignauiā noſtram pereamus.

Ioan. 1.

PRO

PRO ASSVMPTIONE Mariæ Virginis.

VEni de Libano ſponſa mea, veni de Libano, veni & coronaberis. Cantic. 4.

QVAM priùs in Conceptione ſponſus laudauit, vt potè immunē à tyrannide originalis culpæ, totā pulchram matrem ſuam appellans, & abſq; omni macula: nunc, trāſitu glorioſo illius appropinquāte, ad coronam immarceſibilis gloriȩ vocat. Paulò ante dixerat: Tota pulchra es amica mea, & macula nō eſt in te: ac ſi dicat: Tota pulchra es in corde, quia fictȩ, obliquȩ aut mercenariȩ intentionis non eſt in te macula. Tota pulchra in anima & in corpore, quia mundi, carnis vel diaboli noxa non eſt, nec fuit vnquā in te. Tota pulchra in ſilentio, & ſermone, tota pulchra in legis obſeruatione, in Euangelica perfectione: quia negligentiæ, aut tepiditatis, macula non eſt in te. Denique, tota pulchra in proſperitate & aduerſitate, in ſubiectione, & prælatione: quia elationis, & inconſtantiȩ culpa non eſt in te. Hȩc omnia in vna ſacroſancta Virgine Maria inuenimus, & pleraque alia id genus: quoniā Deus eā magnificauit: & quia tota pulchra in ſua immaculata cōceptione gratia Dei effecta eſt. Sed Vndè tam pulchra? nempè quia Virgo ſancta ſemper in Libano fuit. Libanus candidatio interpretatur. *Veni de Libano ſoror mea, ſponſa veni de Libano.* Hinc ſanè tā præclara, tàm completa & in omnibus admiranda Virginis pulchritudo, à Patre luminum, à ſplendore paternæ gloriæ prædeſtinante, vocante, & glorificante, iugiterque in auribus eius intonante, *Veni de Libano ſponſa mea.* Veni per fidem, ait Pater, quia ſpon-

Annotatio decima nona.

ſponſaui te mihi in fide, ſponſaui te mihi in ſempiternũ.
Oſeæ.2. Veni iterum per ſpem, ait filius, cùm vnicã Gẽtium ſpẽ genueris. Veni per charitatem, clamat Spiritus ſanctus, vt in matrem pulchræ dilectionis ſis electa. In commentariis noſtris fuſiùs locũ hunc expoſuimus, de vocatione Eccleſiæ, quam congregauit Dñs ex Gentibus: nunc de ſancta & intacta Virgine eundem locũ explicemus. *Coronaberis de capite Amana, de vertice Seir, & Hermon.* Vbi aduertẽdum, quòd ſolis legitimè certãtibus, autore Paulo, corona datur: Non coronatur, niſi qui legitimè certauerit. Profectò in agone Virgo ſancta cõtendet: tot calamitates perpeſſa, tùm in Ægypto, inter idolatras degẽs, tùm deniq; in atrociſſima filij ſui nece, vbi pluſquam martyr fuit, diuo Hieronymo teſte. Amana, id eſt, iniquus diabolus, cuius caput alma Virgo contriuit. Sanir, & Hermon montes ſunt valdè frugiferi. Coronatur ergo benedicta Maria duplici corona, quia virgo & mater ſummi Dei eſt.
Eſai.35. Hinc Eſaias ait: Gloria Libani data eſt ei, Carmeli & Aſſaron. Nónne hæc eſt mulier illa, de qua diuus Ioannes in
Apoca.12. ſua Apocalypſi dixit: Signum magnum apparuit in cęlo, mulier amicta ſole, & luna ſub pedibus eius, & in capite eius corona duodecim ſtellarum. Verùm non abs re diſcipulus IESV magnum ſignum ſe vidiſſe teſtatur, quia magna, & nimis mirabilia de gloria Virginis hîc latent præconia. Dignum planè ſtellis coronari caput, quod & ipſa longè clariùs ornet eas, potiùs quàm ornetur. Quid ni coronent ſidera, quam veſtit ſol? quis eas æſtimet gemmas? quis ſtellas nominet, quibus Mariæ regium diadema compactum eſt? Supra hominẽ eſt, huius coronæ indicare rationem, ait beatus Bernardus. Profectò duodecim ſtellæ duodecim priuilegia, quibus Deipara virgo fuit inſignita indicant. De quibus gemmis conſultò nũc

tacemus,

tacemus, eo quod ſanctus Bernardus fuſiùs eas explanat ſermone.7. aſſumptionis immaculatæ Virginis. Sat ſit ſcire, quòd rex Aſſuerus reginæ Heſter, ingredienti regiã aulam, ſurrexit de trono ſuo, & coronam impoſuit: amabat nimirum eam ſuper omnes mulieres. Ad eandem imaginem Chriſtus IESVS Rex regum, & Dominus dominantium, hodie matri ſuæ cælum empyreum intranti, coronam de lapide pretioſo tribuit, ſuper omnes choros Angelorum eam colloquans. In cuius typo rex Salomõ matri ſuæ Berſabæ thronum dedit, ad dexteram ſuam.

S.Ber.Ser.7. Aſſump. Mariæ.
Heſter.5.
3.Reg.2.

DE VERBIS NECTAREIS Deiparæ Mariæ.

F*Auus diſtillans labia tua ſponſa, mel & lac ſub lingua tua.* Canti. 4.

DE forti muliere Salomon dixit: Lex clemẽtiæ in lingua ipſius. Quæquidem laus non eſt paruipendenda, quùm nonnulli lingua ſua quam multos ſauciare non metuant, nunc probra proferendo, nũc peierando, nunc deniq; etiam mortuis non parcendo. In quos Propheta inuehitur dicens: Acuerunt linguas ſuas, ſicut ſerpẽtes: venenum aſpidum ſub labijs eorum. Etenim, Apoſtoli ſententiam, qui tales ſunt, timeant oportet: Maledici regnum Dei non poſſidebunt. Almę virginis mores, & vitã omnes ſectemur, in cuius lingua nõ niſi lex clemẽtiæ inuenitur. Hinc rectè à ſponſo laudatur, qui veluti demiratus inquit: *Fauus diſtillans labia tua ſponſa, mel & lac ſub lingua tua.* Appoſitiſſima quidem comparatio, penitiùs eam

Annotatio vigeſima.
Pſal.139.

eam rimemur. Quid obſecro, reſponſio illa, quam Virgo ſacra paranympho Gabrieli dedit, niſi fauus diſtillans
Lucæ.1. fuit? Ecce ancilla Domini, ait, fiat mihi ſecundum verbũ tuum. Tam fuerunt hæc verba mellita dulcedine plena, vt ſubindè Verbum Patris omnipotẽtis homo factus eſt. Mel & lac ſub lingua tua, ô regina mundi, nam duo fontes ex ore tuo ſacro ſemper dimanant: mel dulce præbes viris perfectis, lac verò porrigis paruulis, & incipientibus.
Ioan.4. Proculdubio eloquiũ eius in nuptiis Galileæ tàm fuit gratum, & faui diſtillantis inſtar ſuaue, vt cõfeſtim Saluator magnum miraculum patraret, aquam conuertens in vinum optimum. Deniq; canticum illud (Magnificat anima mea Dominum) quod in domo Zacharia cecinit,
Lucæ.1. nónne fauo ſuauius eſt? Deniquè verba melliflua Virginis ſacroſanctæ, quæ in templo filio ſuo Chriſto IESV dixit, tàm fuerunt illi ſuauia, vt deſcenderet cum ea & Ioſeph in Nazareth, & inibi erat ſubditus illis, qui cęlum & terram, totumq; orbem regebat. Ecce noua bella elegit Deus, nouumque pugnandi modum, vt hoſtiũ portas ipſe ſubuerteret. Ecce Heſter, cuius imaginem illa gerebat, in atrio domus regiæ interiùs, per contemplationẽ
Heſter.15. erecta, diffuſa eſt gratia in labiis eius: imò facta ſunt fauus diſtillans labia illius, quia ſermonem compoſitum, & bene ſonantem in auribus cæleſtis Regis protulit, & labiis charitatis ſuæ humilitate penetrantis illum percuſſit, vulnerauitque. Tũc cor leonis de tribu Iuda (quippe qui nullo potuerit telo fœliciùs, quã charitatis humilitate tranſuerberari) ſtatim mutatum eſt: & reſpiciens humilitatem
Lucæ.1. ancillæ ſuæ, audiens verba illa nectarea (Ecce ancilla Domini) feſtinans de ſolio ſuo deſcendit, & ad conuiuium, quod opere Spiritus ſancti parabatur, intrauit, ac voluntati reginæ Heſter morem gerens, lætus in vtero eius factus

homo

homo accubuit. Tunc re vera mel & lac ſub lingua Mariæ fuerunt, nam mel, quod rore cæli fit, ſymbolum diuinitatis eſt: lac, quod de terra procedit, humanitatis ſignũ fore, nemo eſt qui ambigat. Quæ duo in perſonæ vnitatẽ mirabiliter coierunt. En quàm dulcia, quàmque omni mellita dulcedine ſuauiora verba ſacerrimę Virginis fuerint in auribus ſummi Dei. Nempè eloquium eius dulce eſt, & facies illius decora, ipſo ſponſo teſtante, qui nec fallere, neque falli poteſt.

DE VIRGINITATE MIRABILI Virginis Mariæ, quæ potiſsimè colitur in feſto Expectationis.

HOrtus concluſus ſoror mea ſpõſa, hortus concluſus, fons ſignatus. Cantic. 4.

QVANQVAM in declamatione expectationis almæ Virginis, ſatis abundè me dixiſſe exiſtimo de perpetua virginitate Mariæ reginæ noſtræ: placuit hæc nihilominùs hîc annotare, ad laudem illius. Hortum, eam appellat ſponſus, ob magnam fœcunditatem, concluſum verò, ex virginitatis gloria. Nempè Dei genitrix hortus fuit admodum fœcundus: quia fructum benedictũ mundo edidit, de quo Eliſabeth: Benedictus fructus ventris tui. In hoc fructu benedictæ ſunt omnes gentes: vti multis retrò ſeculis promiſſum fuit Abrahæ: In ſemine tuo benedicentur omnes gentes. Vbi Paulus perbellè inquit: Non in ſeminibus, quaſi in multis, ſed in ſemine tuo, quod eſt Chriſtus. Ecce hortus Aſſueri, qui ma-

Annotatio vigeſima prima.

Lucæ.1.

Gene.22.

Heſter.1. nu regia conſitus fuit, ſicut in Heſter legimus. Sua potenti manu filius Dei matrem ſuam creauit: & qui Adæ paradiſum amenißimam fecit, & in illa eum poſuit, ipſe ſibi hortum plantauit omnium virtutum arboribus conſitum: in quo ſibilus ſerpentis venenoſi auditus non eſt vnquã. Quod autẽ iterũ, ait: *hortus concluſus*, ad virginitatis integritatem attinet. Nam porta hæc, ait Dominus, nõ
Ezc.44. aperiretur, ſed erit clauſa in æternum. Quod planè nonnihil apertiùs ſponſus oſtendit, dicens: *Fons ſignatus*, vtiq; ſigillo totius Trinitatis: quemadmodum ſanctus Augu-
S. Auguſt. ſtinus exactè explicat. En in fonte ſignato perpetuã oſtendit virginitatẽ Mariæ, & tanquã quodam inuolucro ſponſus, aſtruit. Hanc virtutem vocat Auguſtinus portionem Angelicam. li. de virgini. Nam hæc eſt virtus excellentiſſi
S. Tho. 22. q. 152. ma in genere caſtitatis. S. Thom. 22. q. 152. articul. 5. Vndè pulchrè ſanctus Ambroſius: Pulchritudinem quis poteſt æſtimare maiorem decore virginitatis, quæ amatur
Li. de virgi. à rege, probatur à iudice, dicatur Domino, conſecratur Deo? Hinc laureola virginitati datur, ſicut & martyrio. O fœlices virgines, quippe quæ ſequuntur agnum quocunque ierit: quin& ipſę canticum in cælo nouum canunt, quod nemo, niſi virginitate præditus, dicere poteſt. Hac virtute præclara, & Angelis cognata, Deo optimo valdè grata, maximè Deipara Maria fulſit: quippequam plurimæ virgines ouanter ſequutæ ſunt. Quid mul
Nota. tis immoror? Romanis idolis, quæ potiùs dęmonia ſunt, ſeruientibus, tàm pulchra viſa eſt virginitatis virtus, vt templum Veſtalium virginum conſtruerent, in quo virgines ſelectæ ſeruirent. Quod ſi ethnici illi, naturæ ductu commoti, tanti virginitatem fecerunt: quanto magis nos orthodoxi hanc virtutem æſtimare debemus, poſtquam Chriſtus filius Dei ex Maria virgine naſci dignatus

gnatus

gnatus eſt? O ter quaterque beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. *Matth. 5.*

PRO NATIVITATE almæ virginis Mariæ.

F*Ons hortorum, puteus aquarum viuentiũ, quæ fluunt impetu de Libano.* Cāt. 4.

ADIVC ſponſus Virginis præclaræ Mariæ in laudibus eius perſeuerans, fontis metaphora vtitur. Et quam fonti ſignato nuper comparauit, nũc hortum fontem iure vocat. Enimuero conſcientię fidelium horti benè dicuntur: nam ex bona conſcientia flores deſideriorum, verba ſancta, & opera bona naſcuntur. Sicut rex Salomon olim plantauit hortos, & pomeria, ſic verus & figuratus Salomon Chriſtus IESVS hortos ameniſſimos ſibi fecit, mentes noſtras ſanctificãs, in quibus, mirum in modum ipſe deliciatur: alioqui ore ſuo non diceret: Deliciæ meæ cum filiis hominum. O ſummi numinis ineffabilem erga nos charitatem, qui tot millia Angelorum habet in cælo, cui millia millium miniſtrant, & decies centena millia ei aſſiſtunt, is tàm eſt amore hominum captus, vt delicias ſuas fore aſſerat cum filiis hominum. Vtinam deliciæ noſtræ tantùm eſſent cum ipſo loqui, ipſum indeſinenter contemplari, eumque totis niſibus colere, & amare. Ad rem: fons irrigans omnes hortos Eccleſiæ, omnes religiones ſanctas, & varios ſtatus fidelium Virgo ſancta eſt: eo quod eius interuentu chariſmatum dona omnes recipimus. Quid multis? *Annotatio vigeſima ſecunda.* *Pro. 8.*

Ee 2 quan-

quando Pater cæleſtis per manus Mariæ nobis dedit filium vnigenitum, qui ſuo ſacro cruore, ſuaque nece nos à morte perpetua liberaret: quid ea præcante, fidelibus Deus optimus non impertiet? Equidem ipſa indefeſſè Patrem orat: Domine da eis irriguũ ſuperiùs, & inferiùs, ne terra eorum, id eſt corda, areſcant. Hoc eſt: Da tuis fidelibus, qui in te vno confidunt, & à te ſolo pendent, da obſecro irriguum inferiùs, ita vt de erratis ſuis priſtinis toto corde doleant, lachrymis delicta ſua diluant. Prębe rurſus irriguum ſuperiùs, affectu tui videndi, vt cum Propheta clament: Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, vbi eſt Deus tuus? Itaque intemerata Virgo fons hortorum eſt, eorum ſcilicet, qui variis virtutum arboribus, & diuerſis gratiarũ ſpiritualium aromatibus eminent. Quos virgo benedicta vti hortulana ſapientiſsima rigat, vt erigat, erigit, vt roboret, roborat, vt creſcant, & per cæleſtis deſiderij fluẽta aſſidua iugiter creſcendo, cælum penetrantes, ad ſuperna bona deueniant. Notandum, quòd fons & puteus alma Dei genitrix appellatur, quò profunditatem virtutũ illius agnoſcamus. Fons paradiſi eſt, aſcendens de terra & irrigans, vt diximus, hortos omnes in ſancta Eccleſia. Puteus etiam eſt profundus, ob mirabilem humilitatem, fidem perfectam, charitatemque flammigerã. Benè merito ergo, hodierna die illuſtrans mũdum natali ſuo glorioſo, illud Heſter cantabimus: Fons paruus creuit in fluuium magnum. Creuit inquam puella ſancta, ita vt ex ea fluuius magnus prodiret, Chriſtus IESVS filius Dei. De cuius plenitudine omnes accepimus gratiam. Quique in templo voce ſonora clamabat: Si quis ſitit veniat ad me, & bibat. Cæterùm ſi quis ſcire optat, vndè fons hortorum, & puteus aquarum viuentium Maria

Ioſue. 15. *Pſal. 41.* *Gene. 2.* *Heſter. 10.* *Ioan. 7.*

efficitur,ſequentia verba expendat. Nempè aquę omnes, ideſt, virtutes, & dona ex monte Libano dimanarunt, ex illo, qui candor lucis æternæ rectè appellatur. Filius Dei ſic vnicè Mariã virginem dilexit, ſic ſuper omnes ſanctos euexit, vt eã ſibi matrem elegerit. Quã dignitate inſignitã ſuper omnes angelorum choros exaltauit.

EX CAPITE QVINTO ANNOTATIONES.

PRO FESTO ANNVNciationis almę Virginis Mariæ.

VEniat dilectus meus in ortum ſuum, & comedat fructus pomorũ ſuorũ. Cãti. 5.

SI omnes Prophetæ Spiritu Domini afflati ſæpe ſæpiùs Meſſiæ tàm diu deſideratum totis medullis cordis flagitabant: quãto affectu Virgo ſancta, quæ longè maiori charitate flagrabat, filij Dei incarnationẽ expoſcebat? Equidem quę priùs ardẽti deſiderio aiebat: Oſculetur me oſculo oris ſui, ipſa rurſus clamat: *Veniat dilectus meus in hortum ſuum.* Hortum Domina vocat legem, in cuius ceremonijs, & ſacrificiis Deus optimus delectabatur, quamuis inuolucra erant, & vmbram habebant futurorum, teſte Paulo. Suo autem ſeculo legalia & ceremonialia frugifera erant, & à Dño inſtituta. Sole verò iuſtitię irradiante, lex illa abiit, & euangeliũ ſanctum manſit ad finem vſq; ſeculi. Eã ob cauſam Saluator in vltima cœna, teſtamentum æternum appellauit, poſt quod nullum

Annotatio vigeſima tertia

Cantic. 1.

Hebræ. 10.

erit vnquam. Hic eſt calix ſanguinis mei noui, & æterni teſtamenti. Ratio quia teſtamentum morte teſtatoris cō-
Hebr. 9. firmatur, vt exactè Apoſtolus conteſtatur. Rogat ergo intemerata Virgo, vt quàm primum Meſsias veniat, legemque illam veterem implens, nouam inſtituat. Fructus pomorum ſacramenta nouæ legis ſunt, quos edidit Chriſtus, præbens nobis, loco circuncifionis, ſacrum baptiſma. In quo omnes, quotquot baptizati ſunt Chriſtum IESVM induunt, meritis eius perfruentes. Sic pro tot ſacrificiis, & holocauſtis brutorum, vnicum nobis reliquit ſacrificium, quod quotidie offerimus cæleſti Patri, in ſancto altari ſacra celebrantes. Itaq; Saluator noſter Chriſtus eo venit, vt natus ex muliere, & ſub lege factus, eos, qui ſub lege erant, redemit, nobiſque adoptionem filiorum præ-
Gal. 4. ſtitit. O magnum pietatis ſacramentum: non modò nos à poteſtate diaboli, ſed à iugo graui legis veteris, & ſi immeritos eripuit, vt bifario amoris vinculo nos ſibi adglutinaret. Væ nobis ſi tantam gratiam neglexerimus. Cæte-
Nota. rùm Virgo immaculata, & vnaquæque anima pia ſponſum vocat ad hortum conſcientiæ. Arbores manu regia plantatæ virtutes ſunt, ita vt fides, ſpes, & charitas, fructus ſuos gignāt pulcherrimos, ac dulces ad veſcēdum. Opera ergo harum virtutum, atque aliarum, quæ morales vocantur, Chriſtus edere dignatur, vbi gratanter ea reſpicit ac ſereno vultu accipit quin hos fructus depoſcit in Euāgelio: Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant
Matt. 5. opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cælis eſt. Et itidem: Ego poſui vos, vt eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat. O nos beatos, ſi re ipſa ei dixerimus: Omnia poma noua, & vetera ſeruauimus tibi, dilecte amantiſsimè. Equidem beneficia, quæ priſcis patribus contuliſti, ex Ægypto illos liberans, & tot

porten-

portentis patratis, in terram promiſſam eos ducens, nec non potiora bona, quæ in redemptione noſtra operatus es, ob oculos ſemper habentes, tibi inexauſtas gratias agemus, non vt par eſt, ſed quatenus fragilitas noſtra ſuppetit. Clamemus ergo, diu noctúque precemur cum Deipara Maria: *Veniat dilectus meus in hortum ſuum, & comedat fructus pomorum ſuorum.* Non mundus nequam, neque dęmon cruentus quicquam de operibus noſtris rapiat, neque inanis gloria aliquid arripiat: ſed tu Domine qui hortulanus noſter es, de lignis pomiferis, quæ plantaſti, poma omnia collige.

PRO FVGA, QVAM VIRGO cœpit, Herode ſeuiente.

V*Ox dilecti mei pulſantis: Aperi mihi ſoror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea.* Cantic. 5.

MIRABILE eſt, quantum Saluator noſter dilexerit pro nobis pati, quùm à cunabulis voluerit fidelibus ſuis exemplum patientiæ, & humilitatis præbere. Non ſeruus eſt maior Domino ſuo: nam ſi me perſequuti ſunt, & vos perſequentur. Ecce quò tendebat fuga hęc, quam Deipara cum puero IESV cepit, pergens in Ægyptum deludens tyrannidẽ funeſti Herodis. Quãdoquidem tãta erat cura cęleſti Patri de filio ſuo Chriſto, vt ante ſæuitiam cruenti Herodis Angelum ſuum miſerit Ioſeph viro iuſto, qui ei narrauit ſtragem futuram, in qua velut debacatus rex iniquus tot millia innocentum erat

Annotatio vigeſima quarta.

Matt. 2.

virũ non cognoſco? hoc eſt, nec cognoſcam vnquam, eò quod virginitatem meã creatori meo ſacraui. Ecce donum cæleſte, quod intrinſecus latuit in ea, & nemini innotuit, donec Angelus ad eam venit, attulitq; fauſtiſſimum illum nuncium. Vel quod intrinſecus latebat, erat oratio iugis, & eleuatio mẽtis in Deum, per quam indefeſsè gratas Deo offerebat preces. Sæpe multi piorum, quãuis ore taceant, mente feruida clamant. Vndè Moyſi dixit Deus optimus: Quid clamas ad me? quippe ille mente duntaxat orabat. Maxima ergo laus eſt cuiuſq; fidelis animæ, cordis arcana ſanctiſſimè cuſtodire, eaq; retinere, depulſis cunctis illecebris voluptatum, & affectu rerũ humanarũ longiſſimè abdicato, ſolaq; cæleſtia animo candido contemplari, mente capere, cogitatione cõplecti: nec aliud meditari, ac velle, quandiu huic carceri teterrimo incluſi ſumus, quàm ſoli Deo inhærere. Qua in re Virgo ſancta inter omnes Dei electos palmas tenuit, decantans cum Regali propheta: Mihi autem adhærere Deo, bonum eſt, & ponere in eo ſpem meam.

Exod.14. *Pſal.72.*

DE FORTITVDINE almæ Virginis.

Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificatur cum propugnaculis. Mille clypei pendẽt ex ea, omnis armatura fortium. Cant.4.

Annotatio decima octaua.

NVNC meritò ſponſus Chriſtus IESVS ſuam genitricem miris encomiis exaltat, natiuis coloribus fortitudinem mirabilem illius depingens. Verùm rex Dauid quondam in

domo

domo ſua turrim ædificauit, miro artificio conſtructā: & verus Dauid manufortis I E S V S, qui potenter tenebrarum principem profligauit, matrem ſuam benedictā fabrefecit, creauitque, tàm fortem, vt iure turri ſit comparata. Taceat iam Iudith, quæ ſuperbum Holofernen ſuo *Iudith.13.*
gladio occidit: ſileat Iahel Siſaram ducē regis Iabin clauo enecans: longè fortior Regina noſtra Deipara Maria *Iudi.4.*
fuit, quippe quæ regem illum ſatanam, Dño auxiliāte, cui cit: de quo Iob: Ipſe eſt rex ſuper omnes filios ſuperbię: & *Iob.41.*
iterum: Non eſt poteſtas ſuper terram, quæ comparetur ei. Enimuero, ſic beata Virgo triumphauit de hoc verſuto ſerpente, vt caput eius contereret, ſummo adiuuante numine: ita nec per inſtans originali culpæ obnoxia fuerit: alioqui non fortis eſſet, inſtar turris Dauid, quæ ædificata eſt cum propugnaculis. Dicamus ergo omnes fideles, & voce conſona perſonemus, quod olim de ſancta illa muliere dictum eſt: Vna mulier Hebræa fecit con- *Iudith.14.*
fuſionem in domo Nabuchodonoſor: quandoquidē in conceptione Virginis beatiſſimæ confuſus manſit ſuperbus ſatanas, & omnes complices eius vehemēter erubuerunt, eo quod nil peccati puella benedicta contraxit. O turrem mirabilem, ex qua prodiit fortior armatus, filius Dei homo factus, vt vinceret eum, qui in atrio huius mundi captiuos tenebat filios Adæ: quo ſupera- *Lucæ.11.*
to, ſpolia eius diſtribueret, ditaretque ſuam Eccleſiam. Propugnacula huius turris fortiſſimæ exempla illuſtria ſunt, quæ nobis ſacra Virgo reliquit imitanda. Sunt etiam ſeptem illa verba, quæ ipſa loquuta eſt, vt Euangeliſtæ adfabre enarrant. Erant quidem labia eius vt vitta coccinea: ideò verba illius igne charitatis ſuccenſa, corda noſtra in amorem Chriſti vehementer inflammant. Mille clypei virtutes ſunt, quibus munitur, & vſque-

adeò

adeò ipſa ornatur. Fidem Apoſtolus ſcutum appellat, in quo poſſumus omnia tella inimici, & ſi ignea, extinguere: qua virtute maximè Virgo ſingularis emicuit. Beata quę credidiſti, ait Eliſabeth, quoniam perficientur in te, quæ dicta ſunt tibi à Domino. Quid de flāmigera charitate eius dicam? Vulnerata charitate, ait, ego ſum. De ſpe eius in Pſalmo habetur: Quoniam tu Dñe ſingulariter in ſpe conſtituiſti me. Rurſus virtutes morales tanquam clypei mirabiliter refulgent in illa. Denique omnis armatura fortiũ in hac turri Dauitica apparent. Quicquid in Abraham virtutis apparuit, quod in Iſaac, Iacob, Dauid, aliiſq; priſcis patribus laude dignum fuit, hoc præcellentius in Maria virgine effulſit. Hinc lepidè Salomon dixit, turrim hanc à longè contemplans: Multæ filiæ congregauerunt ſibi diuitias, tu verò ſupergreſſa es vniuerſas.

Lucæ.1. *Pſal.4.* *Prouer.31.*

Collum eſt fides. Vel ſi lubet, dicamus, quòd fides in Maria ſicut turris Dauid fuit. Nempè collum rectè fides dicitur: nam longiùs inſpecturi, collũ extendimus. Sic per fidē, futura prævidemus, & longè poſita præſtolamur. Tales ſunt fideles omnes, qui & ſe benè docent, ad benè beateque agendũ, & cæteros inſtruũt, ad futurā gloriam vendicandā. Quid quòd per collũ, ſaliua deſcendit à capite, & ad eundē modum gratia nobis datur à Chriſto per fidē, iuxta illud: De cuius plenitudine omnes accepimus gratiā pro gratia. Dicamus ergo: Virgo pręclara, totius mundi Domina, fides tua ſicut turris Dauid fortis, & admirabilis, adeò vt Apoſtolis fugientibus, & in paſſione filij tui ſuccũbentibus, fides tua charitate & ſpe roborata, nunquam defecerit: quin vt columna immobilis ſemper manſit. Ad hanc turrim nos fideles, vbi inimici nos inſectati fuerint, fugiamus: hanc diu noctuque inuocemus, ne fortè ob ignauiā noſtram pereamus.

Ioan.1.

PRO

PRO ASSVMPTIONE Mariæ Virginis.

V*Eni de Libano ſponſa mea, veni de Libano, veni & coronaberis.* Cantic. 4.

QVAM priùs in Conceptione ſponſus laudauit, vt potè immunē à tyrannide originalis culpæ, totā pulchram matrem ſuam appellans, & abſq; omni macula: nunc, trāſitu glorioſo illius appropinquāte, ad coronam immarceſibilis gloriç vocat. Paulò ante dixerat: Tota pulchra es amica mea, & macula nō eſt in te: ac ſi dicat: Tota pulchra es in corde, quia fictç, obliquç aut mercenariç intentionis non eſt in te macula. Tota pulchra in anima & in corpore, quia mundi, carnis vel diaboli noxa non eſt, nec fuit vnquā in te. Tota pulchra in ſilentio, & ſermone, tota pulchra in legis obſeruatione, in Euangelica perfectione: quia negligentiæ, aut tepiditatis, macula non eſt in te. Denique, tota pulchra in proſperitate & aduerſitate, in ſubiectione, & prælatione: quia elationis, & inconſtantiç culpa non eſt in te. Hęc omnia in vna ſacroſancta Virgine Maria inuenimus, & pleraque alia id genus: quoniā Deus eā magnificauit: & quia tota pulchra in ſua immaculata cōceptione gratia Dei effecta eſt. Sed Vndè tam pulchra? nempè quia Virgo ſancta ſemper in Libano fuit. Libanus candidatio interpretatur. *Veni de Libano ſoror mea, ſponſa veni de Libano.* Hinc ſanè tā præclara, tàm completa & in omnibus admiranda Virginis pulchritudo, à Patre luminum, à ſplendore paternæ gloriæ prædeſtinante, vocante, & glorificante, iugiterque in auribus eius intonante, *Veni de Libano ſponſa mea.* Veni per fidem, ait Pater, quia ſpon-

Annotatio decima nona.

ſponſaui te mihi in fide, ſponſaui te mihi in ſempiternū.
Oſee.2. Veni iterum per ſpem, ait filius, cùm vnicā Gētium ſpē genueris. Veni per charitatem, clamat Spiritus ſanctus, vt in matrem pulchræ dilectionis ſis electa. In commentariis noſtris fuſiùs locū hunc expoſuimus, de vocatione Eccleſiæ, quam congregauit Dñs ex Gentibus: nunc de ſancta & intacta Virgine eundem locū explicemus. *Coronaberis de capite Amana, de vertice Seir, & Hermon.* Vbi aduertēdum, quòd ſolis legitimè certātibus, autore Paulo, corona datur: Non coronatur, niſi qui legitimè certauerit. Profectò in agone Virgo ſancta cōtendet: tot calamitates perpeſſa, tùm in Ægypto, inter idolatras degēs, tùm deniq; in atrociſſima filij ſui nece, vbi pluſquam martyr fuit, diuo Hieronymo teſte. Amana, id eſt, iniquus diabolus, cuius caput alma Virgo contriuit. Sanir, & Hermon montes ſunt valdè frugiferi. Coronatur ergo benedicta Maria duplici corona, quia virgo & mater ſummi Dei eſt.
Eſai.35. Hinc Eſaias ait: Gloria Libani data eſt ei, Carmeli & Aſſaron. Nónne hæc eſt mulier illa, de qua diuus Ioannes in
Apoca.12. ſua Apocalypſi dixit: Signum magnum apparuit in cęlo, mulier amicta ſole, & luna ſub pedibus eius, & in capite eius corona duodecim ſtellarum. Verùm non abs re diſcipulus IESV magnum ſignum ſe vidiſſe teſtatur, quia magna, & nimis mirabilia de gloria Virginis hîc latent præconia. Dignum planè ſtellis coronari caput, quod & ipſa longè clariùs ornet eas, potiùs quàm ornetur. Quid ni coronent ſidera, quam veſtit ſol? quis eas æſtimet gemmas? quis ſtellas nominet, quibus Mariæ regium diadema compactum eſt? Supra hominē eſt, huius coronæ indicare rationem, ait beatus Bernardus. Profectò duodecim ſtellæ duodecim priuilegia, quibus Deipara virgo fuit inſignita indicant. De quibus gemmis conſultò nūc

tacemus,

tacemus, eo quod ſanctus Bernardus fuſiùs eas explanat ſermone.7. aſſumptionis immaculatæ Virginis. Sat ſit ſcire, quòd rex Aſſuerus reginæ Heſter, ingredienti regiã aulam, ſurrexit de trono ſuo, & coronam impoſuit: amabat nimirum eam ſuper omnes mulieres. Ad eandem imaginem Chriſtus IESVS Rex regum, & Dominus dominãtium, hodie matri ſuæ cælum empyreum intranti, coronam de lapide pretioſo tribuit, ſuper omnes choros Angelorum eam colloquans. In cuius typo rex Salomõ matri ſuæ Berſabæ thronum dedit, ad dexteram ſuam. S.Ber. Ser. 7. Aſſump. Mariæ. Heſter. 5. 3. Reg. 2.

DE VERBIS NECTAREIS Deiparæ Mariæ.

F*Auus diſtillans labia tua ſponſa, mel & lac ſub lingua tua.* Canti. 4.

DE forti muliere Salomon dixit: Lex clemẽtiæ in lingua ipſius. Quæquidem laus non eſt paruipendenda, quùm nonnulli lingua ſua quam multos ſauciare non metuant, nunc probra proferendo, nũc peierando, nunc deniq; etiam mortuis non parcendo. In quos Propheta inuehitur dicens: Acuerunt linguas ſuas, ſicut ſerpẽtes: venenum aſpidum ſub labijs eorum. Etenim, Apoſtoli ſententiam, qui tales ſunt, timeant oportet: Maledici regnum Dei non poſſidebunt. Almę virginis mores, & vitã omnes ſectemur, in cuius lingua nõ niſi lex clemẽtiæ inuenitur. Hinc rectè à ſponſo laudatur, qui veluti demiratus inquit: *Fauus diſtillans labia tua ſponſa, mel & lac ſub lingua tua.* Appoſitiſſima quidem comparatio, penitiùs eam Annotatio vigeſima. Pſal. 139.

eam rimemur. Quid obſecro, reſponſio illa, quam Virgo ſacra paranympho Gabrieli dedit, niſi fauus diſtillans fuit? Ecce ancilla Domini, ait, fiat mihi ſecundum verbũ tuum. Tam fuerunt hæc verba mellita dulcedine plena, vt ſubindè Verbum Patris omnipotẽtis homo factus eſt. Mel & lac ſub lingua tua, ó regina mundi, nam duo fontes ex ore tuo ſacro ſemper dimanant: mel dulce præbes viris perfectis, lac verò porrigis paruulis, & incipientibus. Proculdubio eloquiũ eius in nuptiis Galileæ tàm fuit gratum, & faui diſtillantis inſtar ſuaue, vt cõfeſtim Saluator magnum miraculum patraret, aquam conuertens in vinum optimum. Deniq; canticum illud (Magnificat anima mea Dominum) quod in domo Zacharia cecinit, nónne fauo ſuauius eſt? Denique verba melliflua Virginis ſacroſanctæ, quæ in templo filio ſuo Chriſto IESV dixit, tàm fuerunt illi ſuauia, vt deſcenderet cum ea & Ioſeph in Nazareth, & inibi erat ſubditus illis, qui cęlum & terram, totumq; orbem regebat. Ecce noua bella elegit Deus, nouumque pugnandi modum, vt hoſtiũ portas ipſe ſubuerteret. Ecce Heſter, cuius imaginem illa gerebat, in atrio domus regiæ interiùs, per contemplationẽ erecta, diffuſa eſt gratia in labiis eius: imò facta ſunt fauus diſtillans labia illius, quia ſermonem compoſitum, & bene ſonantem in auribus cæleſtis Regis protulit, & labiis charitatis ſuæ humilitate penetrantis illum percuſsit, vulnerauitque. Tũc cor leonis de tribu Iuda (quippe qui nullo potuerit telo fœliciùs, quã charitatis humilitate tranſuerberari) ſtatim mutatum eſt: & reſpiciens humilitatem ancillæ ſuæ, audiens verba illa nectarea (Ecce ancilla Domini) feſtinans de ſolio ſuo deſcendit, & ad conuiuium, quod opere Spiritus ſancti parabatur, intrauit, ac voluntati reginæ Heſter morem gerens, lætus in vtero eius factus

homo

Lucæ.1.
Ioan.4.
Lucæ.1.
Heſter.15.
Lucæ.1.

homo accubuit. Tunc re vera mel & lac ſub lingua Mariæ fuerunt, nam mel, quod rore cæli fit, ſymbolum diuinitatis eſt: lac, quod de terra procedit, humanitatis ſignũ fore, nemo eſt qui ambigat. Quæ duo in perſonæ vnitatẽ mirabiliter coierunt. En quàm dulcia, quamq́ue omni mellita dulcedine ſuauiora verba ſacerrimę Virginis fuerint in auribus ſummi Dei. Nempè eloquium eius dulce eſt, & facies illius decora, ipſo ſponſo teſtante, qui nec fallere, neque falli poteſt.

DE VIRGINITATE MIRAbili Virginis Mariæ, quæ potiſsimè colitur in feſto Expectationis.

H*Ortus concluſus ſoror mea ſpõſa, hortus concluſus, fons ſignatus.* Cantic. 4.

VANQVAM in declamatione expectationis almæ Virginis, ſatis abundè me dixiſſe exiſtimo de perpetua virginitate Mariæ reginæ noſtræ: placuit hæc nihilominùs hîc annotare, ad laudem illius. Hortum eam appellat ſponſus, ob magnam fœcunditatem, concluſum verò, ex virginitatis gloria. Nempè Dei genitrix hortus fuit admodum fœcundus: quia fructum benedictũ mundo edidit, de quo Eliſabeth: Benedictus fructus ventris tui. In hoc fructu benedictæ ſunt omnes gentes: vti multis retrò ſeculis promiſſum fuit Abrahæ: In ſemine tuo benedicentur omnes gentes. Vbi Paulus perbellè inquit: Non in ſeminibus, quaſi in multis, ſed in ſemine tuo, quod eſt Chriſtus. Ecce hortus Aſſueri, qui ma

Annotatio vigeſima prima.

Lucæ. 1.

Gene. 22.

Heſter.1. nu regia conſitus fuit, ſicut in Heſter legimus. Sua potenti manu filius Dei matrem ſuam creauit: & qui Adæ paradiſum ameniſſimam fecit,& in illa eum poſuit, ipſe ſibi hortum plantauit omnium virtutum arboribus conſitum: in quo ſibilus ſerpentis venenoſi auditus non eſt vnquã. Quod autẽ iterũ, ait: *hortus concluſus*, ad virginitatis integritatem attinet. Nam porta hæc, ait Dominus, nõ Eze.44. aperiretur, ſed erit clauſa in æternum. Quod planè nonnihil apertiùs ſponſus oſtendit, dicens: *Fons ſignatus*, vtiq; ſigillo totius Trinitatis: quemadmodum ſanctus Auguſtinus exactè explicat. En in fonte ſignato perpetuã oſten S. Auguſt. dit virginitatẽ Mariæ,& tanquã quodam inuolucro ſponſus, aſtruit. Hanc virtutem vocat Auguſtinus portionem Angelicam. li. de virgini. Nam hæc eſt virtus excellentiſſi S.Tho.22.q. 152. ma in genere caſtitatis. S.Thom.22.q.152.articul.5. Vndè pulchrè ſanctus Ambroſius: Pulchritudinem quis poteſt æſtimare maiorem decore virginitatis, quæ amatur Li.de virgi. à rege, probatur à iudice, dicatur Domino, conſecratur Deo? Hinc laureola virginitati datur, ſicut & martyrio. O fœlices virgines, quippe quæ ſequuntur agnum quocunque ierit: quin& ipſę canticum in cælo nouum canunt, quod nemo, niſi virginitate præditus, dicere poteſt. Hac virtute præclara,& Angelis cognata, Deo optimo valdè grata, maximè Deipara Maria fulſit: quippequam plurimæ virgines ouanter ſequutæ ſunt. Quid mul Nota. tis immoror? Romanis idolis, quæ potiùs dęmonia ſunt, ſeruientibus, tàm pulchra viſa eſt virginitatis virtus; vt templum Veſtalium virginum conſtruerent, in quo virgines ſelectæ ſeruirent. Quod ſi ethnici illi, naturæ ductu commoti, tanti virginitatem fecerunt: quanto magis nos orthodoxi hanc virtutem æſtimare debemus, poſtquam Chriſtus filius Dei ex Maria virgine naſci dignatus

gnatus eſt? O ter quaterque beati mundo corde, quo- *Matth.5.*
niam ipſi Deum videbunt.

PRO NATIVITATE almæ virginis Mariæ.

FOns hortorum, puteus aquarum viuentiũ, quæ fluunt impetu de Libano. Cãt.4.

ADIVC ſponſus Virginis præclaræ Ma- *Annotatio vigeſima ſecunda.*
riæ in laudibus eius perſeuerans, fontis me-
taphora vtitur. Et quam fonti ſignato nu-
per comparauit, nũc hortum fontem iure
vocat. Enimuero conſcientię fidelium hor
ti benè dicuntur: nam ex bona conſcientia flores deſide-
riorum, verba ſancta, & opera bona naſcuntur. Sicut rex
Salomon olim plantauit hortos, & pomeria, ſic verus &
figuratus Salomon Chriſtus IESVS hortos ameniſſi-
mos ſibi fecit, mentes noſtras ſanctificãs, in quibus, mi-
rum in modum ipſe deliciatur: alioqui ore ſuo non di-
ceret: Deliciæ meæ cum filiis hominum. O ſummi nu- *Pro.8.*
minis ineffabilem erga nos charitatem, qui tot millia An-
gelorum habet in cælo, cui millia millium miniſtrant, &
decies centena millia ei aſſiſtunt, is tàm eſt amore homi-
num captus, vt delicias ſuas fore aſſerat cum filiis homi-
num. Vtinam deliciæ noſtræ tantùm eſſent cum ipſo
loqui, ipſum indeſinenter contemplari, eumque totis
niſibus colere, & amare. Ad rem: fons irrigans omnes
hortos Eccleſiæ, omnes religiones ſanctas, & varios
ſtatus fidelium Virgo ſancta eſt: eo quod eius interuen-
tu chariſmatum dona omnes recipimus. Quid multis?

efficitur,ſequentia verba expendat. Nempè aquę omnes, ideſt, virtutes, & dona ex monte Libano dimanarunt, ex illo, qui candor lúcis æternæ rectè appellatur. Filius Dei ſic vnicè Mariã virginem dilexit, ſic ſuper omnes ſanctos euexit, vt eã ſibi matrem elegerit. Quą dignitate inſignitã ſuper omnes angelorum choros exaltauit.

EX CAPITE QVINTO ANNOTATIONES.

PRO FESTO ANNVNciationis almę Virginis Mariæ.

V*Eniat dilectus meus in ortum ſuum, & comedat fructus pomorũ ſuorũ.* Cãti.5.

SI omnes Prophetæ Spiritu Domini afflati ſæpe ſæpiùs Meſſiæ tàm diu deſideratum totis medullis cordis flagitabant: quãto affectu Virgo ſancta, quæ longè maiori charitate flagrabat, filij Dei incarnationẽ expoſcebat? Equidem quę priùs ardẽti deſiderio aiebat: Oſculetur me oſculo oris ſui, ipſa rurſus clamat: *Veniat dilectus meus in hortum ſuum.* Hortum Domina vocat legem, in cuius ceremoniis, & ſacrificiis Deus optimus delectabatur, quamuis inuolucra erant, & vmbram habebant futurorum, teſte Paulo. Suo autem ſeculo legalia & ceremonialia frugifera erant, & à Dño inſtituta. Sole verò iuſtitię irradiante, lex illa abiit, & euangeliũ ſanctum manſit ad finem vſq; ſeculi. Eã ob cauſam Saluator in vltima cœna, teſtamentum æternum appellauit, poſt quod nullum

Annotatio vigeſima tertia

Cantic.1.

Hebre.10.

portentis patratis,in terram promiſſam eos ducens, nec non potiora bona,quæ in redemptione noſtra operatus es,ob oculos ſemper habentes,tibi inexauſtas gratias agemus,non vt par eſt,ſed quatenus fragilitas noſtra ſuppetit. Clamemus ergo,diu noctúque precemur cum Deipara Maria: *Veniat dilectus meus in hortum ſuum,& comedat fructus pomorum ſuorum.* Non mundus nequam,neque dęmon cruentus quicquam de operibus noſtris rapiat,neque inanis gloria aliquid arripiat:ſed tu Domine qui hortulanus noſter es, de lignis pomiferis,quæ plantaſti, poma omnia collige.

PRO FVGA, QVAM VIRgo cœpit,Herode ſeuiente.

VOx dilecti mei pulſantis: Aperi mihi ſoror mea,amica mea,columba mea, immaculata mea. Cantic.5.

MIRABILE eſt, quantum Saluator noſter dilexerit pro nobis pati,quùm à cunabulis voluerit fidelibus ſuis exemplum patientiæ,& humilitatis præbere.Non ſeruus eſt maior Domino ſuo: nam ſi me perſequuti ſunt,& vos perſequentur. Ecce quò tendebat fuga hęc,quam Deipara cum puero IESV cepit, pergens in Ægyptum deludens tyrannidē funeſti Herodis. Quādoquidem tāta erat cura cęleſti Patri de filio ſuo Chriſto,vt ante ſæuitiam cruenti Herodis Angelum ſuum miſerit Ioſeph viro iuſto, qui ei narrauit ſtragem futuram, in qua velut debacatus rex iniquus tot millia innocentum *Annotatio vigeſima quarta.* *Matt. 2.*

erat occiſurus. Ioſeph narrante beatæ Virgini Angelicũ nuncium, exclamat illa, nec ſine ingenti dolore: *Vox dilecti mei pulſantis: Aperi mihi ſoror mea.* Verùm pro dignitate, quia vir caput eſt mulieris, Angelus in ſomnis apparuit Ioſeph: nihiloſecius (vt dignum credere eſt) alma Virgo ſublimiùs à ſuo dilecto Chriſto intrinſecùs fuit edocta, dicente Dauide: Audiã quid loquatur in me Dominus. *Vox dilecti mei pulſantis.* Ac ſi dicat: Ita eſt, vt enarras vir ſancte, nam vocem audiui dilecti filij mei IESV, non forinſecus tiniens, ſed intus per intellectualem & apertiorem illuſtrationem, ille mihi indicauit ea, quæ Angelus tibi dormienti reuelauit. Scio, & benè ſcio vaticiniũ multis retrò ſeculis conſcriptum: Aſcendet Dominus iñ nubem leuem, & ingredietur Ægyptum, & commouebuntur ſimulachra Ægypti à facie eius, & cor Ægypti contabeſcet in medio eius. Ecce adeſt dies, vt impleatur prophetia hæc: eamus, & Domini voluntas fiat in omnibus, vti par eſt. O quo timore perculſa ſacerrima mater nocte ſurrexit, brachiis ſuis benedictum IESVM portans, cum ſponſa dicens: Dilectus meus mihi, & ego illi, inter vbera mea commorabitur. O nubem benedictam rore gratiæ plenam, imò fontem gratiæ totius baiulãtem, quis in hoc itinere, & per hæc deſerta ſqualentia tibi obuiã exiret, vt aliquod pietatis officium puero benedicto deffatigato exhiberet. Fœlix, qui in hoc exilio te comitari dignus eſſet. Moſes tenebras adduxit in Ægypto, Pharaone præcepto ſummi Dei reluctãte: tu verò benedicta in Ægyptum ducis eum, qui lux vera eſt, illuminans omnem hominẽ, venientem in hunc mundum. Ego, ait ipſe IESVS, ſum lux mundi: qui ſequitur me, non ambulat in tenebris. Cæterùm aperuit Virgo ſancta ſponſo ſuo, quia conſenſit illi, voluntatem eius ſtatim adimplens. Enimuerò quoties

Pſal. 84. Eſai. 19. Cant. 1. Ioã. 1.

vocam-

vocantem audimus, toties pulſare non ambigamus. Quòd autem tot nominibus eam appellat, ideò eſt, vt ad tam arduum laborioſumque iter illam excitet. Sororem vocat, quò calicem hunc tribulationis vtrique communem, edoceat. Amicam dicit, quaſi animi cuſtodem, vt, oportere eum in tanto diſcrimine ipſam ſatagentem cuſtodiri, nullatenus dubitaret. Columbam nominat, nempè quam pari ſecum vice tyrānus inſequeretur ancipiter. Immaculatam denique confirmat, ne in via polluta pollui, & inter idolatras extimeſceret, præſente mūditiæ autore, maculari: quando ſordes ipſe cælo fiūt, ipſo inuiſente, puriores. En pro modulo noſtro encomia ſanctæ Virginis, quæ ſponſus de ipſa profert, quamuis obiter explanauimus. Supereſt, vt nos, qui in hac vita ceu in exilio, quandiu ſumus in hoc terreo corpore peregrinamur à Domino, peregrinos hos puerum benedictum IESVM comitemur, orantes, ne Saluator pauliſper nos deſerat: alioqui tanquā fragiles labefactati peribimus. Sumus heu noſtrapte natura propenſi ad malum. *Nota.*

VIRGO SANCTA PVERUM I*ESVM* dolore affecta quærit.

PEſſulum oſtij mei aperui dilecto meo: at ille declinauerat, atque tranſierat. Cāt. 5.

BEATO Luca teſte, expletis feſti diebus, puer IESVS remanſit in Hieruſalem, parentibus eius neſcientibus. Quam ob cauſam beatiſſima Virgo triſtitia immodica affecta inter cognatos, & notos, dilectum ſuum filium quæritabat. Veluti cum Regali Propheta di- *Annotatio vigeſima quinta.*

cens: Si dedero ſomnum oculis, & palpebris meis dormi
Pſal.131. tationē, donec inueniam locum Dño. O rem nouā ſatis
mirandam: in Ægypto, in exilio, in tribulatione iuxta eſt
Dñs: vti in pſalmo promiſit, tunc non fugit, non elabitur,
ſed retinetur: in patria, in proſperitate, in feſtiuitate, inter
cognatos, & notos perditur, & nulla elapſi veſtigia repe-
riuntur. Verùm res ſic geſta eſt, vt palàm fiat, IESVM be
nedictum quærentibus, pieq; in Chriſto viuere paratis, tri
bulationem multo plus afferre vtilitatis, quàm proſperita
Iacobi.1. tem. Hinc clamat Iacobus: Omne gaudium exiſtimate
fratres chariſſimi, quum in varias tentationes incideri-
tis. Cui ſententiæ adſtipulatur Dominus dicens: Beati
eſtis, cùm maledixerint vobis homines, & perſequuti vos
fuerint, & dixerint omne malum aduerſus vos, mentien-
Matth.5. tes propter me: gaudete, & exultate, quoniam merces ve-
ſtra copioſa eſt in cælis. En beatos appellat Saluator no-
ſter eos, qui calamitatibus, tyrannorum perſequutioni-
bus ſunt obnoxij. Quin gaudere, & exultare, illos horta-
tur, tanquam de fauſtiſſimo nuncio audito. Sane fortior
athleta fuit Iob vulneribus plenus, & in ſterquilinio iacta
tus, ab amicis, & ab vxore ſua perſequutus, quàm Adam
in paradiſo, vbi dominabatur piſcibus maris, volatilibus
cæli, & beſtiis terræ. Seriam, atque ſatis conducibilem ſen
tentiam illam Dauid, ob oculos habeamus, oportet: Ab
Pſal.55. altitudine diei timebo. Vbi altitudinem diei, dignitatē,
& florentem diem vocat. Vt ergo in tribulatione quamli
bet magna non ſuccumbamus, ſacram Virginem Mariā
Nota. attendamus, quippe quæ in inuio, in deſerto, nec in Ægy-
pto dilectum filium non perdidit: at vbi redit ad ſuos,
vbi blandiuntur omnia, proſperantur, & applauduntur o-
mnia, aditur feſtum ſolenne, tunc IESVS duodecimum
annum agens declinauit, & tranſiuit. Declinauit profe-

ctò, vt

ctò, deuoti inſtruerētur, inter parentes, inter proſpera IESVM difficiliùs inueniri, à pœnitentibus autem inueniri. Qui dolentes ergo fuerint, & lachrymis priſtina delicta abluerint, ij eum inuenire poterunt. Templum Dei aſcendamus, non forum, non theatrū intremus, nam Dn̄s in domo ſua aſſiſtit, & in veritate ipſum quærētes ocyus inueniunt. Tunc præ nimio amore, & ſeraphycę charitatis igne combuſta anima noſtra dicere audebit: Dn̄e IESV quid feciſti mihi ſic? Quorſum in corde meo ſic te abſcōdiſti, vt dulcedinē tuam præſentē non ſenſerim? Cæterū Saluatorē loquentem intentiſſimo auſcultemus animo. Quid eſt, quod me quęrebatis? neſciebatis, quia in iis, quę patris mei ſunt, oportet me eſſe? Hoc verbo nos quaſi clypeo munire deſiderat Chriſtus, vt illęſi in certamine præſenti vincamus. Nā ſi fremat mundus, impugnet ſubdola caro, ſi ſęuiat ſatanas, dicamus tūc oportet: In his, quæ patris mei ſunt, oportet me eſſe, & ſecuri ſumus. Dubio procul nulla eſt peſtis, ſuggeſtio, aut tentatio, cuius paruulos non valeamus, ad petræ ſoliditatem allidere, ſi efficaciter, & ex animo dixerimus: Neſciebatis, quia in iis, quæ patris mei ſunt, oportet me eſſe? *Lucæ.2.*

Nos verò Chriſtū IESVM indefeſsè quęramus, quiq; maxima gratia nobiſcū agit: ne & illū humiliter deprecari ceſſemus, dū afflicti, nos quaſi ab eo deſeri, timemus. Rurſus, ne efferamur, dum illū iam iā certè tenere videmur. Quam ob rē ſapientiſſimè modo ſe nobis per gratiā ſuæ inſpirationis infundit, modo ſubtrahit, qui iā abiiſſe putabatur, adeſt, & qui adeſsè credebatur, paululū vtiliter abſceſſit. Sicq; nobiſcum ſe met admirabili prouidentia viciſſim, mutuoq; diſpēſat, quandiu ab eo peregrinamur in carne: pleniſſimè tamen in cęlis ſe totum nobis traditurus, cùm ait: Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, *Matthæ.25.*

pellans filias Hieruſalem, ideſt, Angelos, qui in viſione pacis commorantur, aiebat: *Adiuro vos filiæ Hieruſalem, ſi inueneritis dilectum meum, annuncietis ei, quia amore langueo.* Mirum dictu: non cauſatur, quòd cuſtodes ciuitatis eam vulnerauerint, flagellauerintque, nec & pallium eius tulerint. Solent enim amantes ſi quid diſpendij ex abſentia, aut ex præſentia compendij immineat, vt ad redditum prouocent, latiùs prædicare, ſigillatim expendere, & ſæpiùs ardentiuſque inculcare: at Maria prudentiſſima nihil horum loquitur, omnia tacet. Sed quid ait? *Quia amore langueo.* Magna, ni fallor, philoſophia hîc latitat. Amor omnia complectitur, cuncta comprehendit: amor rerũ omnium eſt ſumma, amoris virtute ad perſuadendum potentius nihil: Nimirum omne tulit punctum qui lingua exorat amoris. Ciamus ergò I E S V M gemitibus, acceſſamus eum deſideriis ardentibus. Nam qui eſt charitas, aliquid ſimile à nobis exigit, hoc eſt, maximè omniũ charitatem poſtulat. Amore ipſe elanguit in cruce, ob amorem noſtrum in ea obiit. Par erit, vt & nos amoris lãguorem patiamur, nã languor hic votis ardentiſsimis appetendus eſt: eo quod qui amore Chriſti infirmatur, ſeculi huius diuitias poſt habet, honores ſpernit vltrò, delicias omnes abdicat: adeò vt cum Apoſtolo tùm corde, tùm etiam ore clamet: Omnia arbitratus ſum vt ſtercora, vt Criſtum lucrifacerem. O nos fœlices, ſi hoc telo amoris ſauciati, omnes cælicolas inuocemus. Inſtanter igitur rogemus, nedum obſecrando, ſed quod plus eſt, adiurando, perindè atque eos cogentes, diu noctuque cum Virgine beatiſsima dicamus: Annunciate dilecto, quia amore ægrotamur. Phili. 3.

PVL-

PVLCHRITVDINEM MIrabilem Chriſti alma Virgo prędicat.

D*ilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus.* Cantic. 5.

Annotatio vigeſima octaua.

MAGNA ſunt, & annotatu digna, quę mater IESV de ipſo prædicat, cuſtodibus ciuitatis interrogantibus: *Qualis eſt dilectus tuus, ex dilecto, ô pulcherrima mulierum? & quæremus eum tecum.* De quibus in commētariis noſtris ſatis ſuperque ad amuſsim tractauimus. Nūc de mira pulchritudine Saluatoris nonnihil dicamus, ipſo opitulante. *Dilectus meus candidus & rubicundus.* Nihil eſt enim de quo auidiùs percūctemur, & libētiùs audiamus, quā de eo, quod mirificè cupimus, & magnoperè amamus. Si ergo IESVM toto pectore diligimus, attentiùs illius laudes auſcultemus oportet. Gaudēt in cælis Angeli, & animę ſanctæ, nec aliud ſemper, quā de Deo optimo elogia celebrare contendunt. Et ad eandē imaginem ius eſt, vt nos de re tam ſeria, tamque vtili loquamur. Ad rē, optimo iure hunc dilectū ſuum Deipara candidum & rubicundū dicit, quē generatio candēs diuina, & rubēs humana, quemq; & rerum & colorū germanitas gratiſſima cōmonſtrant ſuper mille millia, & decies centena millia Angelorū amabilem, & ſuper omnia deſiderabilē. De cā-

Sap. 7. dore diuinitatis Sapiens dixit: Cādor eſt lucis æternę, ſpeculū ſine macula, imago bonitatis illius, ideſt, cæleſtis & ęterni Patris vnigena. De rubedine verò humanitatis, quippe quę in paſsione atroci ſanguine ſuo tincta fuit, Eſaias nō tacuit: Quis eſt iſte qui venit de Edō, tinctis veſtibus de boſra? iſte formoſus in ſtola ſua, gradiens in multitudi-

titudine fortitudinis ſuę. Et poſt pauca dicũt Angeli Chriſto in cœlũ aſcendenti: Quare rubrũ eſt veſtimentũ tuũ, & veſtimenta tua ſicut calcantiũ in torcular. Candidus fuit IESVS in ęternitate, procedens ex Patre rubicũdus factus homo: nã in paſſione à planta pedis vſq; ad verticẽ, non fuit in eo ſanitas. Quid multis immoror? Tanta eſt pulchritudo in Chriſto IESV, vt Angeli ipſi deſiderẽt, in faciem eius cõſpicere, vt pulchrè Petrus ait. Quis enim tã rudis, tamque ſtupidus, vt non cupiat toto pectore, faciẽ illam Chriſti gratiarũ plenam intueri? Aut quis tàm ferrei cordis, vt poſsit, eo cõtemplato, nõ amare? Hinc Regalis Propheta ſpetioſum præ filiis hominũ Meſsiã depingit. Verùm Chriſti IESV venuſtas, & mirabilis decor etiã rudes & agreſtes homines quoſque poterat allęctare, & pertrahere, ardentiſsimeque inflamare in ſui amorem. Quã lepidè dilectus diſcipulus dixit: Qui non diligit IESVM, anathema ſit. Væ fallacem pulchritudinem creaturarũ amantibus, qui ſponſum candidum, & rubicundũ, Chriſtum IESVM non diligunt: ij pœnas dabunt cõmeritas & quidẽ rectè, quia eum, qui decor vniuerſi, & decus Angelorũ eſt, contempſerunt, & ſtercora amplexati ſunt. Ecce flos cãpi, & lilium conuallium, innatã habens pulchritudinẽ, non fucatã, aut fictitiã. Diligamus eum, nam ipſe prior, & ſi fœdos & immeritos, vehementer dilexit nos.

Eſai. 63. *1. Petri. 1.* *1. Cor. 16.* *1. Ioan. 4.*

VIRGO SANCTISSIMA mirifica opera filij ſui exaltat.

M*Anus eius tornatiles, aureæ plenæ iacintis.* Cantic. 5.

VBI ſancta Dei genitrix dixit, caput ſpõſi ſui quia aurũ eſſe optimũ, hoc eſt diuinum (dicẽte Apoſtolo: *Annotatio viceſima non.*

Caput

Caput Chriſti Deus) poſtquã oculos colũbinos pietatis plenos eũ habere aſſeruit, faciem & labia laudauit, ad manus deuenit, quas ſtatim collaudare cœpit dicens: *Manus eius tornatiles, aureæ plenæ iacintis.* Verùm figura circularis
Nota. omnium tùm perfectiſſima, tùm etiam capaciſsima eſt. Imò cæli hac figura à Deo optimo creati ſunt, vt ſua amplitudine cuncta elementa continere poſſent. Manus ergo ſponſi aureę & tornatiles ſunt, nam opera eius diuina virtute facta aureæ dicuntur. Aurum cæteris metalis præcellentior eſt: ſic opera & miracula Chriſti, cuncta Pro-
Ioan. 15. phetarum prodigia excellunt. Si ad eos non veniſſem, & opera in eis non feciſſem, quæ nemo alius fecit, peccatũ non haberent. Ecce quàm mira opera Saluatoris fuerũt. Quid de operibus, quæ ipſi imitari tenemur dicam? quã
Ioan. 13. ſplendida, & ex omni parte ſunt præclara. Exen plũ dedi vobis, ait humilitatis magiſter, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis. Tornatiles inquam dictæ ſunt manus ſponſi, quòd vndecunque perfectiſsima, abſolutiſsimaque virtutis forma omnia fecit, quandiu in terris vixit. Nihilque operatus eſt vnquam, quod non eſſet virtutum omniũ, & ſanctitatis exemplar. *Plenæ iacinthis,* hoc
S. Auguſt. eſt, myſteriis magnis referta. Vndè ſanctus Auguſtinus quæcunque Chriſtus geſsit, dogmata noſtra ſunt. Itaque nedum verba eius ſanctiſsima, ſed opera nos erudiunt, & viam regni cælorum nobis indicant. Hinc princeps Apo-
1. Pet. 2. ſtolorum Petrus inquit: Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius. Etenim quæ torno elaborantur, maximè expoliuntur, & conſumata quadam rotunditate formantur: ita Chriſti opera diuiniſsima arte tornata, cæleſti quadam forma vndique ſibi ſanctiſsimè conſentiunt. Summa, qui ipſius egregia opera ſynceritate animi imitatus fuerit, magna vendi-

cabit

cabit ſibi præmia, dicente Propheta: Extendit manum ſuam in retribuendo. En quàm largifluus ſit Dominus eis, qui totis viribus ſeruiunt ei. Idque ore ſuo ſacro teſtatus eſt dicens: Qui mihi miniſtrat, me ſequatur, & vbi ego ſum, ibi & miniſter meus erit. Cæterùm manus ſpōſi prælati & reges in ſancta Eccleſia ſunt. Duplex poteſtas eccleſiaſtica & ſecularis, ceu duæ manus Chriſti habentur: quippe quæ viciſsim ſe adiuuare debent, ad vindictā malefactorū, ad laudem verò bonorum, Apoſtolo teſte. Equidē duas has manus benedicta Virgo aureas, tornatiles, & plenas iacinthis vult eſſe. Tornatiles vtique in vitæ perfectione. Sanè quæ torno fiūt, nec ſcrupulū omnino, aut gibbum admittunt. Itaque prælatos omnes, & iuſtitię miniſtros culpa vacare oportet, & typum ſuperbiæ nullū præ ſe ferre: Imò honeſtatis ſuæ exemplo præſcribere populo benè viuendi rationem, ac normā, neque in ſe admittere, quod in aliis vitio, & ſuplicio dare ſolent: alioqui autoritatis ſuæ vigorem paulatim amittent. Aureas habebunt manus, ſi ſapienter cuncta egerint: plenæ iacinthis erunt, ſi ob Dei amorem omnia operati fuerint. Eſt quidem iacinthus aërei coloris, mutaturque color illius ad mutationem aëris: ſic prælati, & miniſtri iuſtitiæ mutentur neceſſe eſt, pro varietate perſonarum & temporum: nunc manſuetudinem oſtendentes, nunc verò acrimoniam, & rigorem exercentes in rebelles, & contumaces. Quod ſanè tùm in Paulo, tùm etiam in Chriſto IESV geſtum legimus. Infirmos nimirum blandè ſuſpiciens, eos conſolabatur, phariſęos ſuperciliosos duriuſculè increpabat. Fœlices dixerim prælatos, & iudices, qui manus Chriſti fuerint, aureæ, tornatiles, atque iacintis plenę.

Pſal. 54. Prælati. Notā.

EX CAPITE SEXTO ANNOTATIONES.

VIRGO BENEDICTA humilitatem filij ſui laudat.

D*ilectus meus deſcendit in hortum ſuum, vt ibi paſcatur in hortis, et lilia colligat.* Cantic.6.

Annotatio trigeſima. SACRA Virgo humilitatē mirabilem, & pietatē dilecti filij ſui verbis hiſce vel maximè inſinuat. Enimuero filius Dei ex ſinu Patris deſcendens, ſemetipſum exinaniuit, formā ſerui accipiens: tunc deſcendit in hortū ſuum florigerum, hoc eſt, in vterum ſacræ matris ſuæ, vbi requieuit nouem menſibus. O quibus deliciis tunc puer IESVS fruebatur, ſimul mentem Virginis almę, & ventrem inhabitans. Equidem prima paradiſus, in qua primus homo Deum facie ad faciem vidit, benedicta Virgo Maria fuit. Nimirum ſanctiſſima Chriſti IESV anima, ſtatim vt creata fuit, & paruo corpori ſuo vnita, Deū optimū cōſpexit, ac proinde beata. Quod autem ſequitur, *vt ibi paſcatur in hortis*, nōnihil ſacramenti habet. Ex horto illo ameniſſimo, in plures hortos deſcendit Saluator: nam cōfeſtim in Bethlehē natus, tùm paſtores, qui erant propè, tùm etiam magos, ſapientia & potentia præditos, accerſiuit. Quid quòd ſua *Luce.2.* cæleſti doctrina, & egregiis miraculis multa millia homi- *Math.3.* nū conuertit? quorum mentes vti hortos irriguos per fidē & charitatē ipſe habitare dignatus eſt. Dico Chriſtum habitare in cordibus veſtris per fidem, ait Paulus. Lilia colligit

ligit,qui conuallium lilium ſe ſe nuncupat,vbi ſancta deſideria,candidas cogitationes noſtras lubens reſpicit, & acceptat:ſicut ſcriptum eſt:Qui diligit munditiam habebit amicum regem:ideſt,Chriſtum , qui Rex regum , & Dominus dominantium eſt. Vel hortus populus Iſraël eſt,in quem deſcendit Meſſias, poſt tot vaticinia & oracula prophetarum.Ait ergo Virgo benedicta:*Dilectus meus deſcendit in hortum ſuum.* Perindè dicat: Vos non deſerit, ſed quos coluit per legem ſanctam,ornare feſtinat, & irrigare per gratiã,in vobis paſci deſiderat, voluntatẽ Patris, quæ cibus illius eſt,adimplẽdo.Ex vobis colligere lilia cupit,prædeſtinatos vocãdo,vocatos iuſtificando,&iuſtificatos ad apicem Apoſtolorũ,& doctorum magnificando.Verũ ex Iudęis ferè totam primitiuã Eccleſiam cõpegit Dñs,vt ſe repudiatũ minimè poſſet conqueri Iudæus. Deniq; per deſcẽſum ſponſi poſſumus intelligere,Domini noſtri deſcenſum ad inferos:nã hoc ſequentia probant quũ ad areolas aromatum veniſſe teſtatur.Priſci enim patres,quaſi areolę aromatum fuere,qui iuſtitiæ fragrantiã mirum in modum dederunt.Tunc enim paradiſum triũphator Chriſtus ingreſſus eſt , cùm ad ſubterranea penetrauit. Quid enim limbus patrum,niſi quidã hortus erat, in quò violæ Confeſſorum,roſæ Martyrium,lilia candentia Virginum Redemptoris aduentũ magnopere deſiderabant?Tunc ſanè lilia ſuauè olentia collegit ſponſus,dũ ſanctos illos è limbo potenter eduxit, melos ſuaue ipſis cantantibus,& Dauiticum pſalmum alternatim repetentibus: Laqueus contritus eſt,& nos liberati ſumus. Rurſus Moyſi canticum ſonora voce concinebat : Cantemus Domino,glorioſè enim magnificatus eſt,equum & aſcenſorem proiecit in mare. Proculdubio in mari rubro, ideſt,in ſanguine Saluatoris noſtri I E S V Chriſti

Prouer.22. | Rom.8. | Nota. | Pſal.123. | Exo.15.

Ff 2 Pharao

Pharao inferni rex penitus periit, nec non inibi complices eius exterminati ſunt.

SPONSVS CHRISTVS matris ſuæ benedictę laudẽ depromit.

AVerte oculos tuos à me, quia ipſi me auolare fecerunt. Cantic. 6.

Annotatio trigeſimaprima.

QVOD antea ſponſus indicauit, ſe vulneratum in vno oculorum ſponſæ ſuæ, neutiquam de corporis oculis intelligamus oportet. Habet quidem anima oculos ſole ipſo lucidiores. Nam fides, & charitas, perindè atque duo oculi ſunt, in quorum vnitate maximè omnium ſponſus Chriſtus delectatur. Eam ob rem priùs dixit: Vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa, in vno oculorum tuorum. Perindè dicat: Magnopere placuiſti mihi in vnitate fidei, & charitatis, quibus virtutibus apprimè polles. De iis oculis Saluator ait: *Auerte* mater ſancta *oculos tuos à me, quia ipſi me auolare fecerunt.* Vbi notandum, quòd oculi noſtri ad ſponſum conuertuntur, cùm aciem mentis de Chriſti IESV beatitudinẽ contemplandã intendimus. Sed oculos auertere monemur, ne ſcilicet, eam nos aſpicere, ſicuti eſt, quantumcunque videamus, arbitremur: ob idq; ipſius ſpõſi oculi eum auolare feciſſe dicũtur. Nempè quo acriùs intuemur, eo magis inuiſibilis eſſe cognoſcitur. Et quãuis de ſumma illa diuinitate ſpõſi, inuiſibiliq; luce, nonnihil interdũ, vel hìc mẽtis oculis intueri, prægustareq; poſſimus, prout benignitas ipſius ſponſi largitur, haud quaquã ſicuti eſt, ſpectare licet. Videmus nũc per ſpeculũ in enigmate, poſtea

1. Corin. 13.

autem

autem facie ad faciem, ait Apoſtolus. Et in Pſalmo legimus: Oculi mei defecerũt in ſalutare tuum. *Pſal. 118.* Vndè Moyſi cernere cupienti Deum, vti eſt, dictum fuit: Faciem meã videre non potes: nemo videbit me, & viuet. Cui conſonat illud Ioannis: Deum nemo vidit vnquam, ſed qui eſt in ſinu Patris, ipſe nobis narrauit. *Ioan. 1.* Aderit tamen tempus, poſt exhalatam animam, quando videbimus Deum, ſicuti eſt. Modo credamus, & credentes operam demus, vt ſponſi mandata exactè impleamus. Ecce in quo ſenſu capienda ſunt verba, quæ Saluator loquitur matri ſuæ benedictæ. Vel ſic: Vbi virgo ſancta Gabrielis audito mirabili nuncio, ſic oculis ſuis colũbinis, ſic inquã fide & charitate Filium Dei intuita eſt: vt qui erat ab æterno in ſinu Patris confeſtim auolaret, & homo factus requieſceret in vtero matris. Ecce quam efficax fuerit intuitus ſacerrimæ virginis Mariæ.

PRO IMMACVLATA VIRginis Conceptione.

VNa eſt columba mea, vna eſt perfecta mea, vna eſt matri ſuæ, electa genitrici ſuæ. Cantic. 6.

Annotatio trigeſima ſecunda.

NEDVM filij tantæ virginis ſurgentes laudant reginam cæli, vt nuper ſpõſus aſſeruit, ſed nunc ipſe laudibus eam euehere nititur. Ita eſt, quòd ſexaginta ſunt reginę, octoginta concubinæ, & adoleſcentularum nõ eſt numerus: nihilominùs vna eſt columba, vna perfecta, & hęc alma Virgo eſſe perſpicuum eſt: eo quod innocen

tia illis omnibus ſuperior inuenitur: quæ nimirũ nec originali, neq; perpetrato veniali fuit degrauata. Illæ autem & adoleſcentulæ recenſentur, & nullo clauduntur numero: Quia multi ſunt vocati, pauci verò electi. Vbi intelligimus earum, quę plurimas turpiter per cũlpā infuſcata innocentiæ baptiſmalis puritate, ab electorũ cathalogo,
Matt. 20. & nomenclatura tractu temporis excidere. Atqui, Virgo benedicta excidere, gratia Dei coadiuuante, non potuit, ſed virtutum palma ſpectabili omnium electorum ordines, & claſſes excedere, ſolaq; Saluatorẽ quominus ſequi comprobatur, eodem teſtante, cùm ait: *Vna eſt columba mea*, quæ ſimplicitatem columbinam, mititatem, & humilitatem, quæ donorũ Spiritus ſancti plenitudinem, & chariſmatum omniũ abundantiā commodiùs exprimere, ſufficiat. Equidẽ tantam horum omniũ copiam diuinitùs accepit, vt illa propemodum non ad menſuram com munẽ aſſequuta videatur. *Vna eſt perfecta mea*, cuius pur gati animi virtutibus, nedũ purgatoriis, mecum vbiq; arctiſſima familiaritas, & cōſuetudo intercedit. *Vna* quoq; *matri ſuæ* Euæ, à qua ſcilicet, & per quam culpa condonari, opprobrium aboleri matrũ, pœna leuari poſſit, obtinere. *Electa genitrici ſuæ* aſtruitur iure: nam cùm multæ per eximię, vigente ſynagoga, occurrerẽt, vna hæc ſola pe tebatur, quæ virgo Deum concipere, virgo Deum parere
Pſal. 44. poſſet, & poſt partum virgo permaneret. Qua aſtāte, quominus à dextris filij in cælo, veſtitu deaurato ornata, adducerentur regi virgines, de virtute in virtutem ambulan tes, ſed poſt eam. Illam omnes virgines mirari poterunt, nulla conſequi, nulla coæquare. Vndè benè merito dictum eſt: Viderunt eam omnes filiæ Sion, & beatiſſimam prædicauerunt. Quandoquidem, cæleſtes virtutes, omnesque ſancti eam intuentur exaltatam in gloria, beatiſ

ſimam.

ſimamq́ue indefeſsè prædicantes, de eius dignitate magnopere iubilant.

PRO NATIVITATE, præſentatione, & aſſumptione benedictæ virginis Mariæ.

QVæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi aurora conſurgẽs, pulchra vt luna, electa vt ſol, terribilis vt caſtrorũ acies ordinata? Cant. 6.

ADMIRANTVR filiæ Siõ, reginæ & cõcubinæ ſimul, quippe quæ beatam virginẽ Mariã collaudabãt, & beatiſſimã prædicabant. Hanc ſacrã Virginem contemplantes, tùm in eius natali, tùm in illius præſentatione, tũ deniq; in eius aſſumptione glorioſa, admiratione raptæ clamãt: *Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi aurora cõſurgens? pulchra vt luna, &c.* Aduertendũ, quòd reginæ illæ ſunt, quæ ſoli Regi Chriſto dicatæ, mundi fluxibilia bona contemnunt, mandata ſponſi ſui, & conſilia prorſus ſeruantes, Hæ corde & ore aiunt: Dilectus meus mihi, & ego illi. Concubinæ verò illæ ſunt, quæ filios ſpiritales Chriſto gignunt verbis & exemplo, non tamen citra mercedis expectationem. Iſtæ omnes vocant Mariam beatã, ob mirabilem eius virginitatem, dicunt beatiorem, propter omnium virtutum candorem, vocant illam beatiſſimam, tanquã ſummi Dei genitricẽ. Quod de præterito, & non de futuro loquantur, fit ad veritatem, & certitudinẽ maiorẽ prophetiæ, alluſio eſt ad illud: Foderũt manus meas, & pedes meos, & dinumerauerũt omnia oſſa mea: quod in Chriſto IESV adimpletũ legimus. Iſtæ ergo regi-

Annotatio trigeſima tertia

Cant. 2.

Pſal. 21.

ne,& concubinæ, nec nõ adoleſcentulæ perindè atq; ſtu pore actæ, alterutrum interrogant: *Quæ nam eſt iſta, quæ pro greditur, quaſi aurora conſurgens? &c.* Merito ſanè in admirationem vertunt eloquium, ſcientes, quòd nemo laudare poteſt Virginis ſanctæ exquiſitas virtutes. Quibus verbis, aut quibus eloquẽtiæ viribus, aut quibus denique lau dum præconiis poterit quiſquã Deiparam laudare? Profectò Dei genitricis laus, honor, virtus, & gloria omnium, haud dubiè, & filiarum Siõ, & reginarum conatum atq; admirationem vincunt. Quod ergo narrando inſinuare non valuerunt, hoc ſaltim admirando ſubindicant: *Quæ eſt iſta?* Laudis eſt ſumma, rei ſublimitatę victum oratorẽ, in ſtuporem conuerti, qui etiam ſic victus, nonnunquã plura tacens loquitur, quàm exprimere dicẽdo potuiſſet. Singula penitiùs rimemur oportet. *Quæ eſt iſta, quæ progreditur?* quæ non cecidit, nec iacet per culpam, ſed ſtatim *progreditur.* Et quod dicimus, vt luce clarius euadat, audiamus ſequentia, *quaſi aurora conſurgens.* Aurora lux eſt, tenebras quaſuis exterminans, ac ſemper creſcens vſque ad perfectum diem. Sic Virgo benedicta legis antiquæ limes & Euangelij, in ſua conceptione ab omni prorſus labe aliena, & luciferum Ioannem, & ipſum ſolem iuſtitiæ, progrediendo præcurrens, abiiſſe noctem indicat, & ſalu tis diem, excuſsis impietatis tenebris, protinùs aduentare. Quæ inſuper *pulchra vt luna* ſcribitur, imò pulchrior quã luna. Nimirùm quæ à die natiuitatis vſque in ſeculũ deliquium lucis non ſentit: ſed multiplicibus virtutum incre mentis, & ſuperni ſolis inocciduis ſplendoribus radiatur.
Pſal. 88. Nam hæc eſt luna perfecta, & teſtis in cęlo fidelis. Sequitur *Electa vt ſol.* Ratio, quia ſole amictam in Apocalypſi
Apoca. 12. eam depingit Ioannes. Nec nomen ſolis ipſa abhorret, cũ in Pſalmo ſcriptum ſit: In ſole poſuit tabernaculum ſuũ,

& ipſe

& ipſe tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo. Nõne inſtar ſolis ipſa luxit naſcendo, & in cælos aſcendẽdo? Nempè quotidiè ſanctitate, obedientia, & humilitate, ac pietate, cæteriſque id genus virtutibus mirum in modum irradians, vniuerſum orbem illuminat, cordaque noſtra inflamat. Hinc *terribilis* dæmoniis facta, contremiſcunt, dum audiunt: Virgo Maria, ſancta Dei genitrix adiuua me. Quid plura? Hæreticis, & infidelibus *ceu acies ordinata* ſemper fuit. Nec mirum ſi membra iniqua nũc perimat, quippe quę caput eorum ſatanam in ſua immaculata cõceptione, apprimè, ſummo adiuuante Deo, contriuit. Fœlix quippe anima, quæ Virginis almæ viã ſectatur, & veluti aurora conſurgit. Hęc ſanè à tenebris delictorum ad lucis ſanctitatem abſcedit: dicente Eſaia: Diluculo ſurgit ſpiritus meus ad te Deus meus: deinde à magnis profectibus virtutum ad aptiores probitatis gradus aſcendit, per ampliorem diuinæ gratiæ cumulum. Poſtremò in die iudicij relicta caligine, atque putredine peccatorum, & mortalitate carnis, immortalitatis lumine & æterna claritate veſtietur. Huc pertinet illud Saluatoris verbũ: Fulgebunt iuſti ſicut ſol, in regno patris eorum. Tunc planè vnaquęque anima beata fortis erit valdè, ac per omnia ſimilis aciei caſtrorum ordinatæ.

Gene. 3. *Eſai. 26.* *Matt. 13.*

EX CAPITE SEPTIMO ANNOTATIONES.

PRO PRAESENTATIONE & Aſſumptione beatæ Mariæ, vel pro Purificatione.

Q*Vàm pulchri ſunt greſſus tui filia prin-cipis.* Canticorum.7.

Annotatio trigeſima quarta, SPONSVS plerìſque titulis honorat almã Virginem, vt nos eam venerantes, toto affectu collaudemus. Maluit Chriſtus de ſuo ortu, quàm de matris ſuæ pudore, & virginitate dubitari, vt quàm optimè notat Ambroſius, idq́ue magnopere aduertendum, nemo eſt qui ambigat. Nónne ſororem, ſponſam, amicam, & columbam in ſuperioribus Mariam appellauit? Nunc verò principis filiam illã vocat, eó quod ex ſemine regio, & Dauid filia ſit. Alioqui mulier Cananea in præcatione ſua non diceret: IESV fili Dauid, miſerere mei. Et Paulus ait: Qui factus eſt ei, ex ſemine Dauid ſecundum carnem. Sed quorſum non dixit huius principis, aut illius? Nempè ſuo colore depictam eam ſcribit ſponſus, quia genitrix eius eſt, qui iure Rex regum & Dominus dominãtium vocatur. Obſeruandum quòd admirando ſic ait: *Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calciamentis filia principis!* Calciamẽta nedum à luti immerſione deffendunt, ſed à quauis iniuria, vel iactura pedes muniunt. Equidem Virginem cælitus acceptæ prærogatiuę ab omni incõmodo protegebant. Eam ob rem in his calciamentis pulcherrimi ſunt virtu-

S. Ambroſio.

Matt. 15.

tum

tum greſſus ac profectus. Talibus itaque calciamentorū præſidiis Virgo ſancta fulta, omnibus facta eſt diſciplinæ canon, virtutis forma: ita vt oculos intuentium raperet, raptos ſanctæ æmulationis calcaribus excitaret, & in ſe ſe ſanctos imitationis igniculos excuteret. Mira res: operando potiùs quàm docendo ſalutis fundamenta iaciebat: certo certiùs ſciens, opera plus habere acrimoniæ, & efficatiæ, quàm verba. Nimirum hęc mulier fortis eſt, de qua Salomon inquit: Manum ſuam aperuit inopi, & palmas ſuas extendit ad pauperes. Quis tàm inops fuit vnquā, vt filius Dei: qui cū eſſet diues, inops factus eſt, vt eius inopia nos diuites eſſemus? Hunc inopem ſacra Virgo in diuerſorio peperit, pannis inuoluit, lacte ſuo virgineo lactauit. O ſtupenda res: panem Angelorum, & totius mundi creatorem, atque moderatorem mater benedicta cibauit. Palmas inſuper ſuas extendit ad pauperes, vbi Patri cæleſti Chriſtum IESVM ſponte obtulit, tùm in templo, tùm etiam in cruce, pro noſtra ſalute, & redemptione. Dum ergo puella ſanctiſsima abiit in templum, & parentes eius eam detulerunt, pulchri vehementer erant greſſus illius. Itidem quando viſitauit Eliſabeth, & Ioannes ſanctificatus Spiritu ſancto fuit repletus, decori valdè greſſus Virginis habiti ſunt. Itidem, quando brachiis ſuis portauit puerum benedictum, vt ſiſteret illum Domino in tēplo, ſpecioſi erant matris puriſsimæ greſſus. Nos denique, calciati in pręparatione Euāgelij pacis greſsibus pulchris, viam mandatorum Dei curramus, currenteſque eò nitamur, vt brauium æternæ gloriæ comprehendamus.

Pro. 31.

Ephe. 6.

VIR-

VIRGO SANCTA MORtem filij ſui vbique contemplabatur, & ſacrum eius ſanguinē ob oculos habebat.

Comæ capitis tui ſicut purpura regis iuncta canalibus. Cantic. 7.

Annotatio trigeſima quinta. S. Tho. 3. p. q. 8. ar. 4.

DIXERAT nuperrimè ſponſus: Caput tuum vt carmelus. Quia caput Mariæ Chriſtus IESVS eſt: imò omnium hominum, & Angelorū Saluator caput dicitur, à quo veluti à capite omnis pulchritudo, & gratiæ copia dimanat. dicente Ioanne: De cuius plenitudine omnes accepimus gratiam pro gratia. Rurſus Apoſtolus nos admonet. Ipſe eſt caput noſtrum, noſque membra eius. O quàm nobile, quāque glorioſum caput habemus, vtinam talis foret vita noſtra, taliaque opera, vt ſimilia eſſent, dignaque tam præcellenti capite. Væ qui vt degeneres, non huic capiti per charitatem vniti, ſed ſatanæ membra ſunt, quique caput eſt ſuper omnes filios ſuperbiæ. (Iob. 41.) Ecce quo dementiæ heu deuenerint improbi homines, vt ſpreto Rege gloriæ, & pacis principe Chriſto, draconi ſatanæ ſponte obedire, haud erubeſcunt. At contrà, ſacra virgo Maria ſemper caput hoc nobiliſsimum habuit, & ei fide integra, ſpe firma, charitateque flammigera adhæſit. Quam ob cauſam illi dictum eſt: Caput tuum vt carmelus: qui mons frugiferus eſt, & gregibus vberrima paſcua præſtat. Nunc ſequitur: *Comæ capitis tui ſicut purpura regis, iuncta canalibus.* In canali regia veſtis purpureo colore accuratiùs inſignita, & regi ornamentum, & artifici gloriam, ac commendationem conciliat: Ita & qui laue-

runt

runt ſtolas ſuas in canalibus vulnerum Chriſti I E S V iuxta illud: Ij ſunt, qui venerunt ex magna tribulatione, & lauerunt, & dealbauerũt ſtolas ſuas in ſanguine agni. Et quia alma Virgo pro virili ſua diu noctuque, necem filij ſui meditabatur, atque cogitationes cordis ſui in ſanguine pretioſo Saluatoris verſabantur: ideò comæ illius pur purę regali iure aſſimilantur: Fœlix anima quæ tali coma decoratur, vt iam fuſiùs in commentariis noſtris locum hunc exponentes indicauimus. Fœlix inquam mens pia, quæ filum vel funem coccineam in feneſtra domus ſuæ appendit, ſemper Chriſti ſanguinem contemplans. Profectò vt tota domus Raab à gladio libera euaſit, ſic pia anima meditationi ſanguinis Chriſti addicta nuſquam peribit. Par ergò erit, vt poſt hac vtrumque poſtem ſanguine agni peccata mundi auferentis liniamus, veluti Deus optimus olim præcepit, vt coma noſtra ſicut purpura regis ſit, canalibus iuncta, hoc eſt, vulneribus Saluatoris vincta. Hinc ſalutare dogma Apoſtolus nobis præbet dicẽs: Recogitate eum, qui talem aduerſus ſemet ipſum ab inimicis ſuſtinuit contradictionem, ne fatigemini animis veſtris defficientes. Ni fallor ſingula Pauli verba non vulgarem emphaſim habent. Cęterùm, tunc Virgo ſancta comam capitis ſui, vti purpuram regis iuncta canalibus, habuit, quùm (vt Ioãnes teſtatur) ſtabat iuxta crucem. Inibi ſacrum cruorem Chriſti pendentis ſuſcipiebat, ita vt velamina capitis, & pallium ſanguine illo pretioſo rubricata fuerint. Quis obſecro tàm ſaxeus, tamq; ferrei cordis, qui hæc recollens, non commoueatur, & in lachrymas nõ reſoluatur? Equidem adamante ipſo durior ſit oportet, qui cum Deipara Maria non abundè fleuerit, vidẽs ſanguine filij ſui rubricatam, & ſicut cocham tàm pretioſi balſami effectam.

Apoc. 7. *Nota.* *Hebræ. 12.* *Ioan. 19.*

VIRGO

VIRGO SANCTA CRVcem filij ſui conſcendit.

A*Scendam in palmam, & apprehendam fructus eius.* Cantic. 7.

Annotatio trigeſima ſexta.

SI Paulus Apoſtolus magna charitate ſuccẽſus, tàm fuit affectus ad amorem ſanctę crucis Chriſti IESV, vttàm corde quàm ore diceret: Abſit mihi gloriari, niſi in cruce Domini noſtri IESV Chriſti: quid de Virgine Deipara dicemus, quæ vnicè, & longè maiori charitate Chriſtum IESVM, amabat? Proculdubio videns Saluatorem, fructum benedictum ventris ſui, in ligno crucis pendentem, virtute Spiritus ſancti roborata, toto corde dicebat: *Dixi, aſcendam in palmam,* hoc eſt, in crucem, *& apprehendam fructus eius.* O verbum mirabile, & magno myſterio refertum: nimirùm Chriſtifera Virgo Maria penitiùs crucis ſacramentum contemplans, ſub ignominia crucis gloriam latitãtem agnoſcebat: quas ob res aſcendere decreuit: alludens ad illud Chriſti verbum: Ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia trahã ad me ipſum. Vbi exaltationem honorificam mortem ſuam probroſam appellauit. Equidem (vt pulchrè Propheta cecinit: Dominus regnauit à ligno) huius rei veritas pateſcit, quia in cruce obiẽs, ſatanam potenter vicit, limbum expoliauit, cæli ianuam fidelibus aperuit, & gloriam ac immortalitem ſui corporis promeruit. Vndè diſcipulis in Emaus euntibus dixit: Nónne oportuit Chriſtum pati, & ſic intrare in gloriam ſuam? Nempè hìc de gloria animæ nullatenus Dominus loquitur, quippe quam abſq; merito ab inſtanti ſuæ conceptionis poſſedit. Supereſt, vt de

Gala. 6.

Ioan. 3.

Pſal. 95.

Luce. 22.

vt de gloria corporis ſit ſermo, quam induit conſumato paſsionis ſuæ agone, tertia die è tumulo glorioſus reſurgens. In hanc venuſtam palmam ſacra Virgo aſcendit, quando propriis oculis cruci affixum vnigenam filium ſuum inſpexit. Equidem iiſdem clauis mater benedicta confixa erat cruci per compaſsionem, quibus Chriſtus ſuſpenſus tenebatur. Nam caro virginea Saluatoris caro virginis immaculatæ erat. Quid quòd ferrei claui, qui manus pedeſque Chriſti IESV perforabant, cor tenerum Mariæ, & viſcera eius atrociter ſauciabant. Obmuteſcit lingua, hæret intellectus, profundè conſiderans martyrium benedictæ Virginis, quod perpeſſa eſt in morte Chriſti. Sanè quis ſcire poterit ineffabilem amorem, quo Domina mundi IESVM filium ſuum diligebat, is, & non alius, penſitare valebit, quanto mœrore, in nece Saluatoris illa affecta fuit. Hinc meliùs quàm Apoſtolus ipſa dicebat: Chriſto confixa ſunt cruci. Aſcēdamus obſecro & nos cum regina noſtra in hāc pulcherrimam, & ſemper virentem palmam, vt fructus ſaluberrimos illius apprehendamus, patientiam, humilitatem, charitatem, & benignitatem, cæteraſque virtutes, quæ nimirum in myſterio crucis apprimè reſplendent. Lignum vitæ eſt, & in ipſo pendet, qui eſt via, veritas, & vita. Qui mori trepidat, arborem vitæ conſcendat, & vita fruetur æterna. *Gal. 2.* *Ioan. 14.*

QVAM

QVAM INGENTI AMORE viciſsim ſe dilexerint Virgo ſancta & Chriſtus eius filius.

E*Go dilecto meo, & ad me conuerſio eius.* Canticorum. 7.

Annotatio trigeſima ſeptima.

SEMPER & vbique filius Dei Chriſtus matri ſuæ benedictæ exhibuit, quod parẽtibus omnibus præſtandum legis edicto ipſe prę-ceperat. Potiſsimè autem migraturus ad patrẽ, maiora ſigna dilectionis ei oſtendit. Itaque ſicut diſcipulos in finem magis dilexit, id eſt, potiora ſymbola amoris indicauit: ita & matrem ſuam inclytam tunc impenſiùs amauit, honorauit, atq; commendauit. Sed bone Deus, qualem obſecro in ipſo amariſsimæ paſſionis articulo fuiſſe putamus matrem tenerrimam, matrẽ generoſam vnigeniti, innocentiſsimi Chriſti IESV, cùm vnigenitum ſuum prophetam eximium, Deum verum, ſponſum & filium vnicum cõſpiceret, ſic ab impiis tractari? Quid inquam in corde ſuo virgineo ſentiret, dũ cerneret talem ac tantum, ſanguineo ſudore madidum, captum, concuſſum, conſputum, colaphizatũ, illuſum, flagellatum, ſpinis coronatũ, morte tã crudeli addictũ, ſub crucis immenſo pondere fatiſcentem, & vti leproſum, non habentem ſpetiem nec decorem, in cruce diù agonizantem? Miror quidem, quòd inter tot agones conſtituta non exhalauit animam. Verùm hæc fortis mulier eſt, quam deliniauit Salomon multis retrò ſeculis: cuius pretio de vltimis finibus: cuius lucerna in nocte calamitatis huius non erat extinguẽda: ſed fides quo magis ca-

Prouer. 31.

lami-

lamitatibus quatebatur, eo magis ſplédebat, corruſcabatque. Vndè non perindè atque emortua iacebat, neq; veluti exanimis ſedebat, ſed, Ioanne teſtante, in Caluario infracto animo iuxta crucem ſtabat: & ſtans dicebat: *Ego dilecto meo, & ad me conuerſio eius.* Notandum, quòd truncatus & incompletus eſt ſermo, nam reliqua ſurripuit doloris exceſſus. *Ego* (ait) *dilecto meo.* Mira res: inter tot agones de dilecto tantùm cogitat, & de illo dumtaxat loquitur. Sed quid tu illi mater prudentiſsima? Num cõtra lædentes præſidio, aut contra inſurgentes ſubſidio illi fuiſti? Quid inquam tu illi Virgo benedicta? Sed iam Ioannes loquatur, quod tu dolore immodico affecta taces. Nota. Filius ſubrogatus enarret nobis, quid tu dilecto filio tuo. Stabat (inqui) iuxta crucem mater eius. Stabat igitur mater I E S V, & pendenti filio in cruce contriſtatiſsima aſſiſtebat, Pendebat ille mœrens, & moribundus, ipſa verò iuxta crucem ſtabat, nõ modo corpore, ſed mriabili mẽtis conſtantia inter furentes Iudæos, tumultuantes carnifices, & inter phariſæos, ac ſacerdotes inſultantes. Stabat præterea fidei integritate, charitatis igne ſuccenſa, morũ ac geſtuum honeſtate, atque virtutum omnium culmine inſignis, afixo æquanimitatis gradu, ne digito quidẽ emota. Stabat inquam, non vti diſcipuli fugiebat, non vociferabatur, aut capillos cum veſte laniebat, nec aliquid indiſciplinatum, aut fœdum in ſe admittebat. *Ego* (ait) *dilecto meo,* ſtabam pendenti, & compatiebar patienti, lachrymarũ vnda circundata, & dilectus meus mihi. Quid ille tibi, ô mater benedicta? Nempè *Ad me conuerſio eius.* Acerbiſsimus dolor patientis, acerbiſsimus & matris cõpatientis. Fuit enim ibi reciproca alternatio compaſsionis, ſubindeque doloris concurſus mutuus, talis ac tãtus, vt dolorem primarium vincere nonnunquam poſſet.

At enim quando ad eam hæc Chriſti conuerſio, niſi vbi vidit eam ſub cruce ſtãtem,& diſcipulum quem diligebat? Audite conuerſionem dilecti ad dilectam matrem: Mulier ecce filius tuus,& rurſus ad diſcipulum: Ecce mater tua. Ingenuè fateor, quòd quicquid mater inclyta in toto vitæ curſu aſperum paſſa eſt, centuplatum filius cõpaſsione motus patiebatur. Perpendens ergo Ieſus haſce ſuauiſsimæ matris preſſuras, & cruciatus minimè non vulgares, piiſsimus filius, quali putamus viciſsim compaſsionis gladio percuſſus eſt? O Deus, quæ nam lingua exprimere? quæ mens concipere? aut quis intellectus capere poteſt doloris illius magnitudinem, violentiam, & atrocitatem, quam de matre intacta dilectus filius pertulit? Nempè plus de calamitate matris, quàm de peculiari paſsione Chriſtus cruciabatur. Benè conuerſio dilecti ad matrem, quia quaſi ſui doloris oblitus, nititur dilectã matrem conſolari. Ecce filius tuus mulier ſancta, mulier immaculata. Nos almam Virginem imitantes, quauis calamitate aduentante, fide perfecta, & charitate ingẽti ſtemus, nullatenus ſuccumbentes. Non crucis probra timeamus, ſed iuxta crucem Domini perſeueremus, dicentes: *Ego dilecto meo* Chriſto IESV, *& ad me conuerſio eius.* Ille vtique, vt potè parens beneficus non deſeret nos vnquam, quin potius ad nos conuerſus, miſericordiam ſuã abundè nobis impendet. Fidelis eſt, & non permittet, nos tentari vltra id quod poſſumus, ſed vt probè ait Paulus faciet cum tentatione prouentum.

[Margin notes: Ioan. 19. — Nota. — Dogma.]

VIRGO

VIRGO SANCTA IN corde ſuo cuncta Chriſti opera ſeruat.

O *Mnia poma noua & vetera ſeruaui tibi dilecte mi.* Cantic.7.

VIRGO benedicta, quę cuncta verbi Chriſti in ſacro ac mundo corde ſuo ſeruabat, inibi conferens opera mirifica, tùm paſtorum, tùm regum puerum IESVM adorantium, ſolerti cura Saluatoris geſta cuſtodiebat, adeò vt neque vnum obliuioni traderet. Ipſa ergo perindè atque gratulans filio ſuo benedictò nunc ait: *Omnia poma noua & vetera ſeruaui tibi dilecte mi.* Equidem pomis longè lateque fragrantibus pulchrè Chriſti illuſtria facinora comparātur: ſunt quidem nedum viſu pulchra, ſed etiam guſtu ſuauia, inſuper vehementer odorifera. Verùm quicquid in hac calamitoſa vita triginta tribus annis degēs Dominus patrauit quicquid ore ſuo ſacro deprompſit, inſtar pomi pulcherrimi fuit. Nempè ſi altiùs incarnationis arcanum, circuncisionis myſterium, præſentationis ſuæ opus expēdamus, aliaque id genus opera fidei oculis inſpiciamus, poma valdè decora ſunt ex amœniſsima paradiſo, nō terreſtri, ſed cæleſti horto allata. Hæc ſanè poma tàm pulchra, tamq; decora, prophetæ contemplantes, mirum in modum ea deguſtauerunt. Vndè quidam eorum ſpiritu Dei afflatus exclamauit: Mirabilia opera tua Dñe, & anima mea cognoſcet nimis. Alius velut demiratus dixit: Conſideraui opera tua, & expaui. O rem mirabilem, poma iſtæc tantæ virtutis ſunt, vt nunquam marceſcant, nunquam fragrantiam, aut pulchritudinem ſuam amittant. Quin quandiu mūdus ſubſiſtet, Chriſti IESV magnalia cūctis

Annotatio trigeſima octaua.

Pſal. 138.

fidelibus fauo ipſo dulciora erũt,& ſole pulchriora.Imò in cœleſti curia omnes cæli ciues decantabunt canticũ illud Moſi,vno ore,vno & corde dicẽtes: Cantemus Dño

Exod.15. glorioſè,magnificatus eſt vehementer,equum & aſcenſorẽ proiecit in mare.Sed ad rẽ:glorioſa Virgo tota ſui intellectus indagine geſta filij ſui expendens,hoc eſt,opera, quæ patribus veteris teſtamenti tanquam dona prætioſa Dñs præſtitit,poma vetera ea appellat,pro quibus grates ingentes ei agit.Sanè omnes tranſeuntes mare Rubrum

1.Cor.10. baptizati ſunt,vt Paulus pulchrè exponit, nec non de petra aquam bibentes,petra illa typum Saluatoris gerebat, nam petra autẽ erat Chriſtus.Cæterũ præcellentia Chriſti opera,pro totius mundi patrata,inclyta mater contemplans,poma noua illa nuncupauit.Vndè nõ modo vetera poma,ſed etiã noua ſeruare aſſerit, ceu pro omnibus gratias inexhauſtas reddens dilecto filio ſuo.Vel ſi lubet, Gentiles denuò ad fidem Chriſti cõuerſos noua poma dicit,Iudęos autẽ, qui in Chriſtum verum Meſſiã crediderunt vetera nuncupat.Vel potiùs eos,qui ante paſſionẽ propter miracula,& cæleſtia Chriſti dogmata mundum reliquerũt vetera poma,illos verò,qui ad agnitionẽ fidei poſt Chriſti necẽ deuenerũt,noua fore conteſtatur. Hos omnes Virgo ſancta Chriſto ſeruauit, verbis & exemplis eos roborãs,ne fidem & charitatẽ,quam ſemel Dño opitulante acceperunt,perſecutione dira ingruẽte amitterẽt. Nos ergo,ſi filij tantę matris,& non nothi ſumus,eius exẽ

Dogma. plum imitemur oportet.Seruemus vetera & noua poma Saluatori noſtro, tũ pro impenſis beneficiis priſcis patribus à Deo impẽſis perpetim gratias reddẽtes , tũ pro donis in opere redemptionis,quę noua poma ſunt pro virili noſtra Deũ optimũ laudãtes.Alioqui ingratitudinis noxa nos inuoluet,quę lęthalis peſtis eſt,miſerè animas enecãs

EX

EX CAPITE OCTAVO ANNOTATIONES.

ALMA MARIA VINVM amoris dare filio dilecto ſpondet.

I*Bi me docebis, & dabo tibi poculum ex vino condito, & muſtum malorum granatorum meorum*.Cantic.8.

ORDO pulcherrimus profectò, vt ſponſus doceat, ſponſa virgo operetur: ille beneficium, ipſa obſequium: ille gratiā largitur, illa meritis reſpondere contendat. *Ibi me docebis*, hoc eſt, dum te in cubiculum genitricis meæ introduxero, ita vt iam ſuper omnes choros Angelorum ad dexteram Patris ſederis, emittens Spiritū tuum in Apoſtolos, docebis me, iam completū eſſe, quod ſcripturis ſanctis & verbis oris tui ante docueras. *Ibi me docebis*, non quaſi horum ignaram, ſed doceri me credo, quando per alumnos multa fidelibus reuelaſti. Itaque immaculata Virgo quod Spiritu ſancto plena didicerat, hoc ſperientia re ipſa cognouit, Spiritu ſancto aduentante, & diſcipulos gratia ſua replente. Nunc ſequitur. *Dabo tibi poculum ex vino condito*, hoc eſt, aromate compoſitū. Obſeruandum, quòd non dixit, dabo tibi vinum dumtaxat, ſed addidit, ex vino condito, ne putaretur de vino ad legis acrimoniā inuitaſſe ſpōſum dilectū. Eſt autem vinum cōditum, vt ambroſia cor hominis lætificans, & pro labore æſtuantem, mirè confortans, legis Euangelij gratia. Cuius pluſquam nectarea ſuauitate mater pia in pigmentariæ

Annotatio trigeſima nona.

Nota.

cuiuſdam peritiſsimæ vocem, maximè ſuſcitatum Saluatoré,& feſtiuius apparentē, potauit in membris ſuis,quādo ad eius laudē & gloriam nunc Apoſtolos,nunc Euangeliſtas,nunc diſcipulos,& reliquos omneis recēter conuerſos;de legis auſteritate per Chriſtū paſſum exhauſta, & de promiſſorū fide,& de prophetarum omniū adimpletione pleniùs imbuit.Deniq; quando de ſacramētorū efficacia,quando de legis Euangelicę manſuetiſsima vereq; mellitiſsima erudiuit lenitate, clemētia,& facilitate, tūc poculum dilecto dedit ex vino condito.His ergo virgo pigmētaria aliiſq; multis fidelium mētes inflāmauit, inebriauitque,& ad filij ſui ſingulare ſolatium pertraxit.

Nota. Quid multa?non paucos maximè Eccleſiæ prælatos eatenus fouit Virgo immaculata,inſtruxit,roborauit,& in fide conſumauit,vt morte propria Chriſti necem & reſurrectionem aſſerere, & ſui ſanguinis effuſione largiſsima patientis,ardētiſsimam charitatē imitando,recreare,nullatenus dubitarint.Eam ob cauſam,adiunxit: *& muſtum malorum granatorum meorum.* Verùm(vt ſuprà dictum eſt) malo granata ſplendentibus granis,& mirifico ordine digeſtis ſunt plena,ideò ſanctorū congregationes indicāt, & potiſsimè Martyres ſignificant. Horum verò muſtum odoriferum,& deuotionis magnitudine ſupra modum efferuens, myſterium adumbrat perfectæ fidei illorum: quippe quià diuino amore ſuccenſi gratanter ad marty-

Prælati. rij palmam conuolabant.Hoc vel maximè prælati faciebant,quorum intereſt,nullis perſequutionibus ſuperari, ſed pro ouibus animas ponere,vbi tempus exegerit: Dño

Ioan.10. dicente:Bonus paſtor animā ſuam dat pro ouibus ſuis: Hoc itaque muſtum Chriſto Deipara toties obtulit,quoties illos monitis ſuis & exemplis precibuſq;,ad amplectēdam martyrij coronam confortauit.Nos etiam beatiſſimæ Vir-

mæ Virginis geſtus ſequuti, dilecto poculum ex vino cõdito prębeamus, fratres noſtros inopes eleemoſynis ſublevantes, afflictos verbis & monitis ſanctis roborãtes, ne fortè ſuccumbant; certo certiùs ſcientes, quod ore ſuo Saluator teſtatus eſt: Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Ad hæc, muſtum malorum granatorum Saluatori demus, corde cupientes pro amore eius ſanguinem effundere, vitamque in confeſsione ſacræ fidei exponere, quemadmodũ Petrus, & Paulus, alijq; ſancti nobis exemplum reliquerunt. Equidem non gladio, aut igne diuus Ioannes Chriſti dilectus obiit: veruntamen palmã martyrij obtinuit. O nos fœlices, ſi diu noctuque hoc muſtũ Chriſto IESV præbemus, vehementer pro illius amore mori deſiderantes. Equidem hoc feruẽs deſiderium magni meriti eſt apud ſponſum beneficum IESVM. *Matt. 25*

VIRGO BENEDICTA inter brachia dilecti filij ſui in hoc exilio quieſcebat.

L*Æua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Cantic. 8.

NEVTIQAM hìc deliniatos corporis artus intelligamus, oportet, nam ſpirituale eſt omnino, quod geritur, nõ corporale. Sanè ad læuam dura & immania pertinẽt: vndè aduerſantia omnia ſiniſtra rectè appellamus: proſperitatẽ verò dexterę nomen ſibi vẽdicat. Hinc Saluatorẽ noſtrum in cælis aſcendentẽ in dextera Patris ſedere, fide integra cõfitemur, hoc eſt, in excellẽtioribus bonis Patris cæleſtis. Quã igitur Chriſti IESV lęuã dixerim, *Annotatio quadrageſima.*

rim,niſi frigus,ęſtū,famē,ſitim,frequētes vigilias,labores, anxietates plurimas,inſectationes,maledicta, flagra, crucē,&vt ſemel dicā,atrocem & ignominoſam mortē?quæ omnia,&alia id genus,Saluatore reſurgēte,Virgo ſanctiſſima ſub capite ſuo virginali ſubſtrata habebat,vt in illis indormire ſecura iā poſſet. Atqui, dilectus filius reſurgēs & immortali vita fruens,adeò vt ampliùs,mors ei nō do-
Roma.6. minabitur,vt probè ait Paulus,dextera ſua matrē amplexabatur,lætitiam inenarrabilem cordi matris benedictæ perfundens.Quis obſecro verbis conſequi valeat, quàm ingenti gaudio alma Maria fuit affecta,vbi dilectum filiū vidit ſole ipſo fulgentiorem,ſtola immortalitatis indutū, ſatanæ,& mortis victorem?Tunc inclyta mater cum Pro-
Pſal.29. pheta Regali cecinit:Conuertiſti fili mi planctum meum in gaudium mihi,concidiſti ſaccum meum, & circundediſti me lętitia.Itidem cū Iacob,vidente Ioſeph regnare
Gene.46. in tota Ægypto,benedicta Virgo lętabunda clamauit: Iā lęta moriar,quia vidi faciem tuam. Equidē Saluator totus feſtiuus,cum multiplici ſanctorū agmine comitatus genitrici ſuæ primò apparuit.Sic enim decebat,eam,quæ viuentem ardentiùs dilexerat,præferri,& quæ priùs & ampliùs paſsionis eius gladio medullitùs transfixa morienti condoluerat,primam conſolari.O nimium fœlix anima, quæ in hoc exilio carneo carcere incluſa,indefeſsè ait: Læua ſponſi mei vnicè dilecti Chriſti ſub capite meo,& dextera illius amplexabitur me.Inter brachia Saluatoris mei quieſco,& inibi obdormio temporaria bona paruipendens:auſteritatem vitæ eius,probra, & cruciatus mortis ilius,ceu ceruical,ſub capite meo habeo : frequenter crucem eius contemplans,imò cum Paulo aio : Chriſto confixa ſum cruci:in qua pendēs,qui vitę eſt autor, quaſi
Tre.3. in aurem meam loquitur : Recordare paupertatis meæ,

trans-

trãſgreſsionis,& abſynthij,& fellis: ad quem ego: Memoria memor ero,& tabeſcet in me anima mea. Hæc recolẽs in corde meo, in Deo ſperabo. Enimuerò ſi nos amoris vicem Chriſto impendentes, læuam eius ſub capite habuerimus, labores omneis, quos pro nobis immeritis ſpõtè ille pertulit, triginta tribus annis mortalẽ vitam agẽs, toto corde expenderimus, dextera illius amplexabitur nos. O quibus deliciis perfruitur, qui ob oculos ſemper, & vbique agones Domini contemplatur. Hunc libẽter amplexatur Chriſtus, ſolatur eum in quauis calamitate, tuaturque illum, ne ſatanas, mundus, aut caro quicquã mali ei inferre queant, Nec non fabula vitæ præſentis peracta, quia læuam Domini ſub capite habuit, dextera eius amplexabitur illum, inter Angelos collocans. Sicut ſcriptum eſt: In dextera eius longitudo dierum, & in ſiniſtra eius diuitiæ & gloria. *Nota.* *Pro. 3.*

PRO ASSVMPTIONE almæ Virginis Mariæ.

QVæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto, deliciis affluens, enixa ſuper dilectum ſuũ? Canticorum. 8.

IAM fuit alma Dei mater ſummi numinis gratia afflata, & amoris dilecti ſui filij igne ſuccenſa, vt ſemper aſcenderet cor eius ſurſum, toto niſu cæleſtem Hieruſalem contẽplans. Siquidem cum Dauide ipſa iubilans frequenter concinebat: Stantes erãt pedes noſtri, in atriis tuis Hieruſalem. Non vtique de Hieroſolyma terreſtri hæc dicebat, ſed de illa, quæ viuis lapidibus conſtructa *Annotatio quadrageſima prima.*

ſurſum eſt,quam Apoſtolus pulchrè matrem noſtrã vocat,à quouis tributo liberã,cuius participatio in idipſum conſtat.Mirabantur itaque Angeli,videntes ſanctam Virginem,adhuc mortali corpore circũdatam,nihilominus mente ſemper ſuper cælos eleuatam. Eam ob cauſam inuicẽ interrogantes,aiunt: *Quæ eſt iſta,quæ aſcendit de deſerto deliciis affluens,innixa ſupra dilectum ſuum?* Verùm inter tot labores & propemodũ innumeras calamitates beata Virgo magnis deliciis ſpiritalibus fruebatur.Nam ſi Apoſtolus amore Chriſti IESV roboratus inquiebat:Superabũdo gaudio in tribulationibus meis:quid de ſacra Maria dicemus,cuius charitas longè preſtantior erat. Dubio procul ſic vitæ actiuç operã dabat,vt nunquã contemplationẽ diſcereret:ſic cõtemplationi vacabat; vt actiuæ vitæ officia minimè relinqueret. *Quæ eſt iſta,quæ aſcendit de deſerto?* Ecce prima ratio ob quã Angeli obſtupeſcunt, vbi deſertũ,mundum hunc tribulis & vepribus plenũ,merito appellãt.Et vt ſummatim dicã,mundus hic deſertum eſt beſtiis frementibus plenum,feris immaniſſimis exuberans.De hoc aſcẽdebat Virgo inclyta,indefeſſè orationi dedita.Secũdò mirantur Angeli,quòd innixa ſuper dilectũ filium aſcendat. En cuius virtute in oratione mens noſtra ad ſuperos volitat.Nimirũ,à nobis aliquid cogitare,quaſi ex nobis nõ poſſumus,quin & ſufficientia noſtra ex Deo eſt, teſte Paulo: Huc attinet, quod ore ſuo ſacro Saluator Apoſtolis dixit:Sine me nihil poteſtis facere.Satis ſuperq; paulò ante de aſſumptione Virginis tractauimus,exponentes illud:Quæ eſt iſta,quæ progreditur,quaſi aurora conſurgens,quæ omnia huic loco deſeruiunt. Aſcendit ergo Maria nedum per contemplationẽ,quoad vixit, verùm etiam aſcendit de deſerto ſqualenti,hoc eſt,de hoc calamitoſo mũdo,corpore glorificato, ſuper

2.Corin. 7.

2.Corint. 3.

Ioan. 15.

omnes

omnes Angelorum choros ſedens. Aſcendit inquã coruſco omnium virtutum apparatu circunfulgens, ac pluſquam regalibus affluens deliciis. Raptim fertur ad patriã, non cunctatur, nec retardatur, quia innititur ſuper dilectum ſuum filium Dei Chriſtum: à quo mirabiliter exaltatur, per quem triumphat, ac perpetim regnat. Cæterũ, Angeli admirantur, quoties cuiuſuis fidelis animã intuẽtur, aſcendentẽ de ſacro baptiſmatis fonte, Spiritus ſancti gratia lotã, mundam, ac firmã, nullam habentem maculã, nec rugam, ſed ſole ipſo fulgentiorẽ. Deniq; quoties vi- Nota. ſibilibus rebus ſpretis orationi inſtamus, & pro virili noſtra terrã illam viuentiũ fluentem lacte & melle fidei oculis luſtramus, toties cęleſtes illę mẽtes ſtupefactę dicunt. *Quæ eſt iſta, quæ aſcẽdit de deſerto, deliciis affluens?* Huc pertinet illud: Ego dixi in exceſſu meo, non mouebor in æternũ. Itidem Apoſtolus ait: Conuerſatio noſtra in cęlis eſt. Pſal. 30. Phili. 3. Vtinam ipſi delicias experiamur, quibus tũc pij homines potiri ſolẽt. Enimuero, nos continere non potuiſſemus, quominus cũ Regali propheta corde & ore diceremus: Quã magna eſt multitudo dulcedinis tuę, quã abſcondiſti timentibus te? Pſal. 30. Aſcendamus ergo de hoc deſerto, aſcẽdamus inquã corde cum Virgine benedicta ſemper orãtes, vt in optato reſurrectionis die innixi ſuper Chriſtum IESVM glorificato corpore conſcendamus. Væ autem, quia noſtrapte natura ſic fragiles ſumus, terrenis atq; caducis rebus obnoxij, & vndique verſum impliciti, vt nec orantes mentẽ ad ætherea bona eleuemus: ſed tanquam miſeri ſtatim ad ima labaſcimus, & per infirma infirmamur. Supernorum delibatio ſi forte aliquando eueniat, quamuis rara hæc auis in terra, ſi quid tamen contingat, aut aſpirare delectet, aſcendentes inſtar fumi ſubindè euaneſcimus, & heu in ipſo conatu deficimus.

Quam

Quam ob cauſam Virginis inclytæ interuentu magnopere indigemus, quo miſertus nobis Chriſtus I E S V S, qui
Pſal.102. figmentum noſtrum profuſus nouit, manum porrigat, viſitanſque nos ex alto, virtutem impendat ſuam: quatenus, & ſi à longè, veſtigia matris ſuæ benedictæ ſequamur.

DE MAGNA ET ADMIranda humilitate Virginis.

SOror noſtra paruula eſt, & vbera non habet. Canticorum.8.

Annotatio quadrageſima ſecunda.

TRIADIS ſanctiſsimæ vox hæc eſt, humilitatem ſacræ Virginis vehementer commendãtis Superiùs in commentariis noſtris locum hunc de ſancta Eccleſia expoſuimus, quippe quæ paruula erat, dum Saluatore aſcendente in cælum, Apoſtoli & diſcipuli congregati in cœnaculo Sion, vbi Dominus tot myſteria patrauit in vltima cœna, non audebant magnalia Chriſti I E S V loqui. Itaque vbera prædicationis, & miraculorum haud habebant. Imò clauſis ianuis ob Iudæorum metum, orationi vacabant: ſicuti
Acto.1. fuſiùs Lucas in Actis Apoſtolorum narrat. Atqui, Spiritu ſancto aduentante, & illos gratia eius roborante, vbera Eccleſiæ ſanctæ adeò creuerunt, & vſq; adeò fœliciter verbum Dei cum fiducia prædicare Apoſtoli cœperunt, vt ad vnius Apoſtoli Petri claſicũ prius tria millia, deinde quinque millia conuerterentur, & ſuaui Chriſti iugo ceruices, qui nuper rebelles fuerant, ſupponerẽt: ij omnes vt Chriſtum lucrifacerent, perindè quaſi ſtercora cuncta reputantes, Chriſto adhæſerunt. Et quoniam Virgo ſancta, nec palã docebat, nec egregia miracula operabatur,

ideò

ideò paruula vocatur, vbera non habens. Loquitur ergo ſanctiſsima Trinitas ſecundum vulgi æſtimationem: nã apud vulgus imperitum parui æſtimabatur, & vt vxorem fabri eam habebat populus. Quod humilima Virgo gaudenter ferebat, magnopere cupiens, ſoli Deo placere, cui à cunabulis prorſus ſe dicarat, ac deuouerat. Certè ſi de gratia, virtutibus, aut ſublimioribus prærrogatiuis eſſet ſermo, nemo hominum nec Angelorum Chriſto propior, aut illa ſublimior inuenitur: quæ charitate, & omniũ chariſmatum donis, à primo ſuæ immaculatæ conceptionis inſtante, ita enituit, vt extra omnẽ controuerſiam cõſtet, nedum omnes ſanctos, ſed cæleſtes ipſas mentes excelleret. Nec abs re, quùm omnes Regis ſummi Chriſti ſerui ſint, illa verò mater, atque Angelorum & hominum regina. *Soror noſtra paruula eſt.* Magna, & qua nulla ſuperior, Virginis commendatio, vt ſancti Spiritus ſoror dicatur. Eſt quidem ſoror Filij, & ſoror Patris, non naturæ æquilibrio, ſed ſingularis gratiæ operatione. Patris quidem & Spiritus ſancti, ſolo gratiæ participatu, Filij verò gratiæ & peculiaris communione naturæ. Quam quidem prærogatiuam, & mirabilem dignitatem pauci admodum norant. Rurſus, parua erat Maria in ſuis oculis, ita vt nec in cęlo, nec in terra vlla creatura ea humilior inueniri poſſit. Dicebatq; illa cum Prophèta: Ludam, & vilior fiam ante eum qui elegit me, & ero humilis in oculis meis. O verba aurea, literis aureis inſcribenda, pectoribus noſtris diu ac noctu verſanda: Vilior fiam, & ero humilis in oculis meis, hoc eſt, non voce ſubmiſſa, non veſte panno ſa humilis apparebò, ſed internè me ipſam deſpiciã: qua in re veſtigia dilecti mei ſectabor, qui ait: Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde. Sanè vt ſuperbia omniũ vitiorum radix eſt, ſic humilitas quodammodo baſis ac funda-

Nota.

2. *Reg.* 6.

Matt. 11.

fundamentum eſt omnium virtutum. Hinc perbellè diuus Auguſtinus clamat: Magnam fabricam erigere vis, de fundamento, id eſt, de humilitate, priùs cogita. Summa, quantum Deus optimus ſuperbiam horreat, quantumq́; humilitatem diligat, ipſe palàm facit, dicens: Omnis, qui ſe exaltat, humiliabitur, & omnis, qui ſe humiliat, exaltabitur. Mira res, ſatiſq́; miranda: quùm alma Dei genitrix apprimè eſſet humilis, nihiloſecius Angelo dixit: Fiat mihi ſecundum verbum tuum. Vbi humilitas, & magnanimitas non inuicem contradicunt, ſed maximè conueniunt. Ratio, quia humilitas deprimit appetitum, ne tendat in magna præter rationem rectam: magnanimitas verò animum impellit ad magna ſecundum rationem rectam. Vndè liquidò comprehenditur, quòd humilitas & magnanimitas in hoc conueniunt, quòd vtraque eſt ſecundum rectam rationem. Sāct. Thom. 22. q. 161. art. 1. Quas virtutes, omneſque alias Deipara habuit in gradu heroico. O mirabilem, ac votis ardentiſſimis deſiderabilem virtutē humilitatis: De qua ſanctus Auguſtinus libro de virginitate ſic ait. Humilitas penè tota diſciplina Chriſtiana eſt.

S. Auguſt. — *Lucæ. 14.* — *Lucæ. 1.* — *S. Tho. 22. q. 161. art. 1.* — *S. Auguſt. li. de virgi.*

PRO ANNVNCIATIONE Virginis Mariæ, & pro aſſumptione.

QVæ habitas in hortis, amici auſcultant, fac me audire vocem tuam. Cantic. 8.

Annotatio quadrageſima tertia.

SI rectè ſententiam hanc conſiderare volumus, verba ſunt paranimphi Gabrielis è cęlo venientis ad Nazareth, vbi ſacram Virginem allocutus eſt, & de myſterio incarnationis quàm multa Virgini reuelauit. Ipſa

verò

verò reſpondente: Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco? Gabriel inſtabat, ſuadens illi, vt conſenſum daret, & ſic mater Dei ſummi fieret. Tunc tacitè Angelus dicebat: *Quæ habitas in hortis, amici auſcultant, fac me audire vocem tuam.* Vndè Auguſtinus: O Virgo benedicta da verbum, & ſuſcipe verbum: da conſenſum, & Spiritu ſancto cooperante Verbum Patris in virginali vtero tuo fiet homo. Equidem Virgo ſancta in hortis habitabat, prophetarum oracula de Meſſia venturo, vt mūdum redimeret, ob oculos ſemper habens, atque altiùs in corde ſuo illa verſans. Sanè, quicquid Patriarchæ & Prophetæ de aduentu Meſſiæ, tùm in lege naturæ, tùm etiam in lege ſcripta Spiritu Dei afflati vaticinati ſunt, illis hominibus perſpicatiùs intemerata Virgo intellexit. Hæc vaticinia indefeſsè illa legebat, meditabatur, & cum magna dulcedine contemplabatur, cum Dauide dicens: Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua Domine ſuper mel ori meo! Ecce in quibus hortis præclara Virgo morabatur, vernantes flores, & rubicundas roſas, liliaque candentia colligens. Amici auſcultantes, tùm ſancti patres in limbo expectantes redemptorem mundi, qui eos liberaret, tùm Angeli, qui ſua ingenti charitate mundi ſalutem optabant, ſunt. Dracho ille funeſtus tertiam ſtellarum partem ſua cauda traxit, & in baratrum ſecum detulit. Ideò muri Hieruſalem reſtaurandi erant, ita vt homines ſancti ſedes deſertas in cælo poſſiderent: iuxta illud: Benignè fac Domine in bona voluntate tua Sion, vt ædificentur muri Hieruſalem. Sonuit ergo vox Mariæ, omni mellita dulcedine ſuauior, in aures Gabrielis, vbi conſenſum præbens, dixit: Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum. O rem dictu mirabilem: ſubindè Verbum caro factum eſt, & habitauit

Pſal. 118.

Nota.

Pſal. 50.

Lucæ. 1.

uit in nobis. Rurſus, vox hæc filij dilecti ſui eſt: vocat vtique eam, vt relicto hoc laborioſo exilio, cælos conſcendat. Sanè quandiu vixit, Regina mundi, in duobus hortis habitabat, poſt Christi Aſcēſionem: alter erat
Luca.22. hortus Gethſemani, in quo Saluator ter orauit Patrem, & tandem in agonia poſitus, factus eſt ſudor eius, ſicut guttæ ſanguinis cadentis in terram: inibique, qui Angelorū gloria eſt, comprehenſus, & funibus alligatus, ſolus relictus fuit, diſcipulis, hac & illac diſperſi, fugam capientibus. In hoc horto Dei genitrix moras trahebat: quā vtinam & nos fideles ſemper imitaremur, gratias agentes ei, qui tot agones pro nobis immeritis ſubire dignatus eſt. Alter verò hortus ille fuit, in quo ſepultus iacuit tribus diebus, Ioanne conteſtante: Erat autem in loco vbi cru-
Ioan.19. cifixus eſt IESVS hortus, & in horto monumentū nouū, in quo nondum quiſquam poſitus fuerat: ibi ergo, propter Paraſceuem Iudæorum, quia iuxta erat monumentum, poſuerunt IESVM. En in quibus hortis ſancta mater habitabat, cuncta, quæ dilectus filius perpeſſus fuerat in paſsione ſua, ſigillatim contēplans. Quid quòd fideles omnes ceu horti floriger i ſunt, mandata Dei ſummo conatu adimplentes: in quibus nil vanum, nil infructuoſum, aut inamenum reſidet. In his alma mater degebat, deliciiſque affluebat magnis, gliſcens ac iubilans, grateſq; Deo reddens, quòd homines ad fidem conuerſi Chriſtū IESVM corde & ore verum redemptorem audacter profiterentur. Ex his hortis Virgo ſancta vocatur à filio: nam amici ſancti qui cum Saluatore aſcenderant, & omnes Angeli magnopere deſiderabant Reginam ſuam in cęlo videre, corpore etiam glorificato. Itaque illa, quę adhuc viuens habitabat mente in horto cæleſti, aſſumpta eſt, vt inibi perpetuò habitet. Et quia de hac mirabili, ac lætabunda

bunda feſtiuitate iam diximus nonnulla, ſuper illo verbo, Quæ eſt iſta quæ aſcendit de deſerto, deliciis affluẽs. Sit ſatis, hoc vnum ſcire, quòd ennixa aſcendit ſuper dilectum filium ſuum quem planè omnes cæli ciues comitabantur ouantes, & dulciſona cantica cõcinentes, vt par erat, in tam fauſtiſſimo feſto decantare.

VIRGO SANCTA ROGAT dilectum filium, vt cælos omnes ſcandat, quò Spiritum paraclitum mittat.

F*Uge dilecte mi, aſsimilare capreæ hinnuloque ceruorum ſuper montes aromatum.* Canticorum. 8.

SI Rex Dauid tam ardenti affectu Spiritus ſancti aduentum deſiderabat, vt inceſanter clamaret: Emitte Spiritum tuum, & creabũtur, & renouabis faciem terrę: multo magis Domina mũdi Maria hoc ipſum cupiebat, videns Apoſtolos ita pauidos ac inermes, vt magiſtro relicto in horto Gethſemani, omnes fugerent. Sed quia optimè ipſa norat, non niſi aſcendẽte Chriſto, & ad dexteram Patris ſedente Paraclitum aduentare, iuxta illud: Si ego non abiero, Paraclitus non veniet ad vos, eam ob cauſam, poſt eius glorioſam reſurrectionem, vbi iam iam per quadraginta dies apparuit, & quàm multis argumentis ſe verè ſurrexiſſe probauit, alma mater ea humilitate, qua ſolebat, dilectum filium precatur, & ait: *Fuge dilecte mi, aſſimilare capreæ hinnuloque ceruorũ ſuper mõtes aromatũ.* Obſeruatione dignum eſt, quòd Apoſtoli tenerè dilige-

Annotatio quadrageſima quarta.

Pſal. 103.

Ioan. 16.

S. Bern. ſuper Cant. ſer. 20. bīt Chriſtum, nō fortiter, vti ſanctus Bernardus teſtatur, eam ob rē de abſceſſu Saluatoris plus nimio triſtabātur.

Ioan. 14. Ad quos ille: Amen dico vobis, ſi diligeritis me, gaudere tis vtiq;, quia vado ad Patrem. Et iterum: Expedit vobis, vt ego vadam. Sanè Apoſtoli Saluatorem amabant, alioqui de illius abitu mœſtitia non afficerētur: nihilominus fortiter eum non diligebant: ideò eo comprehenſo fugerunt timore mortis perculſi. At benedicta mater, quippe quæ filium fortiſſimo diligebat amore, non æquè præſentiam corporalem eius quærebat, ſed fructum de illius aſcenſione: quare obnixè orabat Chriſtum IESVM, inquiens: *Fuge dilecte mi.* Haud dubiè eam nō latebat illud, quod Dominus Apoſtolis ſpopōderat: Si autem abiero, mittam eum ad vos. Alluſio eſt, quod nunc Deipara Virgo filio ſuo loquitur, ad illud Dauiticum: Exaltare Domine in virtute tua, cātabimus & pſallemus virtutes tuas.

Pſal. 20.

Equidem Apoſtoli, omneſque diſcipuli Domini, adeò pauidi erant, vt virtutes Chriſti IESV, eiuſque egregia miracula, minimè nunciare potuiſſent, donec Saluatore ad Patris dexteram ſedente, Spiritus ſanctus in linguis igneis apparuit. Virtute ex alto roborati, vſque adeò fortes facti ſunt, vt etiam flagris ceſſi clamarent? Non poſſumus ea, quæ audiuimus, & vidimus non loqui. Ecce quā ſancta, quamque frugifera fuit oratio Virginis benedictę qua orāte Saluator in cælum aſcendit, qui vnà cum Patre, poſt dies decem, Paraclitum miſerunt. Quod verò ſequitur, *aſſimilare capreæ, hinnuloque ceruorum*, ad velocitatem expectat, qua Dominus nube lucida amictus aſcendit. Tàm caprea, quàm hinnulus mira velocitate percurrunt, adeò, vt potiùs animalia hæc volare, quàm currere dicantur. Cæterùm ſuper montes aromatum Saluator conſcendit, vbi omnes Angelorum choros tranſiliens, in

Acto. 4.

dexte-

dextera Patris ſedit. Enimuerò montes aromatum cęlos ipſos ſubindicant. ſuper quos nihil fœtidum, nihil impurum, aut immundum reſidet, ſed omnifariæ puritatis, quaſi ingens quædam baſilica, charitatis feruor, & virtutum omnium mira fragrantia viget: dicente beato Ioanne: Nihil inquinatum in illam ciuitatem intrabit. Nec *Apoca. 21.*
quiſquam excandeſcat, quòd Virgo benedicta priùs filij Dei aduentum totis niſibus poſtularat, dicens: Deſcēdat, *Cant. 1.*
ſeu veniat dilectus in hortum ſuum, & comedat fructus pomorum ſuorum, nunc verò roget eundem, vt fugiat ſuper mōtes aromatum: nam varietas temporum in cauſa fuit. Primò hominum redemptionem mirum in modum optabat, quæ per Meſſiam fieri oportebat. Qua per ſanguinem, & mortem agni immaculati Chriſti IESV affecta, neceſſum erat; vt aſcendens ſuper omnes cælos adimpleret omnia, quippe quæ ore ſuo ſacro Apoſtolis promiſerat. Nos autē fideles poſt hac ſupplices Dei ſummi parentem Virginem ſummo conatu venerantes, atq; *Dogma.*
Deum in Virgine glorioſa toto corde, totaque mente colentes, ac laudantes, & admirantes addeamus cum fiducia ad thronum gratiæ, hoc eſt, ad Mariam, in qua Chriſtus, qui fons gratiæ inexhauſtus eſt requieuit, quatenus miſericordiam, & gratiam conſequamur, in auxilio oportuno, Amen.

Annotationes in Cantica canticorum almæ Virginis Mariæ feſtis acommodatæ,
FINIVNT.

INDEX RERVM,

quæ in his explanationibus continentur, ordine alphabetico digeſtus.

ABraham princeps vocatur. 311
Adoleſcétulę quid in arcano ſermone. 286.288.289
Aduẽtum Chriſti magnũ cómodum nobis attuliſſe. 48.344.vſq; ad 346.
Affectus cópaſſionis fraternæ quibus cótingat. 271
Affectus prauus ordinem peruertit. 306
Amantium mores. 88.280.445
Amanti nihil difficile. 47.358
Amantium fortitudo. 359
Amaritudo conſolationis eſt modus. 49
Amici Chriſti. 211.212.479
Aminadab duæ dictiones Hebraicæ. 305
Aminadab quid in ſacro eloquio. ibidem, & 306
Amor ſpiritualis animam languere facit. 65
Amor cor amantis ad amatum trahit. 171
Amor Dei & vnit & inebriat. 216
Amoris Saluatoris in Eccleſiam magnitudo. 72.159.170.175. 274.280.345.378
Amor mutuus inter Chriſtum & matrẽ. 19.464 vſq; ad 466
Amor Eccleſiæ in Chriſtum. 12.64.240
Amor noſter in Deum debitus. 173
Amor eſt ſumma omnium rerum. 445
Angelorum beatitudo in viſione Dei conſiſtit. 268
Angeli pennæ ventorum dicuntur. 72
Angeli ante Chriſti aduentum ab hominibus ſe adorari ſinebãt, non autem ſic poſtea. 344
Angeli receſſus à virgine legatione facta nó caret myſterio. 422
Angelorũ admiratio de Eccleſiæ in altũ aſcéſu. 115.116.228.351
Angelorum circa homines cuſtodia. 120
Angeli animam dolore affectam ſolantur. 42
Angelum Ioſeph in ſomnis apparuiſſe. 438

Animam

Animam præſentia ſponſi magis accendi. 6.224.227
Animam piam in vberibus diuinæ miſericordiæ omne gaudiũ inuenire. 7.66
Animam ſanctam ſpecioſam eſſe in oculis Chriſti. 27.285
Animam ſanctam duplici fœtu à Chriſto decorari. 283
Animam diuerſos habere progreſſus in virtute. 368
Animæ oculi fides & charitas. 452
Anima ſancta, corpore ſublato, Deum in ſua eſſentia videbit. 76.281.453
Anima perfecta, in quo ſe iam diu exercuit facilè nó amittit. 96
Animam ſoli Deo vacantem fœlicem eſſe. 37.102
Anima deuota amat in aliis, quod ſibi de eſſe agnoſcit. 105
Anima minus ſola, cum ſoli ſponſo adhæret. 117
Animæ fœlicitas in Deo ſita eſt. 127.251
Anima valdè pulchra in oratione poſita. 163
Animam diuerſis nominibus appellari. 37.173.187.195
Animam ad verbum ſponſi liquefieri, quid ſit. 234
Animam fidelem, quo plura de redemptore ſuo audit, eo propriùs illi adhærere. 270
Animum inordinatum ſibi ipſi eſſe pœnam. 81
Animalia non ruminantia immunda in lege habebantur. 211
Antiochus figura peccatoris impœnitentis. 9
Apoſtolos non tantùm pedibus ſed affectu ſequutos Chriſtum 15.367.
Apoſtolorũ arma doctrina & miracula. 29.233. vſq; ad 235.297.300
Apoſtoli quærebant Saluatorem vbi non erat. 103.105
Apoſtolos in facies, Iudam autem & ſequaces retrorſum cecidiſſe. 222
Apoſtoli, qua via Deus inueniri poſſet, indicabant. 272
Apoſtolorum amor in Chriſtum ante aduentum ſpiritus ſancti qualis fuerit. 482
Aquilo quid in arcano ſermone. 197. vſq; ad 199
Arbores aromaticas ſeptem annumerari. 190. vſque ad 192
Arbores paradiſi terreſtris pomiferas fuiſſe. 194
Arcam fœderis typum Mariæ geſſiſſe. 119
Areola quid in arcano ſermone. 273.451
Armatura quid. 155
Aromata quis offerat. 179
Aromata quid ſignificent. 205

Arrius diuinitatem Chriſti negauit. 153

Aſcenſio Domini natiuis coloribus depingitur. 384

Auguſtinus literarum calentiſſimus. 360

Auribus Dei & non hominum placeamus. 92

Auſter quid. 197.198

BEatitudinem ad modum charitatis conferri. 406

Bellum inteſtinum Eccleſiæ deſignatur. 30.31.55

Bellum accedenti ad Dei ſeruitutem imminere. 37. In quo continua militia, ſed rara victoria. 288

Bethel, quod Hebraicè bether, quid. 99

CAlceamenta quid in arcano ſermone. 312.313

Calamitatis vtilitas. 96.197.326

Canales quid in ſacro eloquio. 323.324.461

Cantica canticorum cur dicantur. 2

Cantica à quo legenda. ibidem

Cantica canticorum falsò aſcribi filiæ Pharaonis. 119

Capilli cincinni & comę, quid. 139.141.220.249 vſque ad 251. 282.322. vſque ad 324.

Capreæ & cerui quid. 71.72.114

Caprearum conſuetudo. 139

Caprea & hinnulus ceruorum cur ſæpiùs ſimul nominantur in libro canticorum. 75

Charitas perfecta maieſtatem ignorat. 5

Charitatis progreſſus. 11

Charitatis perfectorum & imperfectorum diſcrimen. 12.13.18

Charitatis ordo. 62.63

Charitas omnia venuſtat & decorat. 64.145.178.179

Charitatis vis & efficacia. 104.111.359. vſque ad 365

Charitas radix omnium virtutum. 179

Charitas diſtinguit inter filios Dei & gehennæ. 127

Charitas fide & ſpe præſtantior. 406

Carmelus mons altiſſimus. 320

Carnis nouiſſima amara. 183

Cedar Iſmaëlis filius. 24

Cella vinaria quid. 61.62

Cellaria quid. 18.19

Ceruum, cùm ſerpentes occidit, plùs ſolito ſitire. 269

Circuncifio imago pœnitentiæ. 86

Cognitio noſtra à ſenſu pendet. 42

Cogni-

Cognitio Dei in hac vita arcta eſt. 216
Columba, qualis ſacrificio apta. 49
Columba ab arca Noë miſſa Eccleſiæ typus fuit. 89
Columba ſpiritus ſancti indicium. 192.411
Collum quid. 40
Columnæ argenteæ quid. 125.128
Comminatio ſponſi in ſponſam. 34
Concubinæ quid in arcano ſermone. 286.vſq; ad 295
Contemplationis dulcedinem quis guſtare valeat. 60
Contemplationis vtilitas. 126.280.349
Conuerſio Gentium & Sinagogæ excæcatio. 29
Cor ſedes & thronus Dei. 32.46.62.112.128.219
Cor Eccleſiæ Deus. 214
Corona triumphantibus à Romanis data laurea erat. 169
Chriſtum verbo Apoſtolos traxiſſe. 15
Chriſtum in virtute propria, nos autem in odore eius currere. 16.116.
Chriſtum pauperem ad nos veniſſe. 46
Chriſtum fidei iuſſorem noſtrum fuiſſe. 356
Chriſtum ſalientem in montibus veniſſe quid. 73.74.408.409
Chriſtum in Cruce à Centurione cognitum. 77
Chriſtus pax noſtra. 84.58.408
Chriſtus cur ſe abſcondat. 77.233.235. vſque ad 237.271.276. 441.
Chriſtus ſua dilectione decorauit quidquid in mundo dixit & fecit. 128
Chriſtus, & ſi in carne cruciatus ſentiret, intus tamen in corde iubilabat. 133
Chriſtum omni peccato caruiſſe. 79
Chriſtus ſuos electos ad coronam inuitat. 167
Chriſtus in ripa Iordanis aquas ſanctificauit. 193
Chriſtus in ſua aſcenſione triumphator extitit. 206
Chriſtum ſuis amicis arcana ſua reuelare. 211
Chriſtum in cruce vinum felle mixtum guſtaſſe non caret myſterio. 208
Chriſtum fauum mellis cum diſcipulis comediſſe myſterium habet. ibidem
Chriſto dulciſſimum fuiſſe pati. 207
Chriſto pulſanti apperire, vel oſtium occludere quid ſit. 218

Chriſtum eſſe verum caput Eccleſiæ. 8.195.152.293.320.348.371.460.
Chriſtus nos multis titulis poſſidet. 220
Chriſtū diuerſis rebus comparari. 6.16.570.208.267.269.321.
Chriſtum tres habere in Eccleſia ſtatus. 278
Chriſtum ſoli Petro Eccleſiam commendaſſe. 290.308.379
Chriſtum theſaurum ſuæ paſſionis Eccleſiæ commendaſſe. 294
Chriſtū triplicem matrem habuiſſe. 343
Chriſtum ab Eccleſia gratitudinem poſtulare. 356
Chriſtus mortem ſua morte ſuperauit. 360
Chriſtus, vt doceat, interrogat. 368
Chriſtus ab inſtanti ſuę conceptionis & viator & comprehenſor fuit. 391.462
Chriſtus vbi quærendus. 26.110.275.416.441
Chriſti pulchritudo. 245.446.447
Chriſtus dilectus ex dilecto dicitur. 243.443.444
Chriſtus candidus & rubicundus dicitur. 245.vſq; ad 247
Chriſtum vniuerſalem & plenariam poteſtatem ſummo pontifici tradidiſſe. 321
Chriſtus venturus à patribus antiquis vocabatur. 342
Chriſtus gloriam animæ abſq; merito poſſedit. 462
Chriſtus de ſuo hortu maluit quàm de matris pudore dubitari. 458.
Crucis vtilitas. 133.162.316.327.vſque ad 329.354.vſque ad 356.447.462.
Crux Chriſti cathedra & ſcola omnium virtutum. 329
Cuſtodes quid in arcano ſermone. 95.106.vſque ad 108.121.122.374.vſque ad 376.
DAlad dictio Hebræa quid. 322
Dalida typus Mariæ. 421
Damaſcus metropolis Syriæ ſathanæ regnum ſignificat. 319
Daniel cur vir deſideriorum dicatur. 285
Delectatio praua plus aloes quam mellis habet. 176
Dentes & ſi à carne procedant, carnis tamen infirmitatem neſciunt. 141
Dentes Moſi nunquam moti. 142
Dentes quid in arcano ſermone. ibidem.143.282.283
Deſertum quid. 116.117 . . . ſque ad 353
Deſiderium Chriſtus adimplet. 59

Deſi-

Deſiderium dilatum creſcit. 271
Deum vnicuiq; mandare de proximo ſuo. 17
Deus, niſi ſe oſtenderit haud inueniri poteſt. 14.32.81. 102. 351.
Deus vbi & quando & à quibus fruſtra vel cum fructu quæratur 101.vſque 104.110.
Deum velut digito, dum afflictionem, manu verò extenſa, dum mercedem tribuit, ſuos tangere. 205
Deus acceptor perſonarum non eſt. 168
Deum ad oſtium cordis pulſare. 217
Deum non ſolùm per creaturas, ſed per ſeipſum ad ſponſam loqui. 217.
Deus quo amplius videtur, eo magis inuiſibilis eſſe cognoſcitur. 281
Deum cum miniſtris facere, quod ipſe ſolus poteſt. 335
Deum plus polliceri, quam poſtulamus. 353
Deo omnia opera noſtra deberi. 437
Deum diuerſis rebus comparari. 64.72.220.277
Diabolum cuncta laqueis impleuiſſe. 78
Diabolus ante Chriſti aduentum homines pro nihilo pendebat. 343
Dies & nox quid in arcano ſermone. 98
Digiti quid. 229
Dilectio vera non poteſt latere. 363
Dilectio Dei quanti ſit pretij. 366
Donec perpetuitatem denotat. 99
Donum mirabile in facie Dei abſcondi, & quid. 20
Dona patrum antiquorum ſymbola eorum quæ Eccleſia in baptiſmo accipit. 41
ECcleſiam Hieruſalem terreſtri ſucceſſiſſe. 292
Eccleſiam aduentum Chriſti poſtulaſſe. 3.vſq; ad.5. 342. vſque ad 344.349.353.383.
Eccleſiæ vnitas. 29.69.146.279.288.290.307
Eccleſiam Romanam depictam in tranſitu maris rubri. 37
Eccleſiam varios ſtatus habere. 52.372
Eccleſiæ doctrina pura ac ſincera. 180.330
Eccleſiam aduentu ſpiritus ſancti creuiſſe. 194.368.vſq; ad 370
Eccleſia regnum cælorum dicitur. 270
Eccleſiæ triumphantis & militantis 277.292

Eccleſiæ fortitudo. 55.317.370. vſque ad 373
Eccleſiam Romanam Sinagogæ præferri. 286
Eccleſiam nullam habere maculam. 311.353
Eccleſia è quibus verè & propriè conſtetur. 288. vſque ad 290. 342.
Eccleſia Romana eſt caput & mater omnium aliarum mundi Eccleſiarum. 113.293.307.381
Eccleſiæ authoritas. 294.295
Eccleſiæ fœcunditas. 82.314.381
Eccleſia caput viſibile & inuiſibile habet. 321
Eccleſia Romana vetus & nouum teſtamentum recipit. 330.341
Eccleſia regina dicitur. 10
Eccleſia & nigra & pulchra dicitur. 24
Eccleſiam diuerſis rebus comparari. 51.184. vſq; ad 186.192 vſque ad 196.296. vſque ad 302.325. vſque ad 328.
Editio vulgata omnibus aliis præferenda. 62
Elatæ quid. 248
Eliezer typum ſpiritus ſancti geſſiſſe. 314
Engadi quid. 48
Epiſcopus ſuperintendens dicitur. 238
Euchariſtiæ ſacramentum à Chriſto in cœna inſtitutum. 196. 212.
Euchariſtiæ ſacramentum fauo mellis comparari. 209
Ad Euchariſtiam qui digni vel indigni habeantur. 61.213
Exempla plus ſuadere quàm verba. 228.229.459
Exultatio interior augmentum ex opere capit. 191.203
FErculum Salomonis quid ſignificet. 122. vſque ad 129
Ficulnea fructu carens quid. 203
Fidei apud Indos incrementum. 321
Fidem vſque ad finem mundi fore permanſuram. 26.91
Fides eſt fundamentum totius noſtræ ſalutis. 382
Fides vmbra Chriſti. 58
Fideles in baptiſmo omnium chariſmatum donus locupletari. 41.
Figura circularis omnium aliarum perfectiſſima. 448
Filius in diuinis tantum homo factus. 15
Filium Dei triplici humanitatem decoraſſe. 391
Fons in radice montis libani ſcatet. 193
Foramina petræ & cauerna maceriæ quid. 88. vſque ad 90

Fle-

Flores & poma quid. 65.84
Flumina quid in arcano ſermone. 365
GEnæ quid in arcano ſermone. 39.254.255.285
Germanorum & Anglorum antiquitas in fide quam tandē amiſſerunt. 29.34. Et quid mali eis acciderit. 70.124.
Gentes faciliùs ad fidem quàm Iudæos conuolaſſe. 302
Gladius quid in arcano ſermone. 121.147.223
Guttæ noctis quid. 217
Guttur quid. 268.331. vſque ad 333.
Gratiæ diuinæ neceſſitas. 56.143
Gratiæ præuenientis & ſubſequentis largitor Deus. 12.20
Gratiæ augmentum eſuriem excitat. 106
Gratia aqua dicitur. 61.195
Gratiam matris nomine appellari. 292
Greſſus quid in arcano ſermone. 312.313
HEbraicè ſurge tibi, veni tibi dicitur. 82
Hebræorum mos in ſedendo. 45
Hebræis quid mali propter Chriſti mortem acciderit. 306. 355.
Hæreſes eſſe oportere ad quid. 26
Hæreticos filiis viperæ ſimiles. 29
Hæreticorum ſtudium & ingenium. 94.95
Hæreticorum doctrina venenum. 6.181.193.300.307.330.332
Hiems & imber iter agentibus moleſtiſſima. 73
Hiems & pluuia quid in arcano ſermone. 83.85
Hieruſalem viſio pacis dicitur. 126.127
Hinnuli quid in arcano ſermone. 156. vſque ad 158
Hypochritarum mores. 92.87
Hypochritarum pœnitentia. 230
Homo credit quod Angelus videt. 32
Homo anima & corpore Deo ſeruire tenetur. 38.284.357
Homo terrena appetens nimio afficitur labore. 138
Hominem in hac vita abſque peccato eſſe non poſſe. 374
Hortus quid in arcano ſermone. 303.381.382.435.450 451.479 480.
Humilitatis excellentia & vtilitas. 22.34.44.393.397. vſque ad 399.419.
Humilitas duplex. 45
Signum veræ humilitatis. 45.153.190.241

Humi-

Humilitas rara auis in terra. 420
Humilis quis verè dicatur. 35
IAcob figura Chriſti. 278
Iacobus confeſſionis prædicator. 92
Idolatria fornicatio appellatur. 214
Imperatiuo pro optatiuo ſacra ſcriptura vtitur. 4
Imprecatio mortis in rebelles Eccleſiæ. 69.113.124
Impij ſanctorum pretioſam mortem cupiunt,& vitam eorum cãdidam horrent. 16
Incarnationem filij Dei diffusè agi. 129 vſque ad 134.224.274 336.423.450.
Incitamenta virtutum nuſquam contemnenda. 105
Indorum conuerſio. 337
Ingratitudinis deſcriptio. 68
Ingratitudo Sinagogæ. 28.383
Ingratiſſimus quis. 270
Intentio recta & ſincera opus illuſtrant. 136
Intentionem ſponſæ à ſponſi differri. 313
Inuidia fugienda. 20.50
Inuidiam Iudæorum in Chriſtum inferno comparari. 363
Ioannis Baptiſtæ fidelitas & humilitas. 409
Ioannes Baptiſta vox Domini. 409
Ioannes Euangeliſta palmam martyrij obtinuit. 471
Iudæorum vocatio priuſquam Gentilium facta. 166
Iudæi literam ſacræ ſcripturæ mordicus tenent. 220.304
Iudicium extremum in oratione dominica poſtulari. 100
Iugum Chriſti leue. 47.128.152
LAbia quid in arcano ſermone. 146.vſque ad 148.182.256 257.332.
Laboris & lætitiæ mira confectio. 191
Lampades ignis quid in arcano ſermone. 362
Latro in cruce Chriſtum vicit. 171
Latronem cum patribus in limbo diuinitatem Chriſti vidiſſe. 275.
Laudis geminatio. 324
Leones tyranos ſignificant. 169
Lex vetus Chriſto grauida. 304
Legis veteris & nouæ diſcrimen. 436
Libanus de albatio dicitur. 266

Libanum montem inter omnes alios præminere. 265
Libanus quid in arcano ſermone. 166.435
Libani ligna ſanctorum imaginem gerunt. 128
Liberum arbitrium cooperari gratiæ. 202.218.219.224.vſque ad 226.301.352.375.
Lilia quid in arcano ſermone. 97.158.315.413.451

Mala punica quid in ſacro eloquio. 303
Mandragore quid. 338.vſque ad 340
Manna typum Euchariſtiæ habuiſſe. 61.267
Manus quid in arcano ſermone. 4 67.68.258.vſque ad 260.471 vſque ad 473.
In manibus Chriſti omnes fideles conſcriptos 7
Mariam diuerſis rebus cõparari. 53.203.420.434.436.456.457
Mariam in Ægyptum lucem portaſſe. 438
Mariæ dolor de filij ſui abſentia. 399.vſque ad 401.414.vſq; ad 416.442.
Maria omnibus canon diſciplinæ. 459
Maria necem filij diu, noctuq; meditabatur. 461.vſque ad 463
Maria experientia cognouit, quod plena ſpiritu ſancto dixerat. 469
Mariæ aſſumptio. 418.430.473.vſque ad 475.481
Mariæ humilitas. 476.vſque ad 478
Mariæ deſiderium de filij aſcenſione. 481
Maria ab omni peccati lepra immunis. 388.390.394 vſque ad 399.402.vſque ad.429.
Mariæ inter omnes ſanctos excellentia. 59.389.vſque ad 421. 478.
Maria virginitatis fundatrix 393
Mariæ in templo præſentatio. 392
Mariam cæremonias legis impleuiſſe. 413.414
Mariam prophetarum oracula optimè caluiſſe. 438.479
Mariæ conceptionem non ab omnibus celebrari. 424
Mariæ venuſtas carnis petulantiam ſe intuentium extinguebat. 425
Mariæ fortitudo. 426.vſq; ad 428
Mariæ verborum dulcedo. 432.433
Mariam multis nominibus decorari. 439.458
Mariæ Magdalenæ opus laudatur. 44
Martyrium abſque ſanguine. 236

Mar-

Martyrum intormentis gaudium. 126
Martyrum conſtantia. 340
Meridies & mane quid in arcano ſermone. 30. vſque ad 33
Mirrha quid. 45.47.117.205.206.227.vſque ad 231.256 257
Monilia quid. 40
Mortem, vbi non eſt Chriſtus, eſſe. 78
Mos ægrotantium. 63
Moſes ducendo Etiopiſſam imaginem Chriſti habuit. 23
Mundum ante Chriſti aduentũ velut agrum incultum fuiſſe. 335
Murenulæ quid in arcano ſermone. 41. vſque ad 43
Muſtum quid. 346.347
NArdus quid in arcano ſermone. 44.45.398
Naſus quid. 319.320
Nemo repente fit ſummus. 326
Noë typus Chriſti. 345
Nomen Chriſti oleo effuſo comparari. 12
Numerum determinatum pro indeterminato poni. 376
Numerus millenarius perfectionem ſignificat. ibidem.
OCuli quid in arcano ſermone. 50.139.251. vſque ad 253.317
Odor quid. 8.44
Opera trinitatis ad extra ſunt indiuiſa. 15
Orationẽ rectam & aſſiduam Deo placere. 90.117.236.291.419
Oſculum quid. 5
PAcis efficacia & neceſſitas. 71.190.278.279.301
Pag. vox Hebraica quid. 86
Pallium quid in arcano ſermone. 239
Papa idem quòd patrum pater. 321
Paradiſum primam, in qua homo vidit diuinam eſſentiam, virginem Mariam fuiſſe. 450
Pardi quid in arcano ſermone. 169
Paries quid. 76. vſque ad 79
Paſſio Chriſti ſcala cæli. 128
Pauli doctrinam omni hominum conditioni conuenire. 194
Peccatum ſpinæ ſimile. 303.404
Peccatorum confeſſio Deo maximè placet. 80
Pœnitentia pretioſa in diuinis oculis. 228.252.418
Petra & maceria quid. 88. vſque ad 90
Petrum poſt reſurrectionem primatum Eccleſiæ accepiſſe. 321
Pigmenta quid. 118

Philo-

Philoſophos hominum conſortia ſpreuiſſe. 211
Poma quid in arcano ſermone. 340. vſque ad 341. 467.468.
Poteſtas demonis in gentes. 168
Prædicatores Chriſti coadiutores. 45
Prædicator officio prædicationis incumbat oportet 318.371.381
Prælati onera ſubditorum portant. 385
Prælati culpa vacare debent. 449
Præterito profuturo ſacra pagina vtitur. 85.204.273.293.301. 354.355.
Prætium redemptionis noſtræ in cruce ſolutum. 133
Principiis obſtare oportet. 94
Prudentia auriga virtutum. 149.229
Pulchritudo faciei in oculis fulget. 251
Quam energiam habet in ſacris literis. 215.21.267
Religio triplex bonum habet. 150
SAcerdotes mundi & eruditi eſſe debent. 314
Sacerdotum munus. 318
Sacramenta nouæ legis à Chriſto fuiſſe inſtituta. 436
Sacram ſcripturam diuinitus inſpiratam. 195.252
Sacræ ſcripturæ arcana cui liceat rimari. 18
Sacrificia veteris legis Chriſti aduentu abolita. 200
Salomonem dilectum Dei interpretari. 1
Salomonem typum Chriſti fuiſſe. 38.119
Salomonem in ſui perniciem filiam Pharaonis duxiſſe. 319
Salus ex Iudæis prodiit. 111
Sanctitas ſimulata duplex iniquitas. 230
Sanctorum humilitas. 22.vſque ad 25.117.168.250
Sanctorum ſuffragia. 241
Sathanas Eccleſiam perſequi non ceſſat. 90
Scandalum fugiendum. 145
Securitas in Chriſtiano timenda. 34.116
Simplicitas veritati amica. 137
Sinagoga Chriſtum negando & morti tradendo ſubiecit ſe populo Romano. 306
Sinagoga nouerca Chriſti. 132
Sol quid in arcano ſermone. 25.395
Solitudinis vtilitas. 39.117
Spei in Deo collatæ fructus. 164
Superbia radix omnium vitiorum. 477

Superbia Angelos dæmones effecit. 137.399
TEmpus gratiæ à Chriſto initium habuiſſe. 196
Terræ pulchritudo ex Chriſti aduentu. 188.189.
Teſtamentum morte teſtatoris confirmari. 436
Thirſa ciuitas munita. 276
Tyrannorum dementia. 364
Thomæ conuerſio & prædicatio. 231
Tranſlatio Eccleſiæ ab Hebræis ad Gentes. 334
Ttibulationis vtilitas. 364.440
Trinitatis myſterium inſinuatur. 41
Trinitatis imago anima rationalis. 91
VEnter quid in arcano ſermone. 260.vſque ad 263.315 316
Verbum æternum os Patris. 390
Verba ſcurrilia vitanda. 177
Verecundia mulieris magna eſt pulchritudo. 39
Vigilia prælatis neceſſaria. 107.108
Vinum quid in arcano ſermone. 7.331.vſque ad 347
Vinum quot damna afferat. 7
Vir à virtute dicitur. 376
Virtus laudata creſcit. 311
Virginitas laudatur. 434.394
Vita noſtra amaritudo. 47
Vitæ actiuæ & contemplatiuæ viua imago in Marta & Maria. 71.83.114.
Vita contemplatiua excellit & adiuuat actiuam. 222.224
Vulnus à charitate acceptum quam decorũ & pulchrũ eſſe. 64.
Vmbra quid in arcano ſermone. 31.vſque ad 38.59
Vulpes quid. 93.vſque ad 95.
Vulpium variæ ſpecies inueniuntur. 96
Vbera quid in ſacro eloquio. 7.47.156.vſq; ad 177.316. vſque ad 394.

BVRGIS.
Apud Philippum Iuntam.
1581.

Errata.

Pag.	lin.	pro	lege
6	23	nequiuimus	nequibimus
5	27	ſummi	ſumi
6	11	laeceſeat	laſſeſcat
	18	qoomiꝰ	cominus
7	10	modo intantes	modo geniti infantes.
18	9	cubila	cubicula
23	21	expectāt	ſpectant
40	26	Pauló	pauló
56	10	melita	mellita
	23	malo	malum
58	3	protege	ꝓtege me
	24	lucæ	luce
61	19	fructiferæ ſederat	fructiferę vmbra ſederat
66	1	diceret	deficeret
71	22	in volucro	Inuolucro
79	2	cœpit	cœperit
81	7	quititibi	quitibi
87	2	corporis ſui & ſanguinis	corpore ſuo, & ſanguine
94	29	tactū nó eſſet	tactū eſſet
98	24	ſpeculio	ſpeculū
100	28	appareat	appareas
103	16	non do-	nō in do-
104	9	appareret	appareret
105	5	dimittēs	demittēs
108	20	vnuſquis	vnuſquiſq;
113	āte	enixus	innixus
114	27	vel	ve-
115	25	illam	illum
116	16	ſcalenti	ſqualenti
	20	ſternētes	ſtertētes
120	19	Zigi	Giezi
121	2	vnuiquis	vnuſqſq;
122	14	accēſum	aſcēſum
132	21	genuflexu	genuflexi
146	10	effuciendū quod in hos	effutiendū quod io os
146	17	fluxus	fluxas
154	pē.	igne	ignes
155	7	Salomooem	Salomon
158	28	ediſſere	ediſſerere
162	13	mirabilē	mirabile
	23	Eccleſiā	Eccleſia
160	4	quæ	quam
	22	inter	in te
168	6	fiſti	fiſi
169	2	autem	aut
	4	vel	verùm
170	3	alliciant	allicient
171	vlt	Ad	At
177	11	ſit	ſint
178	1	vnaquæq;	vnaquęq;
188	5	ſcalens	ſqualens
189	7	latiex	latice
190	7	panis	pacis
191	4	dequoquitur.	decoquitur
193	16	ſuggeſtui	ſuggeſtioni
195	25	iſtæ hæc	iſthæc
	pē.	dilatari	dilatare
208	16	trabem	trabeam
210	23	quippeq;	qppequaſ
216	10	Ebriemini	Ebriamini
219	20	chariſte	chariſmate
	21	deſcēdit	deſcēdūt
	pē.	vellint	velint
221	1	miraeulis	miraeula
	vlt.	haſce	hæcce
223	1	expoliauit	ſe expoliauit
226	17	cubili	cubiculi
230	12	myrrha, quæ	myrrha, quam
	22	habere	ſe habere
237	17	velluti	veluti
244	āte.	ſuſpiciis	ſuſpiriis
247	6	candidus	rubicūdꝰ
	20	principū	prīcipiū
249	āte	vxoris	vxor
253	āte.	oculi	oculos
256	3	cóferunt	cōferunt
257	3	vtilia	vti lilia
262	21	Sareæ	Saræ
267	29	fragrabat	flagrabat
275	13	ſcalentia	ſqualētia
277	29	enixa	innixa
280	13	dixerat	dixiſſet
	14	Martha	Marthæ
300	19	naturam	natura
302	22	gigneratet	gigneret
317	12	metur	matur
322	19	quęliber	quælibet
335	āte.	vellit	velit
338	20	domo	dono
339	13	externa	externas
344	āte.	Eccleſiá	Eccleſia
345	6	ſponſæ	ſponſe
348	5	numerandam	munerandam
349	6	eo mentem	eo ampliꝰ mentem
350	7		
	20	) enixa	innixa
351	āte.		
352	4	enitamur	innitamur
	17	enixa	innixa
357	23	expectat	ſpectat
361	9	tuum	tuus
371	7	forre	fórte
373	15	ſponſæ	ſponſe
378	26	expectat	ſpectat
382	14	verſat	verſatur
391	3	nactus	nacto
397	7	enixus	innixus
401	14	hiniant	inhians
402	22	expectat	ſpectat
407	4	Virginē ſanctam	Virgo ſancta
	pē.	vox	vocem
408	1	corde	cordi
	17	trabem	trabeam
409	29	dimittit	demittit
413	24	ſolæ	ſole
416	26	creatori	creatore
	vlt.	nequid	nequit
418	7	nutu	nutui
423	17	plicauimus	plicabimus
426	12	illecelebris	illecebris
431	9	colloquans	eolloeans
435	10	hortum	hortorū
435	14	Meſſiæ tàm	Meſſię aduētū tàm
436	13	vt	&
439	8	ancipiter	accipiter
440	āte,	applaudūtur	applaudunt
445	7	redditū	reditum
447	vlt.	eſſe	eſſet
452	20	de	id
461	13	nuſquā	nunquā
465	24	laniebat	laniabat
474	14	diſereret	deſereret
477	12	excelleret	excellere
480	9	diſperſi	diſperſis

1-6-2